VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
CONTRA
Atheos Polytheos Idololatras Mahometanos & Judæos

Ex Devictis Hæresibus directè ejus Veritatem impugnantibus

DEMONSTRATA
PER

FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
ORDINIS PRÆDICATORUM
In Bononiensi Universitate Controversiarum Fidei Professorem
NUNC
S. R. E. CARDINALEM.

TOMUS VII.
PARS I.

De Hæresibus I. & II. Seculi.

ROMÆ, ex Typographia Bernabò, MDCCXXXIX.
SUPERIORUM PERMISSU.

APPROBATIO ORDINIS.

NOVAM præclaro Operi suo de Veritate Religionis Accessionem, *de devictis Hæresibus* inscriptam, quam pro eximia ac prorsus singulari quâ solet erga Ordinem pietate ac dignatione, probatam Ipsi primo loco voluit Eminentissimus Dominus noster Cardinalis Gotti, summâ obsequendi discendique cupiditate legi, jussu Reverendissimi Patris Nostri Magistri Generalis Fr. Thomæ Ripoll: quo certè nihil mihi, uti honorificentius, ita & accidere jucundius unquam potest; quid enim Christiano homini gratum magis, quam Almæ Matris suæ de tam vario atque multiplici prostrato hoste triumphos recolere ac veluti oculis intueri? Post irritos nanque furentis Idololatriæ conatus in præcedentibus libris emensos, pergit Vir otii impatiens in Rem Christianam totus incumbens, innumeras penè de Hæresibus palmas a Religione latas, non dictis enarrare modò, sed & momentorum vi iteratò referre; quò multiformes inter tot errorum fraudes semper sibi constans Ecclesia, Una Ipsa pateat Orbi Terrarum Columna & Firmamentum Veritatis. Difficillimum quidem argumentum, quod magna illustrium Virorum adeo torsit ingenia, ut meritò de Hæresibus, præcipuè antiquis, accuratum Opus inter hactenus desiderata Eruditi reponant. At verò quantum satìs eorum votis ab Eruditissimo Cardinali factum sit, ex hacce cui invictam a labore manum admovit insigni Tractatione facilè deprehendent. Quod enim de Ortu Progressu & Affinitate, de Dogmate & Moribus, de Ætate & Interitu Hæresum, ex unis Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Philastrio, Augustino, Theodorito, Damasceno, aliisque id genus Viris haustum postulant; istud hìc omne ex hiscemet purioribus fontibus invicem collatis, selectum digestumque, minimèque neglectis Recentioribus, doctè & eruditè solidèque atque perspicuè præstat Vir Sapientissimus. Nostræ item consulens Ætatis ægritudini, novissimorum quoque temporum Novatoribus suas ex priscis pestibus origines morbosque, oblatâ non raró occasione, commonstrat. At-

a 2 que

que post plurimam, eamque si valere maluissent efficacissimam, in ceteris passim, in Aureo adversus Piceninum Opere plenè illis adhibitam curationem; salutis eorum perpetuò studiosissimus, nova hìc iterum remedia suppeditat. Rem itaque futuram omnino Catholicis acceptissimam, Hæreticis saluberrimam, Cunctis de solo Eminentissimi Auctoris nomine probatissimam, nemo non exoptet proferendam publicæ utilitati. Dabam Romæ apud S. Mariam super Minervam Prid. Kal. Martias CIↃ. IↃCC. XXXVIII.

Fr. Pius Thomas Schiara Bibliothecæ Casanatensi Præf.

IMPRI-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Apostolici Palatii.

Phi. Episcopus Pisaurien. Vicesgerens.

APPROBATIONES.

I.

TOmum ordine septimum egregii Operis, quod inscribitur: *Veritas Christianæ Religionis adversus Atheos, Polytheos &c. demonstrata*, Auctore doctissimo juxta, atque Eminentissimo Fr. Vincentio Ludovico S. R. E. Cardinali Gotti, jubente Reverendissimo P. Fr. Johanne Benedicto Zuanelli S.P. A. Magistro, attentè perlegi. Cùm autem hujusce Tomi argumentum in eo versetur, ut hæreseon omnium commenta referantur, eadem confutentur, & qualiter Catholica Ecclesia de erroribus cunctis triumphum egerit, palam fiat; ingenti sanè voluptate & emolumento comperi, Clariss. Auctorem hisce omnibus exquisitâ eruditione, nervosâ doctrina, suoque Ordini Dignitatique congruenti pietate abundè simul atque mirum in modum satisfecisse. Eapropter Opus Orthodoxæ Fidei vindicandæ confovendæque, ac bonis moribus promovendis perquam utile, publicâque luce meritissimum judico. Romæ Kal. Majis MDCCXXXVIII.

Thomas Sergius Piorum Oper. S. R. Inquis. Consultor.

POstquam in præcedenti Tomo Eminentissimus & Reverendissimus Cardinalis Gotti Christianæ Religionis Veritatem ex inclytis per Martyres ab Ecclesia reportatis Victoriis demonstravit, eamdem ipsam Veritatem in præsenti, quem demandante Reverendissimo P. Magistro S. Palatii perlegi, ex Triumphis quos hæresibus prostratis Christiana Religio gloriosissimè & invictè retulit, ostendere pergit. Et quidem optimo, meâ sententiâ, argumento. Etenim nisi Cœlestis defensio, quæ tamquam scutum, veritati, non falsitati exhibetur, eamdem inter tot venenata & sacrilega mendacia, tot inter cuniculos, fraudes, calumnias, & opinionum portenta, quibus perfidi rebellesque Filii contra Matrem suam per hæreses pugnaverunt, texisset: ipsam profectò vel omnino oppressam, vel ad minùs plusquam cimmeriis obsitam tenebris conspiceremus. At contra, hoc tantùm abfuit, ut potiùs, donante Deo, adulterinis Hæreticorum doctrinis usa fuerit, & nunc quoque, tum ad documentum stabilitatis suæ, cum ad comparationem pulchritudinis suæ, feliciter satis utatur. A Domino igitur est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quamobrem præstanti quodam & eximio consilio pro convincendis Christianæ Religionis hostibus hanc quoque materiam in hoc Libro promovit, pulchro ordine, magno judicio, multâ solitâque perspicuitate Eminentissimus Auctor: in cujus laudem illud unicum & perbreve Origenis Libro tertio contra Celsum hic mihi proferre liceat: *Accuratè discernentem atque dignoscentem Judaicæ & Christianæ Religionis hæreses sapientissimum esse Christianum*. Talem cum se isto in suo erudito labore ostendat doctissimus Cardinalis Gotti, talem quoque ejusdem Operis non perfunctorium Lectorem evasurum auguror, & idcirco idipsum, ut typis edatur dignissimum existimo.

Ex nostro Monasterio S. Crucis in Hierusalem die 8. Julii 1738.

D. Joachim Besozzi Abbas S. Crucis in Hierusalem, S. Rom. & Univ. Inquis. Consultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

ELEN-

ELENCHUS

Hæresum quæ in hujus septimi Tomi Parte I. referuntur & confutantur.

CAPUT I.

Capharnaitæ, Simoniani, Menandriani, Dositheani.

CAPUT II.

De Saturnino & Basilide.

CAPUT III.

De Nicolaitis.

CAPUT IV.

De Gnosticis.

§. III.

CAPUT V.

De Carpocrate.

CAPUT VI.

De Cerintho.

CAPUT VII.

De Nazaræis.

CAPUT VIII.

De Ebione & Ebionitis.

CA-

CAPUT IX.

De Valentinianis.

CAPUT X.

De Secundianis & Ptolemæitis.

CAPUT XI.

De Marcitis, seu Marcosiis.

CAPUT XII.

De Colorbasiis, & Heracleonitis.

CAPUT XIII.

De Florino, Blasto, Bardesane, Berone, & Alexandro.

CAPUT XIV.

De Ophitis.

CA-

CAPUT XV.

De Cajanis.

CAPUT XVI.

De Sethianis.

CAPUT XVII.

De Archonticis.

CAPUT XVIII.

De Cerdonianis.

CAPUT XIX.

De Marcionitis.

CAPUT XX.

De Lucianistis & Apellitis.

CA-

CAPUT XXI.

De Severianis.

CAPUT XXII.

De Tatianis & Encratitis.

TRA-

TRACTATUS

De victoria adversùs hæreses.

RELIGIONIS Christianæ Veritatem ex victoria persecutionum, quibus armata Gentilitas ad eam extirpandam per tria & ultra secula toto Orbe conjuravit, abundè demonstravi: non enim aliâ potentiâ quàm Divinâ potuit adeò validos ac diuturnos impetus frangere, ut quæ toto Orbe conquirebatur ad necem, ex ipsis suorum necibus, nedum non extincta, sed aucta gloriosior evaderet, & ipsorum numinum, pro quibus pugnatum fuerat, ementita potentia & memoria ipsa ex Orbe deleretur. Ita persecutio, quam S. Augustinus in Psal. 9. vocat *violentam*, Religioni Christianæ cessit in triumphum. Verùm alia persecutio Christianam Religionem invasit à domesticis excitata, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ Christianæ cœperunt resistere, quam propterea S. Augustinus *fraudolentam* appellat, quia sub specie doctrinæ Christi obtrudit doctrinam diaboli; magis proinde perniciosa quàm prior, sicut perniciosior est hostis occultus quàm aperto marte pugnans. Illa velut leo rugiens proscriptionibus tormentis necibus in corpora sæviens, Christo fideles animas offerebat; ista velut coluber sinuoso circuitu venenato morsu animas blandientis more incautas inficit, & à fide divellere tentat; ideoque Christianæ Religionis veritatem directè aggreditur; illa tandem defecit, ista quovis seculo struit insidias. Cæterùm de ista quoque sicut de illa victoriam reportavit; & Evangelica doctrina, etsi variis erroribus concussa, apud veros fideles inviolata permansit.

Quin ut ait S. Augustinus L. 18. de Civit. Dei cap. 51. ex eâ adepta fuit utilitatem: *Etiam sic quippe veris illis Catholicis membris malo suo* (hæretici) *prosunt, dum Deus utitur & malis benè & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim omnes Ecclesiæ quolibet errore cæcentur vel malitiâ depraventur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam; si tantummodò malè sentiendo, exercent ejus sapientiam; ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam aut etiam beneficentiam, sive suasibili doctrinâ cum eis agatur, sive terribili disciplinâ. Ac per hoc diabolus princeps impiæ civitatis adversùs peregrinantem in hoc mundo Civitatem Dei vasa propria commovendo, nihil eis nocere permittitur: cui procul dubio & rebus prosperis consolatio ut non frangatur in adversis; & rebus adversis exercitatio ut non corrumpatur prosperis, per divinam Providentiam procuratur; atque ita temperatur utrumque ab alterutro, ut in Psalmo 93. v. 19. illam vocem non aliunde agnoscamus exortam* „ Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ jucundaverunt animam meam „. *Hinc est & illud Apostoli* (Rom. 12. v. 12.) „ Spe gaudentes, in tribulatione patientes „. Ita S. Augustinus in levamen Ecclesiæ dum persecutionibus agitatur.

Porrò quod primum & magis admirandum proponam erit hoc: nimirùm quòd in testimonium suæ potentiæ, & veritatis Religionis Christianæ non solùm permisit Deus ut eam hæreses persequerentur successivis temporibus, redditâ jam sibi à paganis pace; sed & in ipsis exordiis, quibus Judæi & Pagani fœdere inito in eam tollendam conjuraverant, erumperent ex ejus gremio hæretici illius veritatis depravatores: sicque cum duplici hoste ei pugnandum esset, externo uno cruciatibus ac necibus corpora aggrediente, intraneo ac domestico altero matris suæ viscera erroribus lacerante, & veritatem fœdis mendaciis deturpante: ac duplici simul persecutione violentâ & fraudolentâ agitata probaretur: quod inferiùs ostendam.

CA-

CAPUT I.

Capharnaitæ, Simoniani, Menandriani, Dofitheani.

§. I.

Capharnaitarum prima hærefis ex S. Auguftino.

I. PRima omnium hærefum ex aliquibus de fchola Chrifti, ait S. Auguftinus in Pfalm. 54. fuit hæc. Cùm enim quidam difcipuli Capharnaitæ audiffent Chriftum Joan. *6.* v. 54. dicentem: *Nifi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus fanguinem, non habebitis vitam in vobis* &c. horum verborum myfterium non capientes, cum debuiffent intellectum fuum Verbo Dei fubjicere, audacter dixere v. *61*. *Durus eft hic fermo, & quis poterit eum audire?* Et quamvis Jefus qui eorum corda noverat exponens dicti fui fenfum eos detinere ftuderet, nihilominus multi eorum abierunt, & à fide in ipfum recefferunt v. *67*. *Ex hoc multi difcipulorum ejus abierunt, & jam non cum illo ambulabant.* Quare Jefus *converfus ad duodecim* dixit eis: *Numquid & vos vultis abire?* At Petrus fide firmus nomine omnium: *Domine*, inquit, *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus & cognovimus, quia tu es Chriftus filius Dei.* Qua promptâ confeffione docuit Petrus res fidei non effe fuperbâ curiofitate examinandas, fed Deo loquente humili fide fufcipiendas. Petrus certè tunc non adhuc myfterium noverat; quia tamen Chriftus filius Dei dixerat, abfque perfcrutatione credendum effe exiftimavit: *Nos*, inquit, *credidimus.*

II. Audiatur Auguftinus laudato loco: *Prima hærefis in Difcipulis Chrifti velut à duritia fermonis ipfius facta eft: cùm enim diceret: Nifi quis manducaverit carnem meam & biberit fanguinem meum, non habebit vitam in fe: illi non intelligentes dixerunt ad invicem: Durus eft hic fermo, quis poteft eum audire? Dicentes, quia durus eft fermo hic, feparaverunt fe ab illo: Remanfit cum aliis duodecim. Cùm ei fuggeffiffent, illos in fermone ejus fuiffe fcandalizatos; Numquid & vos, inquit, vultis ire? Et Petrus, Verbum vitæ æternæ habes, ad quem ibimus? Intendite, obfecramus vos, & parvuli difcite pietatem. Numquid jam Petrus intelligebat fecretum illius fermonis Domini? Nondum intelligebat: fed bona effe verba quæ non intelligebat, piè credebat. Ergo fi durus eft fermo, & nondum intel-*

lectus est, durus sit impio, tibi autem pietate molliatur, quia quandoque solvetur, & fiet tibi oleum, & usque ad ossa penetrabit. Hucusque Augustinus.

III. Videant modò Calvinistæ ac cæteri Sacramentarii, dum negant, Corpus & Sanguinem Christi verè & realiter nobis dari in cibum, quos imitentur; discipulos nempè Christi at fidei desertores: non Petrum ac fideles Apostolos, etsi secretum verborum nondum intelligentes, piè tamen credentes. Dum audiunt & ipsi Christum in Eucharistia verè dare carnem suam ad manducandum & sanguinem suum ad bibendum, nec in symbolo tantùm & typo, exclamant: *Durus est hic sermo*: & quasi præ horrore claudentes aures dicunt: *Quis potest eum audire?* Magis inexcusabiles, quàm illi. Ubi enim illi ex improviso audientes Christum dicere se daturum carnem suam in cibum & sanguinem in potum exterriti fuere, quia putarunt, eum daturum manducandam carnem suam & sanguinem bibendum in propria specie, & eo modo quo animalium carnes comeduntur; nondum enim hujus comestionis mysterium facto explicaverat, quod postea fecit in cœna, ideò cum horrore ab eo recesserunt dicentes: *quis potest eum audire?* At isti quamvis norint, Christum non in sensu carnali sed spirituali sermonem protulisse, & hoc idem facto declarasse in cœnæ, ubi sub specie panis corpus suum tradidit manducandum dicens: *accipite & comedite, Hoc est corpus meum*; & sanguinem sub specie vini dicens: *Bibite, hic est sanguis meus*: in sua pertinacia manentes, ajunt: *Durus est hic sermo & quis potest eum audire?* & ab ejus fide recesserunt.

IV. Tales sunt, inquam, qui hisce temporibus Ecclesiæ Reformatores se venditant, cùm verè ejus & Fidei sint deformatores & corruptores; cùm nesciant capere, quomodo sub specie panis adesse possit verum Christi corpus, & sub specie vini verus Christi sanguis, magis sibi quam Christo utrumque affirmanti assentiri volunt; & discipulos fœdifragos secuti Christum deserere malunt, quàm cum Petro & Apostolis ei humili fide parere; & dum Ecclesia pia mater eos veræ doctrinæ lacte pascere studet, ejus ubera mordere & lacerare non cessant. Jam contra ipsos egi in Vera Ecclesia Tom.2.p.2. a.12. & Tom.3.in 3.p.q.3. Dub.1. Modò cuique eorum dicam cum Augustino loco citato: *Parvulus es, nondum intelligis secreta verborum: fortè tibi panis latet, & adhuc lacte nutriendus es: noli irasci uberibus; ipsa te idoneum reddent ad mensam.* Adhuc tibi durus est sermo Christi, seu veriùs cor tuum sermoni durum est: Audi Christum, audi Ecclesiam, & cor tuum emollietur. *Ecce* (prosequitur Augustinus) *per divisionem hæreti-*

corum

eorum multa dura mollita sunt : *Sermones illius duri molliti sunt super oleum . . . Armaverunt evangelizantes* : *& ipsi sermones diriguntur in pectora quorumque audientium . . . illis sermonibus*, *illis verbis tanquam sagittis corda hominum ad amorem pacis feriuntur*. Quod si adhuc verba vitæ audire non vis, scito: Christus de tuo secessu non curat. Habet Apostolos habet Catholicam Ecclesiam, quæ totum Orbem ad sermonem Christi non jam durum sed mollem trahens de tua duritia triumphat. Sed hæc satis.

§. II.

Simoniani unde orti.

I. PErsecutionem ab hæresi *fraudolentam* meritò vocat Augustinus, ideòque sub ementita veritatis larva sese intrudit, ut incautos & imperitos alliciat: *Neque enim* (inquit Irenæus L.1. adv. hæres. c.1.) *fraus & impostura seorsim ostenditur*, *ne alioqui velut detractis vestibus perspicuè se prodat*, *verùm illecebroso amictu callidè ornata id assequitur*, *ut per externam speciem apud imperitiores verior quoque veritate ipsa videatur* : *quemadmodum de hujusmodi hominibus à quodam me præstantiore dictum est*, *quòd smaragdo præclaro alioqui lapidi*, *ingentisque apud quosdam pretii*, *vitrum artis industriá ad ejus similitudinem elaboratum dedecus infert*, *cùm haud quaquam præsto est qui explorare*, *atque artis solertiá id quod versutè factum est deprehendere queat* &c.

II. Simonianæ hæresis, quæ prima fuit post Christi in Cœlos ascensum, auctor fuit Simon Magus, de quo supra locutus sum tomo 5. Verit. Relig. Christ.cap.1. de S.Petro §.5. à num.3., §.10. à num.4., & 13. à num.5., quæ huc revocanda sunt. Is, ut habetur Act. 8., è Samaria oriundus magicâ arte celebris seducebat suis præstigiis gentem Samariæ, *dicens se esse aliquem magnum*. *Cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum*, *dicentes* : *hic est virtus Dei quæ vocatur Magna*. *Attendebant autem eum*, *propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos*. Cùm autem Philippus unus ex Diaconis prædicatione signis & prodigiis traheret ad Fidem Christi ex Samaria multos, Simon ipse admirans quæ Philippus faciebat, exteriùs credidit & baptizatus est, eique adhærebat; non quia vero corde Christum suscepisset, sed quia sperabat tantam sibi potentiam ad signa facienda fore donandam, ut iis adjunctis majus lucrum ex suis præstigiis sibi compararet. Quod illicò manifestavit, nam cùm venissent Petrus & Joannes, ac super baptizatos imponentes manus conferrent eis Spiritum Sanctum & ejus visi-

visibilia dona, Simon hoc videns, oblatâ eis pecuniâ dixit: v. 19. *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum*. Cui petitioni exhorrens Petrus, ac anathemate eum feriens: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*.

III. Factum hoc considerans S. Augustinus Serm. 2. in Psal. 30. num. 14. & in Psal. 130. n. 5. ait: *Intendat caritas vestra; magna res commendatur. Quomodo Simon ille Magus in mirabilibus ingredi volebat super se, propterea plus illum delectavit potentia Apostolorum, quàm justitia Christianorum. At ubi vidit per manus impositionem Apostolorum, & per orationes eorum Deum dare fidelibus Spiritum Sanctum, & quia tunc per miraculum demonstrabatur adventus Spiritus Sancti, ut linguis loquerentur quas non didicerant, omnes super quos veniebat Spiritus Sanctus.* (*Nec ideo* (nota) *modò non datur Spiritus Sanctus, quia linguis non loquuntur, qui credunt: ideo enim tunc oportebat ut linguis loquerentur, ut significarent omnes linguas Christo credituras. Ubi impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est*:) *Cùm ergo hoc videret Simon, voluit talia facere, non talis esse. Et nostis, quia etiam pecuniâ putavit comparandum Spiritum Sanctum. Erat ergo de talibus, qui in templum intrant ad emendum & vendendum: emere volebat quod vendere disponebat. Et verè, Fratres mei, quia talis ille erat, & sic intraverat ad eos. Dominus illos expulit de templo, qui columbas vendebant: columba autem Spiritum Sanctum significat. Volebat ergo Simon emere columbam, & vendere columbam: accessit Dominus Jesus Christus qui habitabat in Petro, & flagello resticulæ expulit foràs malum mercatorem*. Hactenus Augustinus.

IV. Reprehensum tamen Simonem non ita deseruit Petrus, quin hortaretur ad pœnitentiam; ostendens ei, quàm gravi errore ac nequitiâ teneretur: *Non est*, inquit, *tibi pars neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Ad hæc commoveri Simon visus fuit, nam respondens dixit: *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis*. Falsa tamen hæc pœnitentia Simonis fuit: rogavit Apostolos ut pro se precarentur, non ut Deus daret sibi pœnitentiæ donum, & dolorem de peccato commisso, sed ut è capite suo averteret mala sibi ab Apostolo denuntiata: peccatum execratus non fuit, sed solùm peccati pœnam metuit: Pharaonem imitatus, qui Moysen rogavit ut à plagis quibus afficiebatur cessaret, dum tamen iis etiam cessantibus,

bus, animum Israelitas adhuc affligendi secretò retinebat.

V. Ita Simon; de quò esto Scriptura ampliùs non loquatur, historiæ tamen referunt, quòd postea excusso etiam omni timore pœnæ, indignatus quòd dona S. Spiritus ab Apostolis consequi non potuisset, imploratâ dæmonis ope, magicis præstigiis se Apostolis æquare eisque se opponere statuit. Impensiùs ergo magiæ studio se mancipans, Samariâ relictâ varias Orbis regiones peragravit, loca quærens in quibus adhuc ignotum esset nomen Jesu Christi, ut sic faciliùs incautos deciperet, & obicem præmitteret Evangelio. Tyrum Phœniciæ cùm venisset, Helenam vel Selenem feminam prostitutam sibi sociam peregrinationum adjunxit, cum qua nefanda plura commisit. Dictitabat autem, hanc esse celebrem Helenam, Menelai uxorem, quam etiam Minervam appellabat. Hanc primam esse mentem ajebat, rerum omnium matrem; nec abstinuit, quin eam etiam nomine Sancti Spiritus designaret: de se verò prædicabat, magnam esse Dei virtutem & Messiam, aliasque fabulas de quibus infra. De his videri possunt Irenæus L. 1. cap. 20. (modò 23.) Tertullianus de Anima cap. 34. Theodoritus Hæret. fab. L. 1. c. 1. & alii veteres. Quantam verò hisce mendaciis apud Gentes fidem compararit, testis est Statua, quam ei ut Deo Romani sub Claudio erexerunt. Testis est & Nero, qui ob vindicandum Simonis interitum S. Petro necem creditur intulisse. Videantur, quæ agentes de S. Petro citatis locis adduximus, repetenda enim non sunt.

VI. Id quod sibi præfinxit Simon, & propter quod plura mendacia & absurdissima commentus est, fuit quod *sibi in animum induxerat* (ut ait Origenes L. 5. contra Celsum num. 62.) *se iisdem præstigiis, quibus Jesum usum putabat, simili fore apud Populum auctoritate*. Videns autem, se id ab Apostolis oblatâ etiam pecuniâ consequi non potuisse, totum studium ad hoc malis artibus & fraudibus à Dæmone conquirendum se convertit. Spargere itaque cœpit, Epiphanio teste L. 1. hæres. 21., *Se ipsum esse magnam virtutem Dei, & ex supernis descendisse. Patrem verò se ipsum dicebat apud Samaritas; apud Judæos verò se filium esse dicebat, passim autem se non passum esse sed solùm apparentiâ.* Theodoritus etiam L. 1. hæret. fab. c. 1. *Se ipsum autem* (inquit) *nominabat infinitam potentiam & se Judæis quidem tanquam filium apparuisse, ad Samaritanos autem tanquam patrem descendisse: ad alias autem gentes tanquam Spiritum Sanctum accessisse. Et cùm meretricem nescio quam, quæ stabat in prostibulo, vocabatur autem Helena, secum habitare fecisset, eam esse primam suæ mentis comprehensionem dicebat, & matrem omnium nominabat, & se per ipsam Angelos & Archangelos*

gelos fecisse; ab Angelis autem mundum esse architectatum. Angelos verò ei invidentes ipsam apud se detinuisse asserebat. Dolebant enim, inquit, se ejus dici opera aut effecta. Qua de causa eam quoque in multa muliebria corpora introduxerunt, atque adeò in ipsam etiam Helenam, propter quam Trojanum bellum gestum est. Propter eam quoque se ipsum dicebat descendisse, ut ipsam ab ei impositis vinculis liberaret, & hominibus per ejus agnitionem salutem præberet: mutatum autem descendisse, ne ab Angelis qui creatoris opificium administrant cognosceretur: & in Judæa tanquam hominem apparuisse cùm non esset homo, & passum esse cùm non esset passus, Prophetas autem fuisse Angelorum administros. Jubebat autem eos, qui in ipsum credebant, eos non attendere, nec legis minas pertimescere, sed eos tanquam liberos facere quæ voluerint. Non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos esse salutem consecuturos. Quocirca qui ejus sectæ erant, se audacter omni libidini & intemperantiæ dedebant, & omni incantationum & præstigiarum genere utebantur &c. Eadem ferè dicunt S. Irenæus L. 1. c. 20. (modò 23.) Cyrillus Catechesi 6. Illuminat., & fusè Tertullianus L. de Anima c. 34.

VII. His nefarius iste nebulo factus Christi æmulus, quæ de Christo audierat, sibi multis tamen enormitatibus adulterata tribuebat. Se filium Dei Judæis, Patrem Samaritis, Gentibus Spiritum Sanctum venditabat: se cùm non esset homo ut hominem descendisse, ut ovem, quam Helenam esse dicebat, à malignis spiritibus, qui eam tenebant in vinculis, liberaret; se quoque passum sed apparenter solùm. Et qui Spiritum Sanctum emere non potuit, se ipsum Spiritum Sanctum mentiebatur, cujus dona erant incantationes & præstigiæ, quibus discipulis suis operante dæmone illudebat: à quo tandem desertus, precibus S. Petri præceps ruit in æterna sibi debita supplicia.

§. III.

Simonis & Simonianorum errores. Simonia & Magia.

I. PAlmaris error, quo primò Simon se prodidit, fuit, quòd existimavit Spiritum Sanctum pecuniâ emi ac vendi posse. *Cùm enim* (inquit Epiphanius hæres. 21.) *non haberet rectum cor neque cogitationem rectam, sed turpi lucro & studio pecuniarum intentus esset, & à pravo proposito suo nunquam recederet, offerebat pecunias Petro Apostolo, ut daret ipsi potestatem exhibendi Spiritum Sanctum per manuum impositionem*, sperans se inde multas pecunias lucraturum. Petrus tamen conscius præcepti Christi Matth. 10.

Matth. 10. v. 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date*: ad has Simonis voces exhorrens ei comminatus est Act. 8. v. 20. dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*. Si enim donum est, gratis est dandum non pecuniâ emendum. Hinc factum est, ut ejusmodi crimen pro spiritualibus aliquid temporale ac pretio æstimabile dandi, vel recipiendi, à Simone *Simonia* nuncupetur.

II. Nec tamen primus fuit Simon, qui hoc crimine inquinaretur; alii non pauci ipsum præcesserant. Balaam Num. 22. primus omnium non benedictionem sed maledictionem pecuniâ sibi à Balac Moabitarum Rege oblatâ in populum Dei proferre paratus erat: *Qui*, ut ait Petrus Ep. 2. c. 2. v. 16. *mercedem iniquitatis amavit: correptionem verò habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam*. Jeroboam postea 3. Reg. 13. v. 33. Sacerdotia vendidit: *Fecit*, inquit, *de novissimis populi Sacerdotes excelsorum: quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, & eversa est & deleta de superficie terræ*. Hoc eodem crimine infectum fuisse Giezi Elisei Prophetæ famulum legimus 4. Reg. c. 5.; qui cum à Naaman Syro pro sanitate divinitùs ab Eliseo huic concessa duo talenta & duas vestes furtim recepisset, leprâ, quâ mundatus fuerat Naaman, illicò percussus fuit ipse, & semen ejus usque in sempiternum. Legitur insuper 2. Machab. c. 4., Jasonem Oniæ summi Sacerdotis fratrem ab Antiocho ingenti trecentorum sexaginta talentorum pretio Sacerdotium emisse. Id quod postea Jasone expulso fecit Menelaus, qui tandem Antiochi Eupatoris jussu è turri quinquaginta cubitorum dejectus, inter cineres suorum scelerum pœnas luit, ut habetur c. 13. ejusdem libri v. 6. his verbis: *Inde in cinerem dejici jussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum*. Quin adeò familiare factum fuerat apud Judæos ultimis Mosaicæ Legis temporibus sub Romanis Præsidibus Sacerdotium emere, ut licèt Divino jure in sola Aaronis familia fuisset, Exodi 28; attamen ut ex Josepho l. 18. Antiquit. cap. 7. apertè colligitur, Valerius Gratus Judææ Præses unico anno tres summos Sacerdotes constituit.

III. Post Christum natum Judas Ischariotes ante Simonem Magum non quidem Spiritum Sanctum emere ausus fuit, sed Christum Dei filium detestabili scelere pecuniâ vendidit. Tales habuit Simon suæ hæresis præformatores; dignæ propterea, ut in ipso & aliis Apostolico anathemate damnaretur, & subsequenti-

bus seculis Ecclesia repetitis canonibus execraretur. Unde in Gratiani Decreto Causa 1. qu. 1. c. 11. sic statutum legitur: *Qui studet donum Dei pretio mercari, in sacro Ordine nullâ ratione de cætero permanere aut revocari posse, dubium non est. Talis à communione omnibus modis abscindatur. Nam Spiritus Sancti donum pretio comparari, quid aliud est, quàm capitale crimen & simoniaca hæresis? Quod quàm detestabiliter in utroque Testamento vindicatum sit, multorum exemplis facilè apparet. Giezi gratiam sanitatis Naaman Syro vendidit; eandem gratiam sanitatis Eliseo vindicante leprosus factus amisit. Judas omnium Redemtorem vendidit, mox laqueo suspensus eamdem Redemtoris gratiam non obtinuit; & meritò, quia nemo potest retinere quod vendidit. Simon etiam Magus, cùm eandem Spiritus Sancti gratiam emere vellet, damnationis sententiam à Petro audivit* „ Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecuniâ possideri „. *Dominus etiam ut vendentes & ementes hujus gratiæ expertes ostenderet, cunctos peccatores per gratiam in templo dimisit; singulariter vendentes & ementes increpans & flagellans, de templo ejecit: in quo venditores & emtores suos gratiâ Spiritus Sancti constat destitutos esse & vacuos. Quos enim Christus ejecit de templo, numquid Spiritus Christi faciet sibi templum?* Ad hæc Divinæ indignationis exempla, quis simoniacam pestem non exhorreat, ejusque vel umbram non fugiat?

IV. Altera Simonis hæresis fuit Magia, & quidem dæmoniaca, ex qua *Magi* nomen accepit: diversâ tamen significatione ac adoratores Christi; nam hi *Magi* appellantur, non quia Malefici, sed quia sapientes Astrologi, ut probabilius sensi tom. 4. p. 1. c. 11. §. 2. At Simon eâ Magiâ infectus erat, quæ dæmonis arte inducta ad homines decipiendos præstigiis & incantationibus æmulari conatur vera miracula, quæ Deus per servos suos operatur. Hâc ergo fretus Simon, postquam vidit, se Spiritus Sancti dona consequi non potuisse, totum se dæmoni dedit, ejusque ope mirabiliter incautis cœpit illudere, abominationes sub nomine mysteriorum proponens. Hinc ut suos magìs alliceret, promiscuam docebat libidinem, & mysteria quædam spurcitiæ viros inter & mulieres, quæ recensere modestia vetat. Hæc autem mysteria vitæ esse dicebat & perfectissimæ cognitionis, nullumque salutem consequi posse, nisi obscœna illa didicisset. Ita S. Epiphanius hæres. 21. S. Irenæus L. 1. cap. 20. (modò 23.) ubi ait de Simonianis: *Igitur*, inquit, *horum mystici Sacerdotes libidinosè quidem vivunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum. Amatoria quoque, & agogima* (adlectantia) *& qui dicuntur paredri* (dæmones assistentes ad occulta exploranda ex Tertulliano de Anima

cap. 27.)

cap.27.) *& oniropompi* (vana turpia turbida somnia immittentes) *& quæcumque sunt alia perierga* (curiosa, seu superstitiosa) *apud eos studiosè exercentur*. Hæc, & alia narratu indigna, erant quæ Simoniani vocabant mysteria. Additque Irenæus: *Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis, & Helenæ in figuram Minervæ; & has adorant.*

§. IV.

De Lege Mundo & Prophetis.

I. Tertia Simonis hæresis erat, Legem non à Deo sed à sinistra quadam Intelligentia latam fuisse. Quare duos Deos finxit, unum malum & hunc auctorem Legis Mosaicæ, alterum bonum; & ab isto se descendisse dicebat, ut à Deo malo homines liberaret. Ex hoc impuro fonte emerserunt successivè plures apud Christianos Polythei, quos recensui & confutavi Tomo I. hujus Operis cap. 6. quò Lectorem mitto. Interea Simonem sic arguit Epiphanius hæres. 21. „ Quomodo Mundus potest Dei boni non „ esse, quando ex ipso omnes boni permutati sunt? Quomodo „ verò fuerit sinistra virtus, quæ in Lege ac Prophetis locuta est, „ cùm de adventu Christi boni Dei prædixerit, & mala omnia in„ terdicat? Quomodo autem non fuerit una Deitas, & idem spi„ ritus novi ac veteris Testamenti, quando Dominus dixit: Non „ veni solvere legem, sed implere? Et ut ostenderet, quòd Lex „ ab ipso annuntiata esset & per Moysen donata, Evangelica „ verò gratia per se ipsum & adventum suum in carnem prædica„ ta esset, dixit Judæis: Si Mosi crederetis, crederetis utique „ mihi, ille enim de me scripsit. „ Veriùs ergò Simon dixisset, à conficto Deo suo malo, idest dæmone, se ipsum missum, ut legem sanctam Dei doctrinæ suæ impuritatibus ac præstigiis contaminaret.

II. Quarta Simonis hæresis fuit, Mundum non esse à Deo factum, sed ab Angelis, quos per Helenam primam suæ mentis conceptionem ipse creaverat: qui tamen postea in ipsam conjurarunt, & ne in Cœlum ascenderet, in varia muliebria corpora eam transformarunt; ideoque ad eam velut ovem deperditam liberandam se è Cœlo descendisse, & sub humana specie se occultasse, & propter eam apparenter fuisse passum. Fabulam ita refert Theodoritus L. hæret. fab. cap. I. *Eam* (Helenam) *esse primam suæ mentis comprehensionem dicebat, & matrem omnium nominabat, & se per ipsam Angelos & Archangelos fecisse; ab Angelis autem mun-*

mundum esse architectatum: Angelos verò ei invidentes ipsam apud se detinuisse asserebat. Dolebant enim, inquit, se ejus dici opera aut effecta. Qua de causa eam quoque in multa muliebria corpora introduxerunt, atque adeò in ipsam etiam Helenam, propter quam Trojanum bellum gestum est. Propter eam quoquè se ipsum dicebat descendisse, ut ipsam ab eis impositis vinculis liberaret, & hominibus per ejus agnitionem salutem præberet. Mutatum autem descendisse, ne ab Angelis, qui Creatoris opificium administrant, cognosceretur, & in Judæa tanquam hominem apparuisse, cùm non esset homo, & passum esse, cùm non esset passus.

His plures insanas blasphemias Simon adjungebat. Se ipsum faciebat Deum: Helenam impurissimum scortum sui virtutem ac intelligentiam, per quam fecerat Angelos & Archangelos qui mundum hunc condidere; sed malè habentes se per mulierem factos, eam per diversa muliebria corpora transmigrare fecerunt; donec ipse misertus descendit, sub specie hominis & patientis ne ab eis nosceretur, ut eam liberaret. Ita iste nebulo ea quæ de Christo fides docet suis mendaciis contaminabat, sibi propter suam Helenam arrogans, quod Christus pro liberando à captivitate dæmonum homine verè præstiterat. Illum propterea tanquam mendacem & sibi contradicentem S. Epiphanius Hæref. 21. ita redarguit: *Quomodo verò rursùs erro ille propriarum nugarum oblitus se ipsum redarguit, velut ignorans quæ prædixit? Quum enim dixerit, quòd ab ipso facti sunt Angeli per ipsius intelligentiam, rursus dixit, se transformatum esse per singulos cælos, ut lateret ipsos in descendendo. Num igitur ipsos timens latebat? Et quomodo timebat nugator Angelos, quos ipse fecit? Quomodo verò non omnibus prudentibus seminium erroris ipsius confutatu facile comperietur, quando in principio fecit Deus cælum & terram, inquit Scriptura? Et concinnè ad hunc sermonem Dominus in Evangelio dicit, velut ad Deum Patrem proprium: Pater Domine cæli & terræ? Si igitur Creator cæli & terræ est Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, omnia frustra à Simone calumniatore dicta sunt, & hoc quòd ab Angelis mundus in imminutione factus est, & omnia alia, quæ insanus ille erro mundo obloquens exposuit, & fraudem quibusdam ab ipso deceptis induxit.* Ita Simonem perstringit Epiphanius.

III. Quinta Simonis insania fuit, Prophetas fuisse à malis Angelis inspiratos, eorumque ministros; ac proinde nihil illis adfuisse veritatis: nec à bono, sed à malo Deo inspiratos, seu veriùs arreptos, fuisse locutos, ideoque nullam eis fidem præstandam esse. Hoc confirmare intendebat alium suum errorem, de quo supra, nimirùm Legem à malo Deo esse, & eripere veritatem oraculis,

lis, quæ de Christo Prophetæ prænuntiaverant, & quibus Christus ipse in sui testimonium usus fuerat. Errorem istum ab Ethnicis hauserat Simon; quorum aliqui, eò quòd unum Deum pronunciarent, Prophetas despiciebant: *Prophetæ* (inquit Lactantius L. 1. Divin. Inst.cap.4.) *qui fuerunt admodum multi, unum Deum prædicant, unum loquuntur, quippe qui unius Dei spiritu pleni, quæ futura essent pari & consonâ voce prædixerunt. At enim veritatis expertes non putant his esse credendum, illas enim non divinas sed humanas voces fuisse ajunt; videlicet, quia de uno Deo præconium faciunt, aut insani aut mendaces fuerunt. At quin impleta esse in plerisque quotidie eorum vaticinia videmus, & in unam sententiam congruens divinatio docet non fuisse furiosos: Quis enim mentis emotæ non modò futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit?* &c. Ex quo itaque Prophetæ omnes vera semper pronuntiaverint, & cohærentia vaticinati fuerint, licèt non simul & eodem vixerint tempore, sed in diversis & maximè distantibus temporibus, benè infert Lactantius, eos non sinistrâ virtute, non fanatico spiritu, aut humanâ voce fuisse locutos.

Et prosequitur: *Num ergo fallaces erant qui talia loquebantur? Quid ab his tam longè alienum fuit, quàm ratio fallendi, cùm cæteros ab omni fraude cohiberent? Idcirco enim à Deo mittebantur, ut & præcones essent majestatis ejus, & correctores pravitatis humanæ. Præterea voluntas fingendi ac mentiendi eorum est, qui opes appetunt, lucra desiderant; quæ res procul dubio ab illis sanctis viris absuit: ita enim delegato sibi officio functi sunt, ut derelictis omnibus ad tutelam vitæ necessariis, non modò in futurum, sed ne in diem quidem laborarent contenti extemporali cibo, quem Deus subministrasset.* Quibus fallacia doctrinæ Simonis apparet, qui adeò execrabili divitiarum cupiditate flagrabat, ut Spiritum Sanctum pecuniâ emere tentarit, quò ipsum aliis majori lucro vendere posset. Quare non Prophetæ, sed ipse à malis Angelis, seu veriùs à dæmone arreptus mendacia effundebat. Mali enim spiritus & sinistræ virtutes mendacia magis dicere solent, quàm veritates aperire, & ut decipiant non ut instruant loquuntur.

IV. Hoc ex responsis datis Ethnicis sanè compertum est, dum Oracula seu veriùs dæmones consulebant, sive per augures, sive per avium volatus, sive per inspectionem sacrificiorum, sive per sortes, sive per somnia, aut quævis alia ejus generis signa. Unde Eusebius L.5. Demonstr. Evang. in prooemio ostendit, malos spiritus dæmonesque fuisse eos, qui in Oraculis aliisque memoratis signis responsa dabant: *Ex eo quod priscis temporibus in omni loco, & Civitate ac regione humanæ illis victimæ sacrificarentur: item ex*

eo quòd rerum futurarum ignoratione sciscitantes deciperent, & quòd in mendacio milliès ac millièrs deprehensi sunt, modò quidem apertè & palàm, modò verò ipsorum Oraculorum ambiguo sermone, per quem eos qui ad se confugissent plurimis sæpissimè malis atque incommodis involvisse convicti sunt: necnon quod jam antea demonstratum sit, illorum genus fœdum immundumque esse, ex eo quod obscœnis ac lascivis, quæ de ipsis feruntur, canticis gaudere consueverint: item hymnis ac fabulosis narrationibus, historiisque inhonestis ac perniciosis, quas quòd contra se ipsos ratas habuerint, & tanquam veras comprobaverint jam planè redarguti sunt &c. Contra verò longo discursu probat, Moysen cæterosque Prophetas verò Dei spiritu fuisse locutos, ex materia ipsa de qua vaticinati sunt, ex doctrina quam in eorum vaticiniis tradiderunt, & vitâ quam fuere professi. Videat modò Simon, & judicet; quinam malo spiritu afflati locuti sint, an Prophetæ Dei qui vera vaticinati sunt, quorum vitæ sanctitas sanctitati doctrinæ respondit: an potiùs ipse qui incantationibus ac præstigiis impura ac obscœna miscebat, eaque suis tanquam divina dogmata proponebat.

§. V.

Errores circa opera bona & mala.

I. NIhilominus in sua cæcitate persistens asserebat (& hæc erat 5. ejus hæresis) credentem veteri Testamento ejusque Legi, mortem subire: contra verò eos qui Lege ac minis ejus contemtis, in ipsum ac Helenam suam spem haberent, liberam faciendi quæ vellent habere potestatem, & salutem consequi: non enim per bona ópera, sed per gratiam salutem esse consecuturos. His omni sublatâ lege, ac bonis operibus eliminatis, amplam ad omne scelus impunè patrandum viam suis aperiebat: unde Theodoritus L. 1. cap. 1. citatis: *Quocirca*, inquit, *qui ejus sectæ erant se audacter omni libidini & intemperantiæ dedebant, & omni incantationum & præstigiarum genere utebantur, amatoria quædam & pellicentia machinantes, & quæcumque alia sunt incantationum & præstigiarum propria tanquam divina mysteria prosequentes, & cùm ejus quidem statuam in Jovis figuram construxissent, Helenæ autem in Minervæ speciem, eis thura adolebant, & tanquam Deos adorabant, Simonianos se ipsos nominantes.*

II. Hinc disce, Lector, ex qua schola primò prodierit Lutheri & sui gregis aliorum doctrina, dicentium, bona opera nihil conferre ad salutem, sed solam spem ac fiduciam; contra quos fusè

egi

egi in Vera Ecclesia tom.1. c.13. §.1. & tom. 2. p.1. toto art.8.; & tom.3. in 1. 2. de Justific. q.2. dub. 2. Licèt autem moderni Sectarii in hoc à Simonianis differant, quòd salutem ponunt in spe ac fiducia in Christum, Simoniani autem eam ponebant in spe in Simonem & Helenam, conveniunt tamen in hoc, quòd bona opera & Legis observatio nihil conferant ad salutem; contra Christi sententiam qui Matth.19. v.17. adolescenti ipsum interroganti; *Quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* non respondit ei: Crede, fiduciam habe, & spem in me; sed: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: Quænam autem essent ista mandata declaravit dicens: *Non homicidium facies*: *Non adulterabis* &c. quæ mandata moralia legis sunt. Errorem ergo contrarium rejicere volens S. Augustinus L.de Fide & operibus c.14.ait: *Quamobrem jam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne malâ securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere fidem putaverint; benè autem vivere, & bonis operibus viam Domini tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam subobscuris sententiis Apostoli Pauli, hoc cum quidam arbitrati sunt dicere* „ Faciamus mala, ut veniant bona „. Et infra: *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ apostolicæ Epistolæ Petri Joannis Jacobi Judæ contra eam maximè dirigunt intentionem; ut vehementer adstruant, fidem sine operibus non prodesse: sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet fidem quà in Deum creditur, sed eam salubrem planèque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt* „ Et fides, *inquit*, quæ per dilectionem operatur, „ (Gal.5. v.6.) *Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse ad salutem asseverat, ut dicat* (1.Cor.13. v.1.) „ Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, Caritatem autem non habeam, nihil sum „: *Ubi autem fidelis caritas operatur, sinè dubio benè vivitur*, „ Plenitudo *enim* legis caritas, „. (Rom.13.v.10.) His Augustinus errorem & Simonis & aliorum sive recentiorum hæreticorum contundit.

III. Primus ergo omnium docuit Simon, Irenæo teste L.1. c.20. (modò 23.), liberum hominibus esse agere quæ vellent, nec legis minas timere debere, quia secundùm ejus gratiam, non per opera justa salvantur. Quia cum se ipsum Christum faceret, & gratiâ Christi salvari homines annuntiarent Apostoli; ideò dicebat, ad salutem sufficere in eum spem ponere, cujus gratiâ & non alterius salvari quis posset. Quia audierat ab Apostolis prædicari, ex fide non ex operibus homines salvari, putans sola fide salutem dari, opera bona rejiciebat. Hic autem error ei placebat; quia sibi & suis viam sternebat ad impunè in omnia scelera, quasi omni lege solu-

solutis, prolabendum; sicque plures hac vivendi libertate ad sui sequelam traheret: quod ei ad votum evenisse superiùs indicavi, & maximè quia indifferenter utendi feminis ad omnem turpitudinem suis permittebat. Addi etiam potest, Simonem bona opera despexisse, quia putabat præcepta de iis exercendis à malo Deo & malis Angelis mundi opificibus data esse, ut homines servituti subjicerent, à quorum imperio se suos discipulos liberaturum pollicebatur.

IV. Quamvis autem totâ suâ doctrinâ se Angelorum, seu, ipse ajebat, Principatuum hostem acerrimum protestaretur, eis tamen cultum idololatricum præstandum esse docebat, ac eis serviendum teste Tertulliano de Præscript. cap. 33. ubi ait: *Simonianæ autem magiæ disciplina Angelis serviens, utique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.* Et Epiphanius Hæresi 21., post exposita mysteria turpitudinis, quæ Simon suis præscripserat, ait: *Idem etiam nomina quædam supponit Principatuum & Potestatum, cœlosque diversos tradit, & in unoquoque firmamento ac cœlo virtutes quasdam exponit, & nomina barbarica bis indit. Non posse verò aliter servari aliquem, nisi hunc mysticum ductum didicerit, & talia sacrificia patri universorum per eos principatus ac potestates offerre.* Hoc autem non quia aliquid speraret ab eis, vel per eos quos ut hominum inimicos habebat: sed ut eos flecteret ac emolliret, ne hominibus nocerent in hac vita, ac ne eis post mortem regressum ad patrem universorum impedirent. Quibus apparet, quàm diversus fuerit cultus, quem Simon exhibebat Angelis, ab eo quem iisdem exhibent Catholici: ille enim erat cultus *servitutis* tanquam mundi opificibus turpibus sacrificiis exhibitus & verè idololatricus: Iste est cultus *honoris*, tanquam Dei servis ac ministris ad eorum intercessionem coram Deo & assistentiam implorandam. Ille est, quem Paulus damnat ad Coloss. 2. v. 18. dicens: *Nemo vos seducat... in religione Angelorum*, quâ scilicet hæretici illius temporis, relicto Christo unico Mediatore, adorabant Angelos, velut quædam Numina sacrificiis & oblationibus, & mundi conditores ac primarios rectores. In hoc autem sensu Angelos Catholici non venerantur. Sed hæc hujus loci non sunt.

V. Septimò effutiebat Simon seu veriùs blasphemabat, Deum esse causam omnium malorum etiam culpæ, ac homines naturâ ad flagitia ruentes necessitate peccare. Ita Vincentius Lirinensis in Commonit. num. 24. *Quis*, inquit, *ante Magum Simonem apostolicâ districtione percussum.... auctorem malorum, idest scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum?*

Deum? Quippe quem asserit talem hominem manibus ipsam suis creare naturam, quæ proprio quodam motu, & necessariæ cujusdam voluntatis impulsu, nihil aliud possit nihil aliud velit nisi peccare; eo quòd furiis vitiorum omnium exagitata & inflammata, in omnium turpitudinum barathra inexhaustâ cupiditate rapiatur. Et meritò dicit neminem ante Simonem hanc protulisse blasphemiam; nam & ipsi Philosophi ethnici & maximè Plato hoc detestati sunt; Lib. enim de Republica versùs finem Plato ait: *Nonnè bonus ipse Deus est, & ita profitendum? procul dubio. Atqui nullum bonum noxium est, an non? nullum, ut arbitror. Quod innoxium est, numquid nocet? Nequaquam. Quod non nocet, numquid malum facit? Ne hoc quidem. Quod autem nihil mali facit, nullius est mali causa*. Idem asserit in Parmenide, ostendens Deum nullam mali habere ideam. Et Salustius L. de Diis & Mundo c. 12. ostendit, malum peculiarem naturam non habere, sed fieri solùm ex absentia boni: *sed quânam ratione*, inquit, *cùm Dii boni sint omniaque ipsi faciant, mala sunt in Mundo? At primum dici istud oportet, cùm Dii boni sint & omnia faciant, mali nullam esse naturam, sed ex boni absentia fieri, quemadmodum tenebræ ex se ipsæ non sunt, sed ex absentia luminis oriuntur.*

VI. Multò autem magis mala moralia auctorem Deum habere non possunt, sed ex absentia ipsius & recessu ab ejus infinita sanctitate fieri dicenda sunt; quomodo enim iniquitatum auctor esse poterit Deus qui eas vetat vindicat & severè punit? unde Paulus Rom. 3. v. 5. ait: *Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? (secundùm hominem dico) Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc Mundum?* Sed Simoni intererat talem sibi fingere Deum, qui in se malus esset, & ad quæcumque flagitia homines necessitate impelleret: cùm enim ipse adeò turpia doceret, & ad ea implenda suos incitaret, ut ab eis horrorem excuteret, aliud tegumentum habere non poterat, quàm eos impiâ hâc deceptione continere, dicendo: ad hæc omnia Deum eos excitare imò & compellere. Sed hæc turpia dimittamus iterum audituri.

§. VI.

Error de Trinitate Christo & Resurrectione.

I. Octavò: adhuc in Deum impius, negabat in Deo esse tres personas re ipsâ personaliter distinctas; quo facem præbuit Sabellio & aliis Patropassianis. Hæc hæresis ex ejus doctrina sequebatur; cùm enim spargeret, se esse magnam Dei virtutem, & ex supernis descendisse apud Samaritas ut Patrem, in

Judæam ut Filium, & super Apostolos ac alias gentes ut Spiritum Sanctum, consequens erat ut negaret, Patrem Filium & Spiritum Sanctum tres esse Personas realiter distinctas. Hunc errorem in Sabellio, & proinde etiam in Simone, ex Scripturis confutat S. Hilarius L. 2. de Trinit. num. 23. his verbis: *Patrem & Filium, si audet Sabellius, eumdem prædicet, & ipsum illum esse qui utrumque est nuncupatus, ut cum eo unus sit ambo, non unum: audiet statim de Evangeliis, non semel atque iterum sed frequenter* (Matth. 17. v. 5.) „ Hic est Filius meus dilectus, in quo benè complacui „. *Audiet* (Jo. 14. v. 28.) „ Pater major me est „. *Audiet* (ibidem v. 12.) „ Ego vado ad Patrem „ & (Jo. 11. v. 41.) „ Pater gratias tibi ago „ & (Jo. 17. v. 5.) „ Clarifica me Pater „ & (Matth. 16. v. 17.) „ Tu es filius Dei vivi „. Ita Hilarius in Sabellio Simonem perstringit.

II. Nonò: ex hac hæresi aliam trahebat, nempè (ut sæpiùs indicavi) Christum verè non venisse, nec realiter passum sed putativè tantùm & imaginariè. Hoc indicant S. Irenæus L. 1. cap. 20. modò 23., Tertullianus de Præscr. c. 46., Philastrius Hæres. 29., & S. August. L. de Hæres. c. 1.: ubi ait, Simonem dixisse, *Se in Monte Sina Legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii persona putativè apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse, Christum autem nec venisse nec à Judæis quidquam pertulisse*. Quibus ea quæ de Christo dicebantur, in se putativè & apparenter impleta fuisse asserebat.

III. Decimò: Resurrectionem carnis futuram esse negabat. Hunc errorem hauserat à Sadducæis, qui inter Judæos in eodem errore versabantur, quos confutavi Tomo 16. Theolog. Tract. de fine mundi q. 3. Dub. 1. Resurrectionem futuram Gentiles quoque Philosophi negabant: unde cum Paulus Act. 17. v. 32. Athenis præcipuâ Philosophorum sede prædicans, inter alia de Christo dixisset, eum à mortuis suscitatum fuisse; refert Lucas ibi: *Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum*. Homines enim carnales Sacramenta Dei nescientes, capere non poterant, quomodo corpora jam in pulveres redacta, vel igne consumta vel à bestiis vorata, in integrum possent restitui: de eis enim S. Augustinus L. 22. de Civit. Dei c. 12. *Cùm*, inquit, *aliud vertatur in pulverem, in auras aliud exhaletur; sint quos bestiæ quos ignis absumat; naufragio vel quibuscumque aquis ita quidem pereant, ut eorum carnes in humorem putredo dissolvat; non mediocriter permoventur, atque omnia recolligi in carnem & redintegrari posse non credunt*. Propterea autem Simon & alii carnis resurrectionem negabant, quia eam contra naturam corporum esse putabant.

IV. Pla-

IV. Plato tamen in Timæo eam agnovisse visus est: ut enim refert Eusebius L. 11. Præpar. Evang. c. 33. ait: *Quòd enim puerorum in naturam senes redeant huic verò cohærens & affine est, ut ex mortuis ac terrâ consepultis coalescentes denuò reviviscentesque nonnulli novam conversionem sequantur, ortu simul ipso contrarium in orbem revoluto*. Et cap. 35. ex eodem Platone narrat de quodam nomine Ere viro forti, qui in bello occisus „ Elatis cæterorum cadaveri„ bus post decimum diem jam corruptis, solus absque vitio repor„ tatus domum est. Ibi sepeliendus cum esset, die ab interitu „ duodecimo rogo jam impositus revixit „. Refert autem idem Plato, præfatum Erem postea enarrasse, quòd ejus anima à corpore egressa in locum admirabilem devenerit, ubi hiatus terræ duo admodum vicini extarent, quibus adversi totidem sursum in Cœlo responderent, inter quos judices considebant, qui re diligenter excussâ, probos jubebant ad dexteram per viam Cœlum conscendere; improbos verò ad sinistram abire ad inferos: quibus visis ad homines iterum amandatum fuisse, ut nuntiaret ea omnia quæ viderat. Ecce ex Platone argumentum Resurrectionis Judicii, & pœnæ aut præmii post mortem. Plutarchus quoque apud eundem Eusebium cap. 36. refert de quodam Heracleone à mortuis suscitato. Hæc, si vera sunt, potentia Dei operata fuit inter gentes ut à malis eas revocaret. Hoc certum est, Platoni & Plutarcho non fuisse prorsùs ignotam mortuorum resurrectionem.

§. VII.

Error de Animabus & Martyrio.

I. Undecimò: asserebat Simon, animas de uno corpore in aliud transire. Hoc puto eum somniasse ut fabulam de sua Helena firmaret, quam dicebat, in varia muliebria corpora transmigrasse, ut adversantium Angelorum insidias declinaret; quam insaniam irridet Tertullianus L. de Anima cap. 34.. Errorem istum ex schola Pythagorica prodiisse communis sententia est; ut enim Democrito Epicuro & aliis volentibus animas cum corporibus nasci & cum corporibus interire, sese opponerent, dicebant Pythagorici, animas non nasci cum corporibus, sed potiùs de uno corpore transmigrare in aliud. Ita Lactantius L. 3. Div. Instit. c. 18. *Cùm timerent*, inquit, *argumentum illud, quo colligitur, necesse esse ut occidant animæ cum corporibus quia cum corporibus nascuntur; dixerunt, non nasci animas, sed insinuari potiùs in corpora; & de aliis in alia migrare. Non putaverunt aliter fieri posse, ut superſint ani-*

mæ post corpora, nisi videantur fuisse ante corpora. Hunc errorem adoptarunt postea Hæretici Manichæi, Albanenses, Albigenses, & alii qui dicebant, animam hominis secundùm ejus meritum per diversa transire corpora, etiam animalium & serpentum si malè vixisset, si verò probè, in alicujus principis vel alterius illustris personæ corpus transmeare.

II. Hanc animarum de corpore in corpus transmigrationem impugnant Patres. Irenæus L. 2. cap. 58. (modò 33.) ita contra Platonem discurrit: Dum anima transit de uno in aliud corpus deberet meminisse eorum, quæ antea in alio corpore gesserat. nam sicut soporati hominis & requiescente corpore anima quæcumque apud se videt & in phantasmate agit, memoriâ plerumque retinet & communicat cum corpore; imò & post plurimum temporis, quæ per somnium quis vidit vigilans annuntiat: *Sic utique reminisceretur & illorum, quæ antequam in hoc corpus veniret egit. si enim hoc, quod in brevissimo tempore visum est, vel in phantasmate conceptum est ab ea sola per somnium, postquam commixta sit corpori & in universum membrum dispersa commemoratur; multò magis illorum reminisceretur, in quibus temporibus tantis & universo præterita vitæ seculo immorata est*.

III. Videns Plato, se vi hujus discursus premi, effugium hoc cogitavit, dicens, quòd anima dum in novum corpus immittitur, ab eo qui est super introitum dæmone, priusquam in corpus intret potatur poculo oblivionis. Sed in hoc sibi contradicere, ostendit Irenæus his verbis: *Si enim oblivionis poculum potest, posteaquam ebibitum est, omnium factorum obliterare memoriam, hoc ipsum unde scis, ò Plato, cùm sit nunc in corpore anima tua, quoniam priusquam in corpus introeat à dæmone potata est oblivionis medicamento? Si enim dæmonem & poculum & introitum reminisceris, & reliqua oportet cognoscas: si autem illa ignoras, neque dæmon verus, neque artificiosè compositum oblivionis poculum* (est).

At quia alii dicebant, ipsum corpus oblivionis poculum esse, Irenæus insurgit sic: Si corpus oblivionis poculum est; quomodo eorum, quæ anima vidit per semetipsam in somno, memoriam corpus non delet sed diu etiam reminiscitur & cæteris nuntiat? Si ea quæ anima egit sine corpore, accedente operatione corporis, memoriâ caderent, nequidem ea quæ olim agnovit sive per oculos sive per auditum anima in corpore existens memoriâ retineret, sed simul atque ab inspectis abesset oculus, omnia corpore memoriâ delerentur, cùm corpus ipsum esset oblivio; unde fieret quod in tali oblivione existens nil aliud cognoscere posset, nisi quod in præsenti videret, quod falsissimum esse quisque experitur.

Non

Non ergo corpus oblivionem efficit animæ eorum, quæ visa sunt, sed anima docet corpus, & participat ei illa quæ vidit. non enim est fortius corpus quàm anima, sed ab ea spiratur vivificatur augetur: & anima non possidetur sed possidet, & principatur corpori: ejus quidem velocitas dum est in corpore retardatur, scientiam tamen non amittit: *Corpus enim* (inquit Irenæus) *organo simile est; anima autem artificis rationem obtinet. Quemadmodum itaque artifex velociter quidem operationem secundùm se adinvenit, in organo autem tardiùs illam perficit propter rei subjectæ immobilitatem; & illius mentis velocitas admixta tarditati organi temperatam perficit operationem: sic & anima participans suo corpori, modicùm quidem impeditur admixtâ velocitate ejus corporis tarditate, non amittit tamen in totum suas virtutes; sed quasi vitam participans corpori, ipsa vivere non cessat. Sic & de reliquis ei communicans, neque scientiam ipsorum perdit, neque memoriam inspectorum.*

Unde concludit: *Si itaque nullius præteritorum meminit, sed existentium scientiam hìc percipit; non igitur in aliis corporibus fuit aliquandò, neque egit quæ nequidem agnoscit, neque novit quæ quidem neque videt; sed quemadmodum unusquisque nostrum suum corpus per artem Dei sumit, sic & suam habet animam.* Hactenus ex Irenæo contra animarum Transmigrationem generaliter.

IV. Hoc errore deceptus Plato (ut refert Plutarchus ad finem Marii) dicere solebat, se gratias agere naturæ primùm, quod homo natus esset potiùs quàm mutum animal: deinde quòd mas potiùs quàm femina, quòd Græcus quàm Barbarus: postremò quòd Atheniensis, & quod temporibus Socratis. putabat enim juxta suam de transmigratione sententiam, potuisse nasci vel brutum animal vel feminam vel barbarum, si anima ejus, sicut in suum migraverat corpus, ita migrasset in corpus bruti vel feminæ vel barbari: ideòque deridet eum Lactantius L.3. Inst. cap.19. dicens: *Ego planè contenderim, nunquam quidquam dictum esse in rebus humanis delirius; quasi verò si aut barbarus aut mulier aut asinus denique natus esset, idem ipse Plato esset, ac non illud ipsum quod natus fuisset.* Deinde ostendens transmigrationis Vanitatem & Impossibilitatem: *Vanum*, inquit, *quia necesse non fuit veteres animas in nova corpora inducere, cùm idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit semper novas facere: Impossibile, quia rectæ rationis anima tam immutare naturam status sui non potest, quàm ignis aut deorsùm niti, aut in transversum, fluminis modo, flammam suam fundere. Existimavit igitur homo sapiens, fieri potuisse, ut anima, quæ tunc erat in Platone, in aliquod mutum animal includeretur, essetque humano sensu prædita ut intelligeret, ac doleret, in congruenti se corpore oneratam.* Dein-

Deinde eum arguens quòd se natum fuisse Athenis & Socratis temporibus gloriaretur: *Quantò saniùs*, inquit, *faceret, si gratias agere se diceret, quòd ingeniosus quòd docilis natus esset, quòd iis opibus ut liberaliter erudiretur? nam quòd Athenis natus est, quid in eo beneficii fuit? An non plurimi extiterunt in aliis civitatibus excellenti ingenio atque doctrinâ viri, qui meliores singuli, quàm omnes Athenienses fuerunt? Quanta hominum millia fuisse credamus, qui & Athenis nati & temporibus Socratis, indocti tamen ac stulti fuerunt? non enim aut parietes aut locus, in quo quisque est effusus ex utero conciliat homini sapientiam. Quid verò attinuit, Socratis se temporibus natum gloriari? Num Socrates ingenia discentibus potuit dare? Non venit in mentem Platoni, Alcibiadem quoque & Critiam ejusdem Socratis assiduos auditores fuisse, quorum alter hostis patriæ acerrimus fuit, alter crudelissimus omnium tyrannorum?* Hæc Lactantius.

V. Hanc animarum Metempsycosim etiam ad brutorum corpora dicit S. Augustinus L. 10. de Civit. Dei cap. 30. Porphyrio displicuisse, eam tamen ad humana corpora admisisse. quem propterea deridens S. Doctor: *Puduit*, inquit, *illud credere, ne mater fortasse filium in mulam conversa vectaret: & non puduit hoc credere, ubi revoluta mater in puellam filio forsitan nuberet*. Deinde ad veram de hoc fidem tenendam monens ait: *Quantò creditur honestiùs, quod sancti & veraces Angeli docuerunt, quod prophetæ Dei spiritu acti locuti sunt, quod ipse quem venturum Salvatorem præmissi nuntii prædixerunt, quod missi Apostoli qui orbem terrarum Evangelio repleverunt? Quantò, inquam, honestiùs creditur, reverti semel animas ad corpora propria, quàm reverti toties ad diversa?* Quibus firmat CatholicamFidem de unica ac generaliResurrectione, quâ animæ semel ad propria corpora revertentur, ut vel debitas pœnas qui mala egerunt, vel promerita præmia qui benè, in æternum consequantur.

VI. Duodecimò tandem asserebat, licitum esse urgente persecutione Christum ore negare, & ad idola genua flectere. cùm enim ex dictis assereret, Christum reverà non venisse nec passum esse sed putativè tantùm, discipulos suos docebat, non teneri cum vitæ dispendio ipsum confiteri, sed posse indifferenter etiam idolis thus adolere. Testatur hoc Origenes Lib. 6. contra Celsum (novis. edit. num. 11.) dicens: *Quamquam Simon quidem, ut plures ad se adjungeret, mortis periculo, quod Christiani subire docti fuerant, suos discipulos liberaverit; siquidem doceret, idololatriam rem esse nec bonam nec malam*. Contra hunc errorem fusè egi Tom. 1. in 2. 2. Qu. 4. de actu externo Fidei Dub. 2. §. 3. & Dub. 3.

quò

quò Lectorem mitto. De hoc videndus est Tertullianus in Scorpiaco, quod adversùs Gnosticos simili errore laborantes scripsit & Cyprianus L. de Exhortatione Martyrii. unde Ecclesia antiqua severâ admodum disciplinâ processit adversùs eos qui verbo vel facto Christi fidem negassent, ut de Libellaticis & aliis apud Cyprianum maximè videre est: sed de hoc sermo erit etiam infra.

§. VIII.

Simonis discipulus Menander. ejus hæresis & exitus.

I. Simonis Discipulos recenset Theodoritus L. 1. Hær.fabul. c.1. his verbis: *Ex hac etiam amarissima radice exorti sunt Dosithiani, Cleobani, Gorthení, Masbothei, Adrianistæ, Eutychistæ, Canistæ. Sed ii omnes cùm impiæ sectæ parvas quasdam mutationes excogitassent, non diù durarunt, sed oblivioni omninò traditi sunt.* Alii aliis nominibus eos nuncupant, ut apud Ittigium de Hæresiarchis cap.3.; sed hæc ad rem non faciunt.

Præcipuus tamen Simonis ejusque hæresis sectator fuit Menander & ipse Samarites; qui Simone extincto ejus errores circa ann. Christi 74. Vespasiani autem 3. reviviscere fecit. Magiæ & ipse deditus erat, & præceptore suo majorem se jactabat, aliqua de suo addens vel mutans. non se quidem dicebat esse Divinam virtutem, hanc enim esse omnibus incognitam ajebat; sed esse se servatorem ad hominum salutem missum, & ad ejiciendos à dominatione Angelos mundi conditores: & ad hoc quemdam baptismum excogitaverat, quo abluti vitam immortalem consequerentur. Ita S. Irenæus L.1. c.23. (aliàs 20.) *Hujus* (nempe Simonis) *successor fuit Menander Samarites genere, qui & ipse ad summum magiæ pervenit. Qui primam quidem virtutem incognitam ait omnibus, se autem eum esse, qui missus sit ab invisibilibus salvatorem pro salute hominum. Mundum autem factum ab Angelis, quos & ipse similiter ut Simon ab Ennoja* (idest intelligentiâ vel cogitatione) *emissos dicit. Dare quoque per eam quæ à se doceatur magiam, scientiam ad id ut & ipsos qui mundum fecerunt vincat Angelos. Resurrectionem enim per id, quod est in eum baptisma, accipere ejus discipulos, & ultra non posse mori sed perseverare non senescentes & immortales.*

II. Eadem ferè Epiphanius dicit contra Hæreses cap. 22., qui Menandrum aliquo tempore Simonis discipulum fuisse dicit. Theodoritus quoque L. 1. Hæret. fab. c. 2. de eo dicit: *Menander autem, qui ipse quoque fuit Samaritanus ex Chabrai* (vel Caparetajas

ut

ut vult Justinus Apol. 2.) *qui dicebatur vico profectus, illius quidem (Simonis) excepit præstigias; se autem non primam nominavit potentiam, dicebat enim eam cognosci non posse, sed ab illa se missum esse jactitans, se ipsum servatorem appellavit. Similiter autem ac Simon dicebat fuisse Angelos à mentis comprehensione productos, & eos mundum esse fabricatos. Servari autem eos, qui in ipsum baptizabantur, & potentiores effici etiam in hac vita, & potestatem accipere ut mundi effectrices potestates possent facillimè superare.* Justinus etiam Apol. 2. pag. 69. postquam de Simone locutus fuit: *Deinde*, inquit, *Menandrum quemdam & ipsum Samaritanum in vico* Caparetajâ *ortum Simonis discipulum, & à dæmonibus ipsum quoque agitatum, Antiochiæ multos arte magicâ seduxisse scimus, qui sectatoribus etiam suis minimè morituros esse persuasit. Suntque adeò nunc quoque ab eo reliqui nonnulli, qui hoc sic profitentur.* Quibus indicat Justinus, Menandrum errorem suum Antiochiæ spargere cœpisse: quod confirmat S. Ignatius Martyr Episcopus Antiochenus in sua ad Trallianos Epistola, in qua eos monet ut Menandrum fugiant.

III. Quæ ex Irenæo & Justino de Menandro dixi, colligit Eusebius L. 3. Hist. c. 26. his verbis: *Simonis Magi successor Menander, diabolicæ pravitatis alterum telum priore illo nequaquam inferius semetipsum ac mores suos præstitit. Hic quoque Samarites ad summam magicarum artium peritiam perinde ac magister progressus, pluribus adhuc & absurdioribus figmentis exuberavit. Nam se ipsum quidem servatorem esse asserebat, ad hominum salutem ex Ævis quibusdam invisibilibus ab alto destinatum. Neminem verò ajebat ipsos mundi conditores Angelos posse superare, nisi qui priùs magicâ disciplinâ à se institutus, & baptismo quem ipse tradebat institutus fuisset. Quem baptismum quicumque suscipere meruissent, eos perpetuam in hoc seculo immortalitatem adepturos affirmabat: non ampliùs morti obnoxios, sed hìc in ævum permansuros, juvenes semper atque immortales futuros; atque hæc quidem ex Irenæi libris licet cognoscere. Sed & Justinus similiter, postquam de Simone retulit, de Menandro quoque subjungit hæc verba: Menandrum item quemdam Samaritanum ex vico Caparrattæa oriundum, discipulum Simonis, dæmonum stimulis agitatum Antiochiam venisse, atque ibi plurimos arte magicâ delusisse novimus; qui etiam sectatoribus suis persuaserat, ipsos nunquam esse morituros. Et ex illius disciplina adhuc supersunt nonnulli, qui idem profitentur.* Ita Eusebius.

IV. Hunc Menandri baptismum homines immortales facientem deridet Tertullianus lib. de Anima c. 50. dicens: *Publicâ totius humani generis sententiâ mortem naturæ debitum pronuntiamus. Hoc stipulata est Dei vox, hoc spopondit omne quod nascitur, ut jam hinc*

hinc non Epicuri stupor suffundatur negantis, debitum istud ad nos pertinere, sed haeretici magi Menandri Samaritani furor conspuatur dicentis, mortem ad suos non modò non pertinere, verùm nec pervenire. In hoc scilicet se à suprema & arcana potestate legatum, ut immortales & incorruptibiles, & statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma ejus induerint. Ac recensitis mirandis nonnullis aquarum generibus, quæ homines vel ebrios vel lymphaticos reddere dicuntur: memoratâ etiam stygiâ palude, quâ mortem dilui poetà finxit, in qua tamen Thetys filium suum planxit lotum, ait: *Quamquam si Menander in stygem mergit, moriendum erit nihilominus, ut ad stygem venias: apud inferos enim dicitur. Quænam & ubinam ista felicitas aquarum, quas nec Joannes baptizator præministravit, nec Christus ipse discipulis demonstravit? Quid hoc Menandri balneum? Comicum* (vel magicum) *credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi laveut? Suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi atque tutissimi sacramenti.* Inde ostendens magiæ tantum dari non posse, ut à morte eximat, concludit: *Ubi sunt illi quos Menander ipse perfudit, quos in stygem suam mersit? Apostoli perennes veniant, assistant, videat illos meus Thomas, audiat, contrectet & credat.* Ita Menandri fictum baptismum Tertullianus sugillat.

V. Deliria quidem erant hæc à Simone & Menandro, seu veriùs à dæmone adinventa ad alliciendos incautos, ac turpissimos quos promulgabant errores vanis promissis obtegendos. Hinc Lector consideret quanto in periculo vera Christi Fides ac Religio tunc versaretur. Vix nata, præter Judæos & Gentiles hostes infensissimos sed apertos, habuit etiam in Simone & Menandro Antichristos, qui sub mendaci Christiani nomine veritates ejus à fundamentis evertere, & magicis præstigiis atrociores blasphemias obtegere conabantur. Jus supremi omnium Conditoris Deo eripiebant, illud malis Angelis tribuentes; Deum legis veteris auctorem Deum malum fuisse, Prophetas non à Deo, sed à malis Angelis inspiratos effutiebant: Jesum Christum verè descendisse, verè pro hominibus passum negantes, totum hoc sibi ipsis arrogabant; solâ eorum gratiâ sine ullis bonis operibus homines salvari asserentes viam amplam præbebant quibuscumque enormitatibus se impunè commiscendi, quarum omnium Deum auctorem, imò & ad eas necessitantem faciebant. Resurrectionem carnis tollebant, idololatriam rem indifferentem esse prædicabant, aliaque fatu indigna quasi mysteria proponentes magicis artibus ac præstigiis, ea sub Christiano nomine induebant. Quis ad tanta Christianæ veritati adhuc lactenti suffocationem non timuisset? Jure inquit Eusebius

L.3. Hist. cap.26. *Fuit hoc diabolicæ calliditatis commentum, ut per maleficos homines Christianorum nomen falsò sibi vindicantes, magnum illud religionis nostræ sacramentum magicæ artis infamiâ aspergeret, & Ecclesiastica dogmata de animorum immortalitate, ac de mortuorum resurrectione ludibrio exponere omnibus modis conaretur. Sed isti quidem qui ejusmodi servatores sibi asciverant, spe veræ salutis penitùs exciderunt.*

VI. Atque ita evenit. Simoni quidem Mago, qui ut dixi Tom.5. c.1. §.11. postquam variis illusionibus Romanos dementaverat, adeò ut ab eis ut Deus haberetur, dum magico volatu per aera sursum ferebatur, à suo dæmone derelictus præcipiti lapsu miserè vitam cum æterna morte commutavit: quod licèt Ittigius de Hæresiarchis sect.1. c.2. n.8. in dubium revocet constanter tamen affirmant veteres, Arnobius L. 2. adv.Gentes, Cyrillus Jerosf. Catech.6. Ambrosius L. 4. Hexameron. cap. 8. Sulpitius Severus L.2. c.41. Hegesippus L. 3. de Excid.urb. Jerosf. c.2. S.Augustinus L. de Hæres. c.1. Imò Ugo Grotius tom.3. Opusc. in 2. ad Thessal. c. 2. ubi verba illa Pauli v. 8. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus* &c. dicit & probat ex prælaudatis Patribus convenire Simoni Mago, quem Jesus interfecit *spiritu oris* sui, nempè Petri, Apostoli enim sunt *os Christi*, & maximè Petrus qui post acceptum Spiritum Sanctum primus omnium verba Jesu locutus fuit.

Quis autem fuerit Menandri exitus, ignoratur. Hoc certum est, eum mortuum fuisse, nec baptismo suo, eam quam jactabat ipsum aut suos adeptos fuisse immortalitatem. Utriusque hæresis, extinctis ejus auctoribus, in paucis & parvo tempore continuavit. Tempore Origenis vix triginta Simonianos extitisse ait ipse L.1. contra Celsum num.57. *Nunc verò non arbitror in toto Orbe reperiri posse triginta Simonianos. Ac fortè plures dixi, quàm reverâ sunt.* Imo L. 6. contra Cels. n. 11. ait: *Nusquam gentium videntur nunc Simoniani.* Eusebius tamen L.2. Hist.c.1. dicit, suo tempore fuisse aliquos qui teterrimam Simonis sectam profitebantur, qui tamen detecti ab Ecclesia ejecti fuere. Sed puto, Eusebium non loqui de ipsa pura secta Simonis, sed de quibusdam ramusculis, qui ex illa pestifera radice in alias posteriores hæreses puta Gnosticorum pullularunt, ut infra videbimus. Eadem Menandrianæ hæresis fors fuit, quæ Epiphanii ætate deleta erat: sic enim hæres. 21. ait: *Quare intelligitis vos, vetus quidem esse hoc, & quod nunc non ampliùs reperitur, sed deletum est. Quemadmodum etiam hæc hæresis penitus fuga-*

fugata est. Et habuit quidem contradictionem à nobis, ipsa verò per potentiam Christi deleta est.

VII. Quod hîc de Simoniana & Menandriana hæresi Epiphanius dicit, omnibus hæresibus infra referendis accidit. Magno quidem impetu Catholicas veritates invaserunt, ut eas penitùs deleturæ simplicibus viderentur: sed potentia Christi, quæ in persecutionibus infidelium Ecclesiam suam non deseruit, sed potius, ut ostendi, gloriosiorem eam reddidit & auctiorem: ita Evangelicam veritatem permisit errorum tenebris quasi obscurari, ut magis examinata in clariori lumine collocaretur, atque ex suis inimicis utilitatem consequeretur. Hoc in se ipso expertum se fuisse, testatur Augustinus L. 7. Confess. c. 19, dicens; *Ego autem aliquantò posteriùs didicisse me fateor, in eo quod Verbum caro factum est, quomodo Catholica veritas à Photini falsitate dirimatur. Improbatio quippe hæreticorum facit eminere quid Ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina. Oportuit enim & hæreses esse, ut probati manifesti fierent inter infirmos* (1. Cor. 11. v. 19.)

§. IX.

De Dositheo.

I. HUnc censent aliqui errorem suum effudisse ante Simonem Magum, quem ejus volunt fuisse discipulum. Eis favere videntur tum Origenes L. 1. contra Celsum num. 57., ubi Dositheum ante Simonem ponens, & post Theudam & Judam Galilæum ait: *Post Jesu tempora voluit & Dositheus quidam Samarita suis persuadere se esse Christum, quem Moyses prædixerat, visusque est nonnullos sibi suâ doctrinâ conciliare.* Tum Hippolytus apud Photium cod. 121. qui suum de hæreticis syntagma à Dositheanis auspicatur. Eulogius etiam apud eumdem Cod. 230. Dositheum seu Dosthonem facit Simoni Mago coætaneum, dicitque, se prædicasse, Christum à Moyse prædictum in Divinos Prophetas fuisse maledicum, sibi divinitatem arrogasse, resurrectionem negasse, ejusque alios errores fuisse in Synodo sub ipso Eulogio coacta proscriptos imperante Marciano: quæ an vera sint, dubitatur; maximè quòd hæc Synodus ab Eulogio Alexandrino Episcopo coacta fuerit imperante Marciano, cum Eulogius non sub Marciano sed sub Mauritio vixerit.

II. Observandum tamen est, præter istum Dositheum Simonis Magi coævum, ante Christi adventum alium fuisse Dositheum pariter Samaritam, de quo S. Epiphanius in Panario L. 1. hæres. 13.

quæ est 4. inter hæreses Samaritanas, ubi dicit, origine Judæum fuisse, & in eorum scientia valdè doctum: sed cùm apud Judæos in nonnulla æstimatione haberetur, declinavit ad Samaritas, & apud eos sectam produxit: cujus professores resurrectionem confitentur, ab animatis abstinent, ex ipsis quidam continent se à nuptiis postquam in nuptiis vixerunt: alii etiam virginitatem servant, circumcisionem & Sabbatum observant, & neminem tangunt eo quòd omnem hominem abominentur, jejunia quoque servare traduntur. Sectâ hac constitutâ, cùm in speluncam secessisset, ac simulatâ religione in jejunio perstitisset, voluntariâ etiam panis & aquæ inopiâ mortuus est. Post dies autem aliquot cùm ad eum visitandum aliqui venissent, repererunt (ut fertur) corpus ejus fœtidum, ita ut vermes ex ipso proriperent & muscarum nubes circa ipsum congregata esset.

III. Hunc idem S. Epiphanius hæresi 14. (quæ est prima Judaismi) putat hæresis Sadducæorum auctorem extitisse. Qui se tales nuncupabant à *Justitia* nomen sumentes. *Sedec* enim justitiam significat, vel à quodam Sacerdote nomine *Saduc*. Vocantur autem ab Epiphanio *avulsio à prædicto Dositheo*: quia non perseverarunt in magistri sui doctrina: reprobarunt enim resurrectionem mortuorum, eadem cum Samaritis sentientes; rejiciebant Angelos, quos Samaritæ non reprobant, in cæteris cum Samaritis sentiebant: non erant tamen Samaritæ sed Judæi: nam Jerosolymis sacrificabant, & in reliquis cum Judæis conveniebant. Hoc idem confirmant Tertullianus L. de Præscript. cap. 4. dicens: *Taceo enim Judaismi hæreticos, Dositheum, inquam, Samaritanum, qui primùm ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu Sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresim etiam resurrectionem carnis negare.* Et S. Hieronymus in Dial. contra Lucifer. ubi sic ait: *Taceo de Judaismi hæreticis, qui ante adventum Christi legem traditam dissiparunt: quòd Dositheus Samaritanorum princeps prophetas repudiavit: quòd Sadducæi ex illius radice nascentes etiam resurrectionem carnis negaverunt.*

IV. Ad hunc Dositheum referri fortè possunt ea quæ ex Auctore Chronici Samaritani Abram Ecchellensis ad cap. 40. Catalogi Hebed Jesu notavit, quod narrat Ittigius in Append. ad Caput 1. sect. 1. nempè „ hunc Dositheum S. Scripturæ Textum Samaritanum corrupisse, ejusque discipulos ea quæ ipse scripserat & mutaverat servasse: Summum verò Pontificem, cùm id rescivisset, nepotem suum Levi & decem alios misisse, qui captum Dositheum unà cum adulterato Codice ad se adferrent, & hos quidem, cùm Dositheum in hospitio suo non invenissent, simulatâ

Dosi-

„ Dosithei amicitiâ, mulierculam ædium illarum hospitam rogasse, ut legis codicem à Dositheo emendatum sibi communicaret, illamque id se facturam promisisse, si in piscina, quæ ibi erat, priùs lavissent, eoque facto eos illicò, quasi vi quadam impulsos, in Dosithei sententiam atque hæresim omnes abiisse. Addit ulteriùs, Pontificem, ubi id comperit, irâ inflammatum alios misisse, qui apostatam Levi & socios neci darent, & Codicem afferrent igne comburendum. Verùm uno Levi excepto, qui pugnando occubuit, cæteros fugâ dilapsos Codicem secum abstulisse: quin & postea indusium occisi proprio sanguine fœdatum unâ cum Codice in arca quadam condidisse, nec ulli hæc cimelia nisi exacto septem dierum jejunio conspicienda præbuisse. Dositheum autem in montem quemdam se contulisse, ibique delitescentem fame & siti periisse „. Hæc ultima verba de morte Dosithei fame & siti consumti consonant cum iis quæ ex Epiphanio retuli: ideoque de Dositheo seniore præcedente adventum Christi totam hanc narrationem intelligendam esse censeo.

V. Alium tamen Dositheum Juniorem & hunc Samaritam Christi & Apostolorum temporibus, & Simoni Mago coævum admittere nos cogunt testimonia veterum. Nam præter Origenem, Hippolytum & Eulogium supra allatos, hoc contestari videntur Hegesippus apud Eusebium L. 4. Hist. cap. 11. ubi de Theobute loquens: *Qui erat*, inquit, *ex septem hæresibus in populo constitutis. Ex quibus erat Simon, à quo Simoniani, Cleobius, unde Cleobiani, & Dositheus, unde Dositheani*. Vigilius item Tapsensis in Dial. adv. Arianos assignans causam quæ movit Apostolos ad vocandos omnes suos discipulos Christianos, ait: *Quia multi novorum dogmatum auctores extiterunt, doctrinæ obviantes Apostolicæ, omnesque sectatores suos discipulos nominabant, nec erat ulla nominis discretio inter veros falsosque discipulos, cùm sive qui Christi, sive qui Dosithei, sive Cephæ, sive Theodæ, sive Judæ cujusdam, sive etiam Joannis sectatores uno discipulorum nomine censerentur: tunc Apostoli convenientes Antiochiam, sicut eorum, Lucâ narrante, indicant Acta, omnes discipulos novo nomine, id est Christianos, appellarunt*. Quibus apparet Dositheum fuisse unum ex illis, qui Apostolorum tempore errores suos spargebant.

VI. Quòd si fidem Auctori Lib. Recognitionum libet præstare, audiemus L. 2. cap. 8. Dositheum post decollatum Baptistam suæ hæresi exordium dedisse his verbis: *Interfecto enim, ut scis & ipse, Baptistâ Joanne, tùm Dositheus hæreseos suæ inisset exordium cum aliis triginta principalibus discipulis & unâ muliere, quæ Luna vocata est*,

est, unde & illi triginta, quasi secundùm Lunæ cursum, in numero dierum positi videbantur. Simon hic malæ, ut diximus, gloriæ cupidus, accedit ad Dositheum, & simulatis amicitiis exorat, ut si quando aliquis ex illis triginta obiisset, in locum defuncti se continuò subrogaret: quia nempè statutum numerum excedere apud eos nefas erat, neque ignotum aliquem inserere, aut nondum probatum: unde & cæteri studentes digni loco ac numero fieri secundùm sectæ suæ instituta placere per omnia gestiunt: quò possit unusquisque ex his, qui illum numerum sequuntur, cùm fortè aliquis ut diximus decesserit, dignus videri, ut in locum defuncti substitui debeat. Igitur Dositheus à pluribus ob hoc exoratus, ubi locus intra numerum factus est, introduxit Simonem. Ex his apparet Simonem fuisse Dosithei discipulum.

Verùm quomodo Simon principatum supra eundem Dositheum obtinuerit, idem Auctor c. 11. ostendit dicens: *Interim in initio cùm adhuc inter triginta Dosithei discipulos* (Simon) *haberetur, cœpit ipsi Dositheo derogare, tanquam qui non integrè, nec perfectè doceret: idque eum non invidiâ facere, sed inscientiâ. Verùm Dositheus, ubi sibi derogari sensit à Simone, verens ne opinio sua obscuraretur apud homines, qui putabant, ipsum esse stantem, furore commotus, cùm ad scholam solitò convenissent, virgâ correptâ, verberare Simonem cœpit, & repentè per corpus ejus quasi per fumum visa est virga transire, super quo obstupefactus Dositheus ait ad eum: dic mihi, si tu es stans, ut adorem te. Cùmque Simon respondisset: Ego sum: Dositheus videns se non esse stantem, cecidit, & adoravit eum, & Simoni quidem dedit principatum suum, ipsique obedire omnem triginta virorum ordinem jubet; semetipsum verò in locum Simonis statuit, & non multò post defunctus est.* Quæ omnia si vera sunt satis demonstrant, Dositheum hunc juniorem semel admissum sectam suam instituisse ac vitâ excessisse ante prædicatum Evangelium, ac proinde inter Judæos & Samaritas, non inter Christianos sectam instituisse, cùm nec constet, eum baptismum suscepisse, ut de Simone constat: ideoque primum, qui Christianæ doctrinæ puritatem turpiter hæresi inquinavit, fuisse Simonem Magum. Quòd si Evangelio per orbem publicato adhuc supererant Dositheani, vel isti Judæi erant, non Christiani: vel cùm ex dictis etiam principatum in secta Dosithei Simon obtinuerit, factum fuit, ut quidam adhærerent magis Dosithei dogmati quam Simonis, & hi vocarentur Dositheani, alii verò Simoni unicè addicti, & vocarentur Simoniani. Quomodocumque res fuerit, mihi tutius est sequi Epiphanium, Philastrium, Augustinum, Theodoritum, aliosque Veteres ponentes Simonem Magum inter hæreticos Christianos primum, quàm Ittigio paucisque Recentioribus, ponentibus ante ipsum Dositheum, adhærere.

CA-

CAPUT II.

De Saturnino & Basilide.

§. I.

Saturnini errores.

I. SI ordo temporis spectaretur, de Nicolaitis Cerinthianis Ebionitis &c. agendum esset; certum enim est, istos Saturninum & Basilidem tempore præcessisse. Verùm quia hi duo de schola Simonis, & præcipuè Menandri prodierunt, quasi utriusque progenies, priusquam ad alias hæreses divertamus, de istis priùs agemus cum Irenæo L. 1. c. 24. aliàs 22. Epiphanio Philastrio Augustino & Theodorito, ut sic faciliùs appareat, hæresim ab illis prius conceptam & partam ab istis continuatam & propagatam, cum aliqua tamen diversitate fuisse, ut dicam. Hinc Epiphanius laudatus post enarratam Simonis & Menandri hæresim: *Ex iis*, inquit, *Saturninus, qui fuit ab Antiochæa, quæ est apud Daphnem, & Basilides occasiones accipientes distantes doctrinas ostenderunt*. Eusebius L. 4. Hist. cap. 7. ait: *Igitur ex Menandro illo, quem Simonis successorem fuisse supra retulimus, exorta venenata quædam bestia bilinguis ac biceps duarum hæreseon inter se discrepantium duces constituit; Saturninum domo Antiochenum & Basilidem Alexandrinum*. Epiphanius item Hæres. 23. *Post hunc* (Menandrum) *Saturninus quidam surrexit, & ipse illinc, à Menandro inquam & prioribus occasionibus acceptis. Hic in Syria habitavit, hoc est, Antiochiâ ad Daphnem sitâ .... Duo enim hi sodales ac condiscipuli fuerunt Basilides & Saturnilus*; ubi quem alii *Saturninum*, Saturnilum ipse nuncupat. Theodoritus etiam L. 1. Hæret. fab. in Menandro: *Eum*, inquit, *cùm habuissent magistrum Saturnilus & Basilides; ille quidem Antiochiam, quæ est propè Orontem fluvium, patriam esse suam prædicans, Basilides verò Alexandriam, & Magistro & sibi invicem repugnantes fabulas confinxere. Uterque autem fuit tempore Adriani Cæsaris*. Nec mirum, si & à Magistro & inter se invicem discordes fuerint discipuli: nam sicut qui ex Deo loquuntur ùnum ac idem sapiunt, quia veritas una est: ita è converso qui à Deo & veritate recedunt, in varias & invicem contrarias vias abire coguntur.

II. Saturninus ergo seu Saturnilus, de quo hìc agimus, patriâ Antiochenus fuit, & patriam suis fœdavit erroribus. Primò enim

Pa-

Patrem ignotum Angelos ac virtutes fecisse dicebat, & ab istis conditum fuisse Mundum. In hoc tamen à Simone & Menandro dissentiebat, quòd ubi illi Mundum ab omnibus Angelis conditum asserebant, iste solos septem Angelos mundi fabricatores agnoscebat, qui mundum in septem partes dividentes, unicuique ex istis suam partem gubernandam distribuerunt, ac unum ex illis septem Deum Judæorum esse asserebat Saturninus. Hunc autem asseruisse, illos septem Angelos fabricatos fuisse Mundum præter conscientiam Dei Patris, refert S.August. L.de Hær.c.3., ubi plures insanas Saturnini narrat blasphemias. Deum enim jure creatoris spoliat, ut illud tribuat creaturis à Deo factis: nec omnibus sed solis septem. At cur non aliis? fortè quia audierat in Scripturis mentionem sæpe fieri de septem Angelis, ut Tobiæ 12.v.15. *Ego enim sum Raphael Angelus unus ex septem, qui adstamus ante Dominum*, quod repetit Joannes in Apoc. cap. 1. & 8. At in Scripturis hi septem Angeli describuntur stantes ante Dominum velut ministri ad ejus mandata excipienda parati, non velut Mundi conditores, quod soli Deo legitur reservatum Gen. 1. Accedit, quòd hi septem Angeli vel condiderunt Mundum Deo sciente ac volente, vel Deo nesciente ac nolente, & præter conscientiam ejus, ut ex Augustino dixi. Si primum. Ergo Angeli non fuerunt auctores sed ministri Dei in conditione Mundi, quia effectus non tribuitur ministro seu instrumento, sed principali; sic gladius non est causa cædis, sed qui aggressus est. Si verò secundum. Qualis est iste Saturnini Deus, qui nec scivit nec potuit impedire id quod nolebat ab Angelis ab ipso factis fieri? Sed hoc argumentum urgebo statim ex Epiphanio Hæres. 23.

III. Dicebat secundò Saturninus, eosdem septem Angelos fecisse hominem. Ratione enim cujusdam lucidæ imaginis, quæ illis è cœlo apparuerat, & quam detinere apud se minimè poterant, ut eam apud se fixam haberent, ad hominem formandum fuisse excitatos, & dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem*, illius nempè lucidæ scintillæ. Sed cùm figmentum illud erigi non posset, aut quidquam agere, sed vermiculi instar se volutando per terram jaceret, Divinam virtutem ejus misertam scintillam vitæ in eum immisisse, quæ eum animavit erexit ac perfecit. Hanc porrò scintillam vitæ, quâ animam intelligebat, post dissolutionem corporis, ad cœlestem illam virtutem, à qua prodierat, ascendere non ampliùs reversuram asserebat, ideoque carnis resurrectionem & ipse negabat.

IV. Hanc insaniam eodem quo supra dilemmate repellit Epiphanius: hominem igitur fecerunt Angeli Deo inscio ac nolente, vel

vel conscio ac volente. Si primum; ignorantiam & impotentiam ponit in Deo: ignorantiam, quia quid facturi essent Angeli ab ipso facti ignorabat: impotentiam, quia quod nolebat fieri, impedire non potuit, sed potiùs ad opus ipso invito factum, & proinde pravum, scintillam suam immittendo opem tulit. Si verò secundum; ergo non Angeli hominem fecerunt, sed ipse per Angelos fecit. Quare concludit Epiphanius ad unum Creatorem Deum omnia sunt reducenda: *Deus enim Pater fecit hominem & omnia secundùm propriam voluntatem, & non Angeli, neque secundùm Angelorum consilium. Nam in eo quod dixit Deus, faciamus hominem, ad imaginem nostram dixit, & non ad imaginem simpliciter. Convocabat enim ad opificium suum coopificem Verbum suum & Unigenitum.... Non autem advocare solùm dixerim Filium, sed etiam Spiritum Sanctum. Verbo enim Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ipsius omnis virtus ipsorum.*

V. Dicebat tertiò: A principio duo genera hominum fuisse condita, unum bonorum, alterum malorum, ut quidam naturâ sint boni, alii naturâ mali. Vesania hæc ex Saturnini mente primò prodiit. Nam nec Philosophi nec Poetæ, quamvis circa formationem hominis variè erraverint, unquam tamen duo genera hominum, bonorum scilicet & malorum, ab exordio conditionis eorum, ut quidam naturâ sint boni, quidam naturâ mali, excogitarunt. Ex Genesi habemus Cap.1.& 2. unum hominem formatum à Deo, eique datam feminam adjutricem in propagationem; utrumque tamen naturâ bonum. Quod si peccando mali effecti sunt & peccatum suum transfuderunt in posteros, hoc naturæ non fuit, sed vitii voluntatis: unde S. August. L.12. de Civ. Dei cap.3. ait: *Sola mala nusquam: quoniam naturæ etiam illæ, quæ malo voluntatis initio vitiatæ sunt, in quantum vitiatæ sunt, malæ sunt, inquantum autem naturæ sunt, bonæ sunt.* Ideoque mali homines non dicuntur tales, quasi naturâ mali, sed quia voluntate mali: *Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat; & erant valdè bona.* Gen.1. v.31.

VI. Dicebat quartò: Deum Judæorum esse unum ex septem Angelis à summo Deo productis, qui ab eo deficientes Mundum condiderant ac inter se diviserant, & consequenter esse unam ex sinistris virtutibus: in quo cum Simone Mago conveniebat, qui, ut dixi, cùm assereret legem Judæorum esse malam, consequenter dicebat, eam latam fuisse à Deo malo & sinistrâ virtute, ac Deum Judæorum esse malum, à bono & vero Deo productum: cùm constet, Deum qui dedit Legem Moysi esse omnium sive quæ in Cœlis, sive quæ in terris sunt conditorem, & Deum qui legem dedit veterem, in nova lege Evangelii laudari. Huic insaniæ adjungens alteram

VII. Dicebat quintò: Salvatorem esse missum ad debellandum Deum Judæorum: non dicebat tamen, se esse hunc Salvatorem missum, in quo à Menandro magistro suo discrepabat. Verùm quomodo Salvator ad debellandum Deum Judæorum missus fuit, quem Deus ipse Judæorum promisit se missurum, quem de facto ipse misisset, & per quem locutus est? Nonne ad Hebræos c.1. v.1. dicit Paulus: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & secula?* Si idem Deus, qui locutus fuerat in Prophetis, locutus est in Salvatore, si Salvatorem vocat Filium suum: ergo Salvator non fuit missus ad debellandum Deum qui Judæis fuerat locutus, sed ad eum hominibus manifestandum & glorificandum, unde Joan.8. v. 54. Judæis Salvator dicebat: *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.* Deus ergo Judæorum erat Pater Christi Salvatoris, cujus gloriam quærebat, & à quo gloriam suam expectabat: non ergo hostis ejus erat, nec ad eum debellandum venerat. Sed ad alias ejus amentias exsufflandas transeamus.

VIII. Dicebat sextò: Salvatorem venisse ad opem bonis hominibus ferendam, malos autem profligandos. Hic error ex antecedentibus sequebatur, quia ponebat duo genera hominum, nempè naturâ bonos, & naturâ malos. Quia verò malis dæmones auxilio fuerunt, hujus gratiâ venit Salvator ad opem bonis hominibus ferendam, ad malos autem ac dæmones destruendos: porrò suæ sectæ homines bonos asserebat. Ita Epiphanius c. 23. Theodoritus L.1. Hær.Fab. in Saturnino, Irenæus L.1. c.22. Et quidem Salvatorem venisse ad debellandos dæmones, & ab eorum tyrannide humanum genus liberandum, dicit Paulus ad Coloss. 2.; nullam tamen faciens distinctionem bonorum & malorum, ad omnes ita loquitur à v.13. *Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: Delens quod adversùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Venit ergo Salvator pro omnibus etiam pro illis qui in delictis erant, neminem à salute excludens.

Mirum tamen, quòd Ittigius ac cæteri Protestantes, qui Saturnini errores percensent, & qui accuratissimi esse solent, istum reticuerint, cujus allegati Veteres meminerunt. Nisi fortè quis putet, eos propterea illum omisisse, ne videantur, inde errorem suum ebibisse, quo asserunt, Christum non pro omnibus, sed pro solis

Præ-

prædestinatis mortuum fuisse, cujus oppositum demonstrat Scriptura, quæ passim asserit, Christum mortuum esse pro omnibus, & maximè pro impiis; unde Paulus Rom. 5. v. 6. ut: *Quid enim Christus* (inquit) *cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur*. Et infra, dicit quòd sicut peccatum in omnes homines pertransiit, tam non prædestinatos quàm prædestinatos: ita gratia Christi in omnes superabundavit, concluditque v. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*.

IX. At quia non desunt hisce etiam temporibus Jansenii gregales contendentes, Christum non pro omnibus mortuum esse, licèt contra istos in Theologicis egerim, audire tamen non pigeat Chrysostomum qui Homil. 8. in Joann. ad illa Evangelii verba: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: exponens quomodo omnes homines illuminet, si non omnes homines justificantur, si non omnes homines glorificantur? ait: *Quoniam illuminat omnem hominem, nempè quantum est in ipso. Quod si aliqui mentis ultrò claudentes oculos, lucis illius radios excipere nolunt, non iis natura lucis obscurationem affert hujusmodi, sed improbitas potiùs eorum, qui se dono ipso suaptè voluntate privant. Etenim gratia ipsa in omnes diffunditur, non Judæum aversata, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non feminam, non juvenem, non senem, sed omnes similiter admittens, & cum eodem honore vocans. Qui autem tali dono potiri nolunt, jure sibimetipsis eam cæcitatem imputent* &c. Idem similiter dicit Homil. 16. in Ep. ad Rom. Idipsum Cyrillus Alex. Orat. 2. ad Reginas, & L. 1. in Joan. ubi similitudine à Sole expetitâ: *Quemadmodum enim*, inquit, *lux Solis omnibus oritur: At ex ea nihil utilitatis cæcus accipit: neque tamen propterea meritò splendorem Solis accusamus, sed in oculi morbum potiùs causam omnem referimus. Quippe eum illuminaret ille, lucem iste non recepit*.

Eandem veritatem fatentur Origenes L. 1. contra Celsum, Greg. Nazianz. Orat. 25., Ambrosius L. 3. de Officiis c. 3. in præfat. Libri de Spiritu S. Lib. de Joseph c. 7. & præcipuè in Psal. 118., ubi ad versum 64. ita loquitur: *Quomodo misericordiâ Domini plena est terra, nisi per passionem Domini nostri Jesu Christi?* Et paulò infra: *Plena est ergo terra misericordiâ Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes Sol oriri jubetur. Et hic quidem Sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem Sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideò autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem*

non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat. Ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat, non ideò Sol non ortus est omnibus, sed quia calore ejus se ipse fraudavit. Hactenus Ambrosius. Cui pluribus in locis accedit Augustinus L. de Catechizandis rudibus cap. 26. in Psal. 68. L. 2. de Symb. ad Catechum. c. 5. L. 6. contra Julian. cap. 4. L. de Spiritu & littera c. 33. & alii. Quæ omnia confirmat Paulus 1. ad Timoth. 2., ubi postquam indixit orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones *pro omnibus hominibus*, addens causam v. 3. ait: *Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire .... Qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus*. Quid ad hæc Saturninus? Quid Novatores?

X. Dicebat septimò: Matrimonium à Satana esse, ac proinde illicitum esse nubere. Hujus erroris primum auctorem fuisse Saturninum, scribit Theodoritus L. 1. Hæret. Fab. dicens: *Hic autem omnium primus Matrimonium doctrinam diaboli nominavit*. Estò enim Simon, Menander, & Nicolaitæ promiscuum feminarum usum admittentes, nuptias & matrimonium contemnerent, libidinis tamen exsaturandæ gratiâ cujuscumque feminæ liberum usum volebant. At iste studio fictæ castitatis omnem maris & feminæ concubitum damnabat, ac liberorum procreationem aversabatur. Quam hæresim amplexati fuere postea Tatiani, Severiani, Marcionitæ, Encratitæ, Manichæi, & Albanenses. Hanc hæresim fortè hauserat de schola Democriti & Epicuri: ille enim matrimonium & liberorum procreationem repudiaverat propter multas, quæ ab ipsis oriuntur, molestias, & quòd abstrahant ab his, quæ magis necessaria sunt; iste autem quia voluptati, & quietæ vitæ adversari putabat, teste Clem. Alex. L. 2. Stromat.

XI. At Matrimonium esse bonum & à Deo institutum, habetur ex Gen. 2. v. 18. Producto Adamo dixit Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Deinde ex una è costis ejus eductâ feminâ, nempè Evâ, eâque ad Adam adductâ dixit Adam v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ.* Ne autem dicat Saturninus, ex hoc Matrimonium esse malum, quia à Deo malo Judæorum institutum, audiat illud à Salvatore in Novo Testamento confirmatum Matth. 19. v. 14.; ubi interrogantibus, an liceat dimittere uxorem suam quacumque ex causa, respondit non licere; & causam adducens ad prælatum Genesis testimonium se convertit dicens: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & feminam fecit eos, & dixit: Propter*

hoc

hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una? Itaque jam non sunt duo, sed una caro: inde concludit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Ex quibus Epiphanius Hæref. 23. ita discurrit: *Quare ubique docet Salvator, Creatorem hominum Deum esse universorum .... Et quòd nuptiæ non ex Satana, sed ex Deo sunt, primùm quidem Dominus dicit* „ Quos „ Deus, *inquit*, conjunxit, homo ne separet „: *& rursùs Sanctus Apostolus* „ Venerandæ nuptiæ & lectus impollutus „. Hinc idem Paulus Saturnini & aliorum hæresim præveniens, ad Timotheum Ep. 1. cap. 4. v. 1. apostatas à Fide vocat eos qui nuptias erant prohibituri: *In novissimis*, inquit, *temporibus discedent quidam à Fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium .... prohibentium nubere* &c. & c. 5. v. 14. addit: *Volo ergo, juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse*.

XII. Matrimonium etiam comprobavit Christus in Lege gratiæ Jo. 2. cùm vocatus ipse cum Matre & Discipulis suis interfuit nuptiis. Unde Augustinus tract. 9. in Joann. *Quòd Dominus*, inquit, *invitatus venit ad nuptias, confirmare voluit, quòd ipse fecit nuptias: futuri enim erant, de quibus dicit Apostolus, prohibentes nubere, & dicentes, quòd malum essent nuptiæ, & quod diabolus eas fecisset*. Et infra: *Noverunt, quòd Deus fecerit nuptias; & sicut conjunctio à Deo, ita divortium à diabolo*. Et L. de Bono conjugali cap. 3. ait: *Bonum ergo conjugii, quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, non solùm quia prohibuit dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis, sed etiam quia venit invitatus ad nuptias*.

XIII. Dicebat octavò: Illicitum esse de animatis comedere. Et hoc ait Epiphanius, ut per simulatam suam vitam plures ad suam sectam alliceret: quis enim non reputasset sanctum vitæ institutum, quod specie tenus abhorrebat à nuptiis, ut castitatem servaret, & cibos delicatiores rejiciebat, ut abstinentiam profiteretur? sed in utroque impius erat: quia nuptias ut malas & à Satana inventas damnavit, quas Deus instituit; & ab esu animatorum tanquam vetito suos arcebat, quem tamen Deus concessit. Et propterea utrosque ut deficientes à Fide proscribit Paulus 1. ad Tim. 4., nempè & prohibentes *nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Unde ad Coloss. 2. v. 16. *Nemo*, inquit, *vos judicet in cibo, aut in potu*.

XIV. Prætereundum hic non censeo id quod Ittigius Sect. 2. cap. 1. n. 3. Acatholicorum more Ecclesiæ Romanæ imponit, nempè à duarum hæresum præfatarum nota, & Pauli censurâ vix liberari

rari eam posse, dum & Ecclesiasticis Matrimonium interdicit, & omnibus certis temporibus esum carnium vetat. Sed hanc apertam esse calumniam nemo sanæ mentis non videt. Saturninus enim & alii similes post illum Nuptias generaliter damnarunt, quia eas malas esse, & à Satana inventas asserebant. Catholici autem eas non solùm bonas & à Deo institutas docent, sed à Christo ad dignitatem Sacramenti elevatas dicunt, quod Acatholici negant. Unde omnibus eas concedunt, & solùm ab eis volunt abstinere illos, qui cultui Divino totaliter se mancipant, ut liberiùs Deo soli vacare possint, moniti ab Apostolo 1. Cor. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Si enim in Lege Veteri, in qua Sacerdotes & Levitæ cùm nisi ex una Tribu assumerentur, & propterea ne deficeret Sacerdotium sine uxoribus esse non poterant, adhuc tamen ut liberiùs Deo vacare possent, à temporalium curâ eximebantur, sed eis populus necessaria ad victum ministrare jubebatur: unde 2. Paralip. 31. v. 4. Ezechias præcepit Populo habitantium Jerusalem ut darent partes Sacerdotibus & Levitis, ut possent vacare Legi Domini. Imò & dum per vices ministrabant, ab uxoribus etiam abstinere tenebantur. Ita in Nova Lege, in qua Sacerdotium non uni Tribui est alligatum, sed ex omni gente & populo Sacerdotes eligi possunt, & qui non per vices sed quotidie parati esse debent ministerio; congruum fuit, ut Ecclesia nedum à temporalium, sed & ab uxoris sollicitudine removeret, ut unicè solliciti quæ Domini sunt, divisi non essent. Sed rem hanc contra Jacobum Piceninum fusè pertractavi in Vera Ecclesia & Colloquiis Theologico-Dogmat.

XV. Nec minus calumniosum est alterum quod Protestantes impingunt Catholicis de Abstinentia à carnibus animantium, quasi in hoc sequerentur Saturnini & aliorum errorem damnatum. Nam hi non abstinent à carnibus & aliis quibusdam cibis perpetuò, sed certis temporibus ac diebus solùm; nec quia eos immundos putent, sed ut cibis debilioris nutrimenti utentes corpus castigent, & in servitutem redigant exemplo Pauli, & præcepto Ecclesiæ; quam qui non audierit, habendus est tanquam Ethnicus & Publicanus juxta dictum Christi Matth. 18. v. 17.: cui propterea potestatem ligandi & solvendi super terram tradidit, ac quidquid ipsa ligaverit ac solverit, ratum se in Cœlis habiturum promisit. Sicut ergo medico præcipienti, ne quis certo tempore utatur cibis, quos sanitati corporis judicat insalubres, quisquis parere tenetur quia naturæ lege tenetur homo vitam corporis tueri: ita & multò magis Ecclesiæ certo tempore vetanti certos cibos, ut vitæ & saluti animæ consulat, tenetur fidelis obedire.

XVI. Nec

XVI. Nec obstat, quòd Christus Matth. 15. v. 11. dicat: *Non quod intrat in os coinquinat hominem*. Et Paulus ad Coloss. 2. v. 10. *Nemo ergo vos judicet in cibo aut potu*. Alioquin sequeretur, quod nec cibus aut potus intemperanter sumtus coinquinaret hominem, nec homo comessationibus & ebrietatibus deditus corrigi & judicari deberet. Cùm tamen & Christus Lucæ 21. moneat: *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa*. Et Paulus Rom. 13. v. 13. æquè vetet, ne *in commessationibus & ebrietatibus* ambulent, ac *in cubilibus & impudicitiis*.

Vult ergo Christus indicare, quod intrat in os & in nutrimentum sumitur, per se & ex naturâ suâ non esse malum, nec hominem coinquinare; benè tamen quod procedit ex ore, & quæ exeunt de corde pravo, ut sunt cogitationes pravæ, homicidia, adulteria; & hoc ut corrigeret errorem Scribarum & Pharisæorum, qui de cibo & potu scrupulum sibi facientes, observantiam mandatorum Dei negligebant. Paulus autem expresse loquitur ibi de cibis & aliis observantiis legalibus, Festis, Neomeniis, quæ cum essent umbra futurorum, adveniente Christo cessarunt, sicut corpore præsente cessat umbra corporis. Si tamen Ecclesia ad bonum fidelium aliquid præcipiat, audiendam esse vult, & qui eam audire recusat, ut Ethnicum habendum esse declarat. Et Paulus Rom. 13. *Qui potestati*, inquit, *resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Cùm ergo Ecclesia in Conciliis congregata temperantiam à carnibus certis temporibus ad corporis macerationem injunxerit, & in medio ejus in nomine suo congregatæ, Christus adesse promiserit Matth. 18. 20. *Qui ejus ordinationi resistunt, Deo resistunt, sibi damnationem acquirunt*; nec doleant si tanquam Ethnici habeantur, cùm eam audire nolunt. Hæc sufficiant. Tum quia de hoc alibi locutus sum. Tum quia rei præsenti extranea sunt. Ideoque ad propositum revertamur.

XVII. Dicebat nonò Saturninus: ex Prophetiis alias dictatas fuisse ab Angelis Mundi conditoribus, alias verò à Satanâ, quem dicebat esse Angelum Judæorum Deo valdè adversarium; nullas verò à Deo. Ita Theodoritus, & ante ipsum Irenæus & Epiphanius, qui hunc errorem haustum ex schola Simonis Magi confutat, ostendens omnia quæ prænuntiata fuerant à Prophetis in veteri lege, impleta fuisse in Salvatore, & ab isto probata: dum ad gloriam suam in Transfiguratione demonstrandam, Moysen & Eliam Legis veteris Prophetas testes adhibere voluit, dum ad suum adventum confirmandum testimonia ex Prophetis passim adducebat, qui cùm à vero & bono Deo missus esset, ea certè non adhibuisset si à

Deo

Deo diverſo Prophetiæ illæ prodiiſſent, ſed illas potiùs tanquam falſas rejeciſſet. Meritò igitur S. Petrus Ep.2. c.1. v. 21. ait: *Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines*. Non negat quidem, falſos prophetas fuiſſe & fore: ſed ex iſtis fuiſſe Saturninum & alios Deum negantes aſſerit ibi c. 2. v. 1. dicens: *Fuerunt verò pſeudo-prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem, & multi ſequentes eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur*. Quibus S. Petrus prædixit Saturnini, aliaſque hæreſes, quas infra recenſebimus.

§. II.

Baſilides qui, quando fuerit, & de ejus filio Iſidoro.

I. BAſilidem teſte Philaſtrio inter Hæreſiarchas referunt multi, quia de Lege & Prophetis & Apoſtolis & Chriſto aliter ſentiens, Chriſtianæ veritatis jura violabat: ſive ut ait Euſebius in Chron. quia Gnoſticorum auctor fuit. Menandri diſcipulus & Saturnini ſodalis extitit. Uterque ergo (apud Epiphanium, hæreſ.23.) juxta proverbium, velut à vipera venenum mutuò accipiens, hæreſim conſtituit ac erexit, & malitiam quidem alter ab altero collegit, ſed in ea Baſilides ſodalem imò & magiſtrum ſuperare tentavit, ut videbimus. Perniciosſum tamen venenum & à talibus reptilibus profectum, per doctrinam Domini, velut per antidotum deſtructum ac diſſipatum fuit.

II. Primùm ergo Baſilides in Ægypto ſuæ impietatis ſcholam erexit, teſte Euſebio L.4.Hiſt. cap.7., & Epiphanio Hæreſ.24., ubi ait „ Baſilides igitur ut antea diximus in Ægyptum profectus, „ ibidem commoratus eſt. Inde in Proſopiticam & Athribiticam „ Præfecturam ſeceſſit, atque etiam in Saitica & Alexandriæ verſatus eſt, in Alexandrino agro, ſive Nomo. Sic enim Ægyptii „ cujuſque civitatis agrum ac circumjacentem regionem nominant „. Baſilidem auditorem fuiſſe cujuſdam Glauciæ, qui fuit interpres Petri, gloriabantur Baſilidiani. Ita enim Clemens Alexandr. L.7. Stromat. *Etiamſi*, inquit, *Glauciam ſibi adſcribat magiſtrum (ut ipſi gloriantur) qui fuit interpres Petri*.

III. Spiritu ſuperbiæ elatus fabulas, quas Menander præceptor & Saturninus condiſcipulus confingebant, tanquam viles contemnens, multò magis impias commentus eſt, ait Theodoritus: & Epiphanius Hæreſ. 24. „ Incipit quidem prædicare exceſſum, ſuper con-

„ condiscipulum suum præstigiatorem illum in Syria relictum, „ quò videlicet ea quæ super illum sunt enarrans, audientes amplius persuadere videretur, placareque ac congregare multitudinem super socium suum Saturninum, & de cætero imaginarias quasdam fabulationes differens ac distendens „ quas non solùm verbo, sed etiam (quod nemo hæreticorum fortè adhuc fecerat) scripto evulgare aggressus est. Refert enim Eusebius L.4. Hist. c.7. Basilidem suam doctrinam variis voluminibus scripto demandasse, ut sic faciliùs in varias Orbis partes transiret: contra quam Agrippa Castor eruditus illius temporis scriptor Apologeticum edidit: *Porro*, inquit Eusebius, *cùm eodem tempore plurimi Ecclesiastici viri patrocinium veritatis susciperent, & pro Ecclesiastica Apostolicaque doctrina disertissimè decertarent; nonnulli etiam assertiones suas scriptis proditas tanquam remedia ad præcavendas supradictas hæreses comparata posteris reliquerunt. Ex quibus pervenit ad nos Agrippæ Castoris scriptoris eâ ætate nobilissimi adversùs Basilidem confutatio, in qua hominis præstigiæ ac fraudes deteguntur. Dumque cuncta ejus arcana profert in lucem, quatuor & viginti libros ab illo conscriptos esse memorat*. Ita Eusebius. Hunc Agrippam Castorem inter illustriores illius temporis Ecclesiasticæ veritatis defensores recenset S. Hieronymus L. de Script. Eccl. cap. 21.

IV. An verò viginti quatuor libri, quos Basilidem scripsisse refert Eusebius, ejus constituerint pseudo-evangelium, an fuerint in Evangelia commentarii, vel sui Evangelii expositiones, ignoramus. Fuisse in vera Evangelia falsos commentarios indicare videtur Eusebius. Hoc certum est, quòd Clemens Alexandr. L. 4. Stromat. paulò ante medium varia loca affert depromta ex vigesimo tertio libro Basilidis: *Basilides autem*, inquit, *in vigesimo tertio exegeticon de iis, qui martyrio puniuntur, his verbis hæc dicit*; & refert inde Basilidis verba. Æquè etiam certum est, Basilidem Evangelium suo proprio nomine inscriptum edidisse. Id enim testantur Origenes Homil. 1. in Lucam dicens: *Ausus fuit & Basilides scribere Evangelium, & suo illud nomine titulare*. Ambrosius item in procem. Lucæ: *Ausus est*, inquit, *etiam Basilides Evangelium scribere, quod dicitur secundum Basilidem*; Cujus etiam meminit S. Hieronymus præfat. in Matth.

V. De tempore, quo Basilides errores suos effundere cœpit, discordes invênio Auctores. Quidam solùm cœpisse putant Adriano imperante, cùm nullus Apostolorum aut virorum Apostolicorum superstes esset: moventurque primò ex Firmiliano Ep. ad Cyprianum num. 75.; qui Basilidem inter eos numerat, qui post Apostolorum ætatem adversùs Ecclesiam Dei sceleratis suis mendaciis

rebellarunt. Secundò ex Clemente Alexandr. L. 7. Stromat. qui Basilidis ætatem exprimens sub Adriano Ecclesiam turbasse dicit, cui consentit Theodoritus L. 1. Hær. fabul. in Menandro, ubi de Saturnino & Basilide dicit: *Uterque autem fuit tempore Adriani Cæsaris*. Tertiò ex Eusebio L. 4. Hist. c. 7. super quem Valesius in Notis „ Rectè porrò (inquit) Eusebius noster Basilidis hæresim „ principatu Adriani cœpisse dicit: tunc enim primùm hæretici „ ex latebris prodire, & caput attollere cœperunt, cùm Aposto- „ lis omnibus jam extinctis, opportunum sibi adesse tempus ad „ evulganda errorum suorum dogmata existimarent.

VI. Alii tamen (& fortè probabilius) censent, Basilidem quidem sub Adriano vixisse, scholas Alexandriæ habuisse, & sub eodem mortuum esse, antea tamen estò non tantâ impudentiâ hæresim suam evomuisse. Ita censet Baronius ad ann. 120. n. 15. Initia ergo Basilidianæ hæresis ad Apostolorum ætatem & Trajani tempora referenda videntur, de ea enim S. Ignatius qui sub Trajano passus fuit, meminit in Epist. ad Trallianos dicens: *Fugite autem & malas illius propagines, Simonem primogenitum illius filium, Menandrum, Basilidem, totamque ipsius malitiæ turbam*. Et superstite adhuc Sancto Joanne Apostolo præfatas hæreses erupisse, indicant ejus Epistolæ: prima quidem cap. 2. à v. 18., secunda verò v. 7. ubi ait: *Quoniam multi seductores exierunt in mundum. Qui non confitetur Jesum Christum venisse in carnem, hic est seductor & antichristus*. Erant ergo temporibus Apostolicis seductores, qui negabant Christum in carne venisse, & hunc errorem spargebant, in quo fuit & Basilides, ut dicam. Argumentum hoc prolixè tractavit Pearsonius in Vindiciis Epist. Ignatii c. 7. statuens, post Simonis mortem, quæ sub Nerone contigit, sub Vespasiano floruisse Menandrum, ejusque discipulos Saturninum & Basilidem sub Domitiano hæresim suam concepisse, sub Trajano prodidisse, sub Adriano denique particulares sectas condidisse. Pro qua firmanda sententia affert Hieronymum, qui in Dialogo adv. Luciferianos adnumerat Basilidem inter eos hæreticos, qui ætate Apostolorum eruperunt his verbis: *Apostolis adhuc in seculo superstitibus apud Judæam Christi sanguine recenti, phantasma Domini Corpus asserebatur. Galatas ad observationes legis traductos Apostolus iterum parturit. Corinthios resurrectionem carnis non credentes pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon Magus & Menander discipulus ejus Dei se asseruere virtutes. Tunc Basilides summum Deum Abraxas cum trecentis sexaginta quinque Æonibus commentus est* (& post alios subdit) *quorum plurimi vivente adhuc Joanne Apostolo eruperunt*.

Idem

Idem Pearsonius adjungit Joellem Chronographum, & Gregorium Abulpharajum, qui sub Trajani rebus Basilidem collocant, & Epiphanium, qui Hæref. 31. Ebionem & Cerinthum exiguo temporis spatio Basilidem antegressos refert: ibi enim de Valentino agens: *Valentinus iste*, inquit, *prioribus illis à me antea commemoratis tempore est posterior; Basilide nimirùm, Saturnino, Ebione, Cerintho ac Merintho, eorumque sociis. Siquidem omnes uno tempore ad humani generis exitum profusi sunt: quamquam Cerinthus ac Merinthus & Ebion paululum antegressi sunt*. Cùm ergo Ebion & Cerinthus Joanni Apostolo coævi fuerint, & Basilidem paululum sint ante egressi, certè hujus hæresis exordium ad Adriani tempora revocari non potest. Demum si verum est quod referente Clemente Alexandr. L. 7. Strom. jactabant Basilidiani, nempe Basilidem habuisse magistrum Glauciam S Petri interpretem, fortiùs constabit, ante Adrianum emersisse Basilidem.

VII. Tempore tamen Adriani decessisse Basilidem non diffiteor. Id enim asserit S. Hieron. L. de Script. Eccles. c. 21. ubi ait: *Mortuus est autem Basilides, à quo Gnostici, in Alexandria, qua tempestate & Cochebas* (lege Barchochebas) *dux Judaicæ factionis Christianos variis suppliciis enecavit*. Cum verò hoc Judaicum bellum cœperit anno 11. imperii Adriani & Christi 134., & anno 14. Adriani & Christi 137. finem habuerit, intra hoc tempus Basilides mortuus esse creditur, quamvis alii ad annum Adriani 17. ejus vitam protrahant. Sed in hujus nebulonis texenda historia tempus terere amplius non vacat.

VIII. Sciendum tamen, Basilidem habuisse filium nomine Isidorum, qui à patre sicut accepit naturam, ita hausit errorem; imò & novis auxit deliramentis. De eo Theodoritus citato loco ait: *Isidorus quoque filius Basilidis cum aliquo additamento patris fabulosa commenta confirmavit*. Hunc cum Epiphane conjungit Hæresi 32. S. Epiphanius. Scripsit moralem impuram, cujus fragmentum citat Clemens Alexandr. L. 3. Strom. & meminit Epiphanius loco citato. Librum etiam de adnata anima, in quo cuilibet homini duas animas inesse asserit, idem Clemens L. 2. Strom. refert, unam inferiorem ad malum pronam, alteram superiorem ad bonum propensam, quæ superiorem posset superare: & hoc ne scelerati homines possent injustè se excusare dicentes, se coactos à malo spiritu facinora perpetrasse: fortè abutens dicto Pauli Rom. 7. v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Scripsit etiam libros Expositionum Prophetæ *Parchor*, quo nomine commentitium vatem ad terrorem indoctorum nuncupabat: ex quibus libris nonnulla citat deliramenta idem Clemens Alexandr. L. 6. Strom.

§. III.

Errores Basilidis circa Deum & Mundum.

I. BAsilides, ut apud imperitum vulgus magnum sibi nomen conciliaret, ad non antea excogitatas fabulas sub mysteriorum nomine propalandas animum studiumque convertit. Primò ergo posuit unum ingenitum principium & parentem omnium: quem barbaro nomine *Abraxas* seu *Abrasax* appellabat. Ab isto dicebat, procreatam fuisse *Nun* idest Mentem; à Mente *Logon* idest Verbum; à Verbo *Phronesin* idest Prudentiam; à Prudentia *Dynamin* & *Sophiam*, idest Virtutem & Sapientiam prodiisse; ab utraque ista conditos fuisse Principatus, Potestates & Angelos primos. Hi (ajebat) primum ac supremum Cœlum moliti, Angelos alios propagarunt: qui & ipsi secundum fabricati sunt, & alios insuper alios produxerunt. Hi tertium adjecere Cœlum & aliam Angelorum propaginem; & sic sigillatim uno post aliud Cœlo constituto, & cuique novis Angelis præpositis, fiebat ut à primo & supremo Cœlo usque ad ultimum, quod nobis supereminet, tercentum sexaginta quinque Cœli numerarentur, quorum singulis suus ordo Angelorum præficiebatur. Ita ex Irenæo L. 1. c. 24. & Epiphanio Hæres. 24., quibus adhæret Theodoritus *in Basilide*.

II. Dixi, sub *Abraxas* seu *Abrasax* nomine Basilidem intellexisse summum ac ingenitum Deum omnium parentem, à quo omnia ut à principio deducebat: *Unde* (inquit S. August. L. de Hæres. c. 4.) *etiam quasi sanctum nomen commendabat*, *quod est* Abrasax, *cujus nominis literæ secundum græcam supputationem eundum numerum* (nempe 365. Cœlorum) *complent*. *Sunt enim septem* A *&* B *&* P *&* A *&* Ξ *&* A *&* Σ, *idest unum & duo, & centum & sexaginta & unum & ducenda, quæ fiunt in summa trecenta sexaginta quinque*. Ita August., quod hoc pacto exprimitur:

A —	1
B —	2
P —	100
A —	1
Ξ —	60
A —	1
Σ —	200
	365

III. De

III. De hoc nomine *Abraxas* idem sentit S. Hieronymus in c.3. Amos dicens: Ut *Basilides, qui Omnipotentem Deum portentoso nomine appellat* Abraxas, *qui secundùm græcas literas, & annui cursus numerum, dicit in Solis circulo contineri, quem Ethnici sub eodem numero aliarum literarum vocant* Mithram. Ejusdem portentosi nominis meminit quoque in L. de Script. Eccl. c. 21. in Comment. ad c.1. Abdiæ & caput 1. Nahum: necnon in Ep.29. modò 53. ad Theodoram, ubi dicit Abraxas, & alia portentosa vocabula, quæ recenset, esse magis portenta quàm nomina, *quæ ad imperitorum & mulierculárum animos concitandos quasi de hebraicis fontibus hauriunt, barbaro simplices quosque terrentes sono, ut quod non intelligunt, plus mirentur.*

IV. Dicit Hieronymus, Abraxas Basilidis eundem esse cum Mithra Gentilium, & sub Mithræ nomine eundem numerum latere, quod aliqui conati sunt ostendere ut videre est apud Ittigium Sect.2. c.2. n. 3., meum enim non est hæc scrutari. Aliqui etiam in (inter quos Vendelinus in Epist. ad Chiffletium) nomine Abraxas censent latere mysticè Sanctissimæ Trinitatis & Crucifixionis mysterium, quod exprimere conantur, ut videri potest apud eundem Ittigium loco citato num.4., & Card. Cozza de Basilidianis Comment. hist. num.9. Sed ab his abstineo, quia ingenio magis adscribenda sunt quàm veritati: imò veritati contraria, nam apud omnes constat, Basilidem & Trinitatem non agnovisse & Crucifixionem Salvatoris apertè negasse. Verum quidem est, hisce characteribus & figuris, quibus conflatur hoc nomen Abraxas sive Abrasax diversimodè concinnatis, usos fuisse hæreticos ad amuleta conficienda; inter quæ celebre est illud, quod antiquus Medicus Q. Serenus Sammonicus Basilidis sectator collo appendi jussit morbo hæmitritæo ægrotantis, constans ex voce *Abrasadabra* sæpiùs repetitâ, & ultimis elementis successivè diminuta, ita ut in coni aut inversæ pyramidis figuram desinat & in ultima linea sola initialis litera relinquatur, cujus specimen exhibeo:

Abrasadabra
Abrasadabr
Abrasadab
Abrasada
Abrasad
Abrasa
Abras
Abra
Abr
Ab
A

Hoc

Hoc amuletum Vendelinus ita explicat, ut syllabis initialibus & finalibus *Abra* invocationem Trinitatis contineri dicat, medias autem literas *sad*, salutem à gloria Trinitatis per Crucifixionem Christi. Sed hic est ingenii lusus, ait Chifletius in Comment. ad gemmas Abraxeas, cum, ut dixi & dicam, Basilides neque mysterium Trinitatis, neque veram Christi crucifixionem agnoverit. Potiùs dicendum judico, præfatam figuram à Basilidianis superstitiosè & speciali dæmonum magisterio ad illudendos incautos fuisse inventam, cùm certum sit, eos monstruosis imaginibus Abraxam suum in gemmis etiam exprimere consuevisse, quæ teste Irenæo magicas incantationes continebant; quod indicat magna obscuritas, quæ in illis deprehendebatur, quam sub mysterii nomine proponebant, ut vix unus inter mille eam capere posset.

V. Secundus Basilidis error sequebatur ex priori: dicebat enim, Mundum & hæc inferiora & hominem etiam, non à Deo, sed ab Angelis finitimo huic Cœlo præsidentibus, ac virtute in eis residente, fuisse conditum, ac totum terrarum Orbem regendum fuisse singulis distributum. Unde Irenæus de hoc errore ait: *Eos autem qui posterius continent Cœlum Angelos, qui etiam à nobis videntur, constituisse ea quæ sunt in Mundo omnia, & partes sibi fecisse terræ, & earum quæ sunt gentium*. Epiphanius etiam de Basilide: *Qui*, inquit, *ab Angelis citimo huic Cœlo proximoque nobis attributis, ac virtute, quæ istic residet, creata postmodum inferiora censet hæc omnia*. Theodoritus quoque: *Angelos autem, qui hoc Cœlum ultimum, quod à nobis videtur, habitant, Mundum fabricatos esse, & terræ dominium divisisse*.

VI. In hoc tamen duplici errore secum ipse pugnabat Basilides. Nam ex una parte jure creationis summum Deum quem fingit privare intendit; eoque tam circa Cœlos, quàm circa omnia hæc inferiora: ex alia verò Deum suum facit primum omnium principium, à quo & Angeli & Cœli prodierunt, ideoque eum vocat Abraxam quasi virtutem omnia continentem. Quare ex Irenæo Epiphanius eum ita redarguit „ Si hoc Cœlum ab Ange-„ lis, qui in ipso sunt, factum est, ipsi verò à superioribus, & supe-„ riores rursùs à superioribus, & superiores à supremis procreati „ sunt; eò res nimirum recidet, ut suprema illa virtus, quæ Abra-„ xas dicitur, universa condiderit, sitque omnium quæcumque „ sunt causa, nec citra illam quidquam extiterit, cum hæc ipsa „ principium ac primum rerum omnium exemplar ab illo esse di-„ catur: adeòque sequitur, Mundi hujus, quem vocant defectum, „ non ad aliud esse, quam ad primum illud principium, causam-„ que eorum, quæ sunt postea facta, referendum. Illud verò de

eo-

„ eodem percontari oportet. Quid tu tandem, mi homo, nos in
„ tantam multitudinem impellis: ac non potiùs ad principium
„ ipsum, hoc est unum Deum & Omnipotentem deducis? Quandoquidem
„ sive hoc, sive alio modo statuas, unum omnino rerum
„ omnium principium, ac Dominum fateri necesse sit „? Hactenus Epiphanius; quibus apparet vis veritatis, quâ, velit, nolit, fateri cogitur, quod negare contendit. Unde verum est dictum: *Mentitur iniquitas sibi*.

VII. Ulteriùs conceptam fabulam prosequens, dicebat tertiò: Istorum ultimi Cœli Angelorum Principem esse Deum Judæorum, à quo conditus sit homo. Eum reliquis Angelis audaciorem esse, & in Israelitas præ cæteris populis propensum virium suarum præstantiâ fretum, eos ex Ægypto liberasse, eisque cæteras gentes subjicere voluisse. Ejus consiliis cæteros Angelos adversantes subditas sibi Gentes in Judaicam armasse. Ingenitum verò Patrem primogenitam Mentem suam misisse, quæ Christus vocata est, ut sibi credentes à potestate Angelorum Mundi hujus conditorum liberaret. Hisce mendaciis veritatem corrumpere conabatur, fortè ad suum finem detorquens verba ipsius Christi Jo. 12. v. 31. *Nunc judicium est Mundi: nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foràs*.

Hunc errorem ita refert & confutat Epiphanius „ Blasphe-
„ mat autem ipsum Omnipotentem Dominum, qui verè est Deus
„ solus, & non alius. Patrem enim ipsum esse confitemur Domini
„ nostri Jesu Christi. Hunc ille negans unum vult ipsum declara-
„ re de numero Angelorum ab ipso effictorum. Venisse autem Ju-
„ dæos in sortem ipsius, & eundem esse supra quàm reliqui Angeli
„ sunt, contumaciorem: & eduxisse filios Israel de Ægypto perti-
„ naciâ brachii proprii, propterea quòd violentior, & magis per-
„ tinax sit quàm alii. Unde propter contumaciam ipsius consi-
„ lium iniisse eundem ipsorum Deum (præstigiator ille blasphe-
„ mat) omnes alias gentes generi Israel subjiciendi, & propterea
„ instruxisse bella. Sed & multa alia contra Sanctum Deum, la-
„ xatâ linguâ & elato ore, miserrimus ille loqui non veretur. Ob
„ hoc enim, inquit, hanc gentem etiam aliæ gentes bello impeti-
„ verunt, & multa mala ipsi intulerunt propter aliorum Angelo-
„ rum æmulationem, quoniam propulsati velut contemti ab ipso,
„ etiam ipsi proprias gentes contra gentem Israel commoverunt.
„ Atque hac de causa bella undequaque & semper, seditionesque
„ contra ipsos exortæ sunt. Hæc est impostoris illius ad persua-
„ dendum versutia „. Ita Epiphanius.

VIII. Hauserat hunc errorem Basilides è schola Simonis Magi & Menandri magistri, & in hoc cum Saturnino condiscipulo con-

conveniebat, qui omnes Deum Judæorum unum ex Angelis malis ac sinistram virtutem esse, ut dixi, effutiebant. De suo addere voluit ea quæ Epiphanius refert de æmulationibus inter Angelos ob nimiam ejus erga Judæos propensionem, & bellis inde ortis. Legerat enim fortè apud Danielem c. 10. contra ipsum stetisse viginti & uno diebus Angelum Regni Persarum principem,& tandem in ejus adjutorium venisse Michaelem sui ac Judæorum defensorem,alium Angelum principem Græcorum. Sed nescire voluit miser, hos omnes ministros esse summi Dei, ac omnium gentium, non solùm Judæorum, Domini ejus mandata exequentes secundum consilia voluntatis suæ. Ipsum autem Deum Judæorum, & non alium, misisse Filium suum Jesum, audire debuisset à Petro Act.3. v.13. dicente: *Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum.*

§. IV.

Basilidis errores circa Christum.

I. Circa Christum errabat primò, quia dicebat, eum à summo & ingenito Deo missum sub apparentia hominis tantùm, ac propterea nec verè hominem fuisse, nec verè carnem sumsisse. Error iste, qui à Simone initium sumsit, ad alias subsequentes sectas & in Basilidianam propagatus est. Verùm ad hunc errorem è mentibus hominum delendum omnes Evangelistæ conspirant. Lucas enim c. 1. ejus conceptionem in utero Mariæ Virgini prænuntians: *Ecce* (inquit v.31.) *concipies in utero & paries Filium & vocabis nomen ejus Jesum.* Dicente Mariâ autem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Non respondit hoc secundum apparentiam futurum, sed dicta confirmans exponit, quomodo id futurum sit, nempè virtute Spiritus Sancti; & comprobat exemplo Elisabeth, quæ licèt vetula, tamen & ipsa conceperat. Conceptionis autem Christi veritas manifestata fuit Matth. 1. Cùm antequam convenirent, à Josepho ejus sponso inventa est Maria *habens in utero*: quare ignarus adhuc mysterii, nec volens secundùm legem eam traducere ut adulteram, *voluit* occultè dimittere eam. Veritatem nativitatis ejus proponit Lucas c.2., ubi enarrans iter Josephi in Bethlehem juxta Cæsaris edictum, dicit quod illuc ivit, *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum & pannis eum involvit & reclinavit eum in præsepio* &c. Inde prosequitur enarrans, quomodo nativitate ejus per An-

Angelum evulgata, in præsepio eum venerati sunt pastores, quomodo octava die fuit circumcisus, & post quadragesimum diem accepit eum Simeon in ulnas suas. Ne ab Herode occideretur, Angeli monitu deportatur in Ægyptum Matth. 2. Ejus infantia, pueritia, progressus in ætate, omniaque veri propria hominis describuntur; conversabatur cum aliis, manducabat, bibebat &c. Matthæus & Lucas seriem generationis ejus humanæ ac temporalis contexuere. Num ergo hæc apparenter & illusoriè evenerunt?

II. Neque favet Basilidi, quod de Christo dicit Paulus ad Philip. 2. v. 7. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et ad Rom. 8. v. 3. *Deus*, inquit, *mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Non inquam. Nam priori loco dicit in similitudinem, non meræ apparentiæ & repræsentationis hominis factum, sed in natura, non quam naturaliter vi generationis æternæ habuerit, sed quam voluntariè per generationem temporalem assumsit: ideoque dicit: *Qui cùm in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Verè ergo Deus erat, & verè homo, Deus per naturam, homo per assumtionem. Unde Theodoritus in hunc locum ait: *De Deo Verbo hoc dicit, quòd cùm Deus esset, Deus non videbatur, ut qui humanam naturam induisset. Ei ergo convenit illud ut homo; susceptâ enim naturâ verè hoc erat: Ipse autem hoc non erat, sed hoc induerat.*

Neque favet secundum: ut enim idem Theodoritus ibi observat, Paulus: *Non dixit, in similitudinem carnis, sed in similitudine carnis peccati; naturam enim humanam acceperat, sed peccatum humanum non acceperat. Et ideò quod acceptum est, non similitudinem carnis, sed similitudinem carnis peccati appellavit. Cùm enim eandem quam nos haberet naturam, non habebat eandem quam nos sententiam & mentem.* Hinc idem Paulus de veritate carnis & humanitatis Christi pluribus in locis fidem fecit, ut ad Galat. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Ad Hebr. 2. v. 17. de Christo ait: *Debuit per omnia fratribus assimilari.* Et apertiùs alibi ostendens Christum verè fuisse passum, crucifixum & mortuum, de quo infra. Sed quod Basilidi & aliis jugulum petit, est ipsius Christi testimonium Lucæ 24. Discipulis enim, in quorum medio apparuerat existimantibus, se spiritum videre, sibi ipsi & carni suæ fidem asseruit dicens v. 39. *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere*: ad quod experimentum Joann. 20. provocavit Thomam adhuc incredulum v. 27. dicens: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum: & noli esse*

incredulus sed fidelis. Quo convictus Thomas exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus*. Vel ergo Christus fallaci mendacio discipulis suis illusit, testando eis esse verum, quod erat merè phantasticum; quod blasphemum est dicere: vel (quod verum est) mentitur Basilides, qui hoc affirmat.

III. Consequenter ad hæc dicebat secundò: Christum verè non esse passum, crucifixum & mortuum, sed Simonem Cyrenæum. Cui cùm Judæi Christi crucem imposuissent, hunc Jesus in suam commutavit figuram, & ejus vicissim propriam induit effigiem, atque ita Judæi putantes cruci affigere Jesum crucifixerunt Simonem: atque ita Jesus prope stans, nec oculis aspectabilis, Judæorum irrisit evasitque conatum, ac deinde reversus fuit ad Patrem. Hoc figmento errorem quem à Simone hauserat vestivit & auxit. De eo Epiphanius Hæres. 24. „ Et illum (inquit) in eo quod portabat crucem, transformavit in suam speciem, & se ipsum in „ Simonem, & pro se ipso tradidit Simonem, ut crucifigeretur. „ Quum autem ille crucifigeretur, stabat ex opposito invisibilis „ Jesus, deridens eos, qui Simonem crucifigebant. Ipse verò di„ scedit ad Cœlestia, tradito Simone ad crucifigendum, & illæsus „ processit ad Cœlum.... penetravit omnes virtutes, donec resti„ tutus est ad proprium suum Patrem „. Hoc tamen non obstante impostor ille dicebat, credendum esse non in illum qui fuerat verè crucifixus, sed in eum, qui visus fuerat crucifigi: hunc enim esse filium Patris prædictum, qui missus est in auxilium filiorum hominum propter seditionem, quam vidit pater inter homines, & inter Angelos.

IV. Ita Fabulator iste præcipuum Christianæ Religionis fundamentum, quod in passione & morte Jesu Christi filii Dei situm est, evellere conabatur. At incassum; utramque enim legimus, & in Veteri prænuntiatam & in Nova Lege impletam. In Veteri quidem ab Isaia c. 53., ubi distinctè passionem, mortem ignominiosam qualis reverà postea fuit, prænuntiat. A Daniele c. 9. v. 26. à quo designatur tempus, quo occidetur Christus, & prædicuntur mala inde Judæis eventura; quæ omnia adamussim impleta sunt, & adhuc implentur. Et antea à Davide Psalm. 21. Ejus crucifixio & quæ in ea evenerunt v. 18. & 19. prædicta fuere. Novum verò Testamentum nil solemnius habet, quàm passionem ac mortem Jesu Christi omnibus proponere, ut causam salutis credentibus in eam. Paulus Rom. c. 5. v. 9. *Christus*, inquit, *pro nobis mortuus est*: *multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum*. Et c. 6. v. 8. *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo*. Idem c. 8. v. 34. c. 14. v. 9. 1. Cor. 15. v. 3.

2. Cor.

2. Cor. 5. v. 15. 1. Thesfal. 5. v. 10. Et ad Philip. 2. v. 8. &c. ex hoc Christi gloriam deducit: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, Cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Quod Jesus ipse Lucæ 24. v. 26. asseruerat dum ait: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

V. Hinc directè Basilidem aggrediens Epiphanius „ Si, inquit, in Crucem Simon ille Cyrenæus est sublatus, non igitur „ per Christum parta nobis est salus, sed per Simonem, nec jam „ per Christum Mundum salvum fore se sperare debebat, utpote „ qui minimè sit passus: neque enim salutis causa esse posset Simon purus utique ac purus homo, nec quidquam ampliùs „. Quia verò Basilides hoc probè noscens dicebat, spem non esse ponendam in eum qui crucifixus est, sed in eum qui visus est crucifigi: qui enim in eum crediderit, à potestate Angelorum Mundi hujus conditorum erit liberandus; ideo contra illum sic insurgit Epiphanius „ Igitur Unigenitum Dei Filium calumniæ condemnas, si „ alterum bonus Dominus violenter ad necem suo loco tradiderit. „ Nec aliud tota res præter somnium erit, imo malignitatis, præ„ stigiarumque specimen, cùm semetipsum Dominus fraudolentis „ artibus subducens sui Vicarium alterum substituat: sicque tua „ illa stultissima cavillatio veritati quidem calumniam struet, „ nec quod volet tamen assequi poterit, sed de figmento illo te„ merè, ac sine ulla stabilitate proposito vel ab ipsa veritate re„ darguetur.

Hoc ut præstet ita prosequitur „ Hæc enim (idest veritas) „ Hæresiarcham istum tam in Veteri, quàm in Novo Testamento „ omni ex parte convincit. Siquidem nemini est obscurum, Chri„ stum suâ spontè ad supplicium venisse, atque etiam voluntate „ cùm suâ tùm Patris ac Sancti Spiritus adductum, uti carnem „ indueret, & inter nos hominem se faceret, cùm nihilominus per„ fectus esset Deus à Patre principio sine ullo initio vel tempore „ genitus. Qui postremis temporibus in Virginis utero formari „ voluit, sibique corpus effinxit, ac reverâ genitus, & homo factus „ est, ut pœnas in ea, quam susceperat, carne pro nobis experire„ tur, ac pro ovibus suis animam traderet. In quo hæreticos illos „ perspicuè refellit, dum ita loquitur: *Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur, & crucifigetur, & tertiâ die resurget*. Tum insuper cum Zebedæi filiis ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quò illa Apostoli Petri verba per-

„ tinent: *Mortificatus carne, vivificatus autem spiritu*. Ac rursùm: „ *Qui pro nobis in carne factus est*. Sed & Joannes ita scribens: *Si* „ *quis negat Christum in carne venisse, hic est Antichristus*. Ad hæc „ S. Paulus: *Qui mortem*, inquit, *gustavit*, *mortem*, *inquam*, *crucis*. „ Id quod Moyses diù ante prænuntians dicebat: *Videbitis vitam* „ *vestram coram vobis à ligno suspensam*. Vita porrò nostra, non „ Cyrenæus Simon, sed ille est ipse, qui pro nobis ideo passus est, „ ut nos passionibus nostris consolveret, quique ideò mortuus car- „ ne, mors ipsa mortis esse voluit, ejus ut stimulum frangeret: „ Idem terræ ad interiora descendit, ut damnationis vectes effrin- „ geret. Quâ re confectâ captivas sursum animas evexit, atque „ inferos exhausit.

Quoad transformationem verò Simonis in figuram Jesu, quem etsi nolentem dicebat fuisse crucifixum, eodem Jesu ex parte stante ac irridente, Epiphanius sic prosequitur „ Tantum igitur „ abest, ut Simoni causam mortis attulerit, ut ei semetipsum ex- „ posuerit. Nam quid tandem ais, mortalium infelicissime? Non „ liberè profiteri quæ vellet potuit, & ab illis, nisi in Cruce suspen- „ di vellet recedere? An scilicet Dei Verbo adhibendæ joculares „ præstigiæ fuerunt, ut alium ad mortem, crucisque supplicium „ vice suâ obeundum traderet; is præsertim qui dixerit: Ego sum „ Veritas & Vita? Atqui neque Vitæ est alteri mortem consciscе- „ re, neque quod reverâ inest in sese dissimulare, aliaque pro aliis „ ostendere, Veritatis. Desinet enim veritas esse, si sit fraudis & „ erroris artifex, suumque ipsamet opus abscondat, ac contrariam „ calliditatem ad negotium suum accommodet „. Hæc ex Epiphanio transcribere placuit, quia clarè demonstrant hoc fuisse vanum Basilidis delirium. Si enim Christus mori noluisset, opus ei non erat ut per fraudem loco sui alterum traderet, cum posset etiam coram Judæis eorum oculis se subtrahere, ut fecisse legitur (Lucæ 4. v. 30.) quando cùm nondum venisset hora ejus, transiens per medium illorum ibat, absque eo quòd daret alteri mortem qui Vita erat, & fraude uteretur qui Veritas erat.

Simile de ficta Christi crucifixione commentum à Mahumetanis fingi, observat Alexander Morus in Diatriba ad Esaiæ c. 53. ubi commentatores Alcorani narrare scribit, Jesum dixisse sociis suis: Cui vestrum placet indui mea imagine, occidi & crucifigi, & sic ingredi Paradisum? Tum quemdam respondisse: mihi placet: & hunc crucifixum fuisse, Jesu in Cœlum interim sublato. Ita apud Ittigium Sect. 2. c. 2. num. 6.

VI. Ex his dicebat tertiò: non oportere pro Christo subire martyrium, ac pro ipso mori. Cùm enim juxta ipsum Christus pro nobis

nobis mori noluerit, nec mortuus sit, sed loco sui Simon Cyrenæus; qui martyrio mortem subiret, moreretur pro eo non pro Christo, atque ita imprudenter ageret, dum profiteretur se mori pro Christo, cum pro Simone moreretur. Ita refert S.Epiphanius his verbis:
„ Rursùs autem docet ac asserit, non oportere martyrium subire.
„ Qui enim martyrium subit, mercedis exors reperietur: quum
„ martyrium sustineat pro eo qui hominem fecit. Sustinet enim
„ martyrium pro crucifixo Simone. Unde verò ipsi merces con-
„ tigerit, quando moritur quidem pro Simone crucifixo, pro Chri-
„ sto autem hoc se facere confitetur, & ignorat se mori pro eo
„ quem non novit? Oportet itaque contentum esse, & non priùs
„ captivitate detentum mori „. Ex quo infert Epiphanius à diabolica potestate hoc inventum esse in animarum perniciem, ut nempè Deum ejurare eas doceat; quando ipse Dominus dicit *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est*. Hunc errorem acceperat à Simone Mago, qui cùm & ipse doceret, Christum verè non fuisse mortuum pro homine, stultum esse putabat pro eo hominem mori. Cui errori Basilides addidit, mortuum loco Christi Simonem Cyrenæum; quæ fabula Simoni Mago in mentem non venit.

VII. Dicebat quartò: Christum non venisse ad liberandos homines à peccatis & captivitate dæmonis, sed ad liberandos eos, præcipuè Judæos à captivitate temporali, quâ tenebantur ob Angelorum dissidia. Hic error ex suo systemate oriebatur, quo dicebat, Ingenitum Patrem misisse Filium suum, ut à potestate superiorum virtutum homines erueret, quo finem redemtionis penitùs tollebat. In hoc convenit cum Judæis, qui etiam modò Messiam, quem expectant, sperant futurum redemptorem suum tantùm temporalem, nimirùm eos liberaturum à captivitate temporali, & in proprium Regnum ut olim restituturum; intelligentes Scripturam secundùm literam, non secundùm spiritum.

VIII. Eis tamen resistit Scriptura utriusque Testamenti, quæ Messiam venturum non pro sola gente Judaica, sed pro omni omnino gente, & ad eam liberandam non à servitute temporali, sed à servitute diaboli & peccati, apertè testatur. Primum ostendunt promissa de eo mittendo facta. Genes. 22. v. 18. Abrahæ dicitur: *Et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ.* Gen.49.v.10. prophetavit Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: Et ipse erit expectatio Gentium.* Isaias c.55.v.4. *Ecce testem Populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentium: Ecce Gentem quam nesciebas vocabis: & Gentes quæ te non cognoverunt ad te current.* Aggæus c.2.v.8. *Et movebo omnes Gentes: & ve-*

& veniet desideratus cunctis Gentibus. Uno verbo hoc sonant omnia oracula Prophetarum. Hoc impletum ostendit Paulus Rom. c.9. v.24. *Vocavit nos non solùm ex Judæis, sed etiam ex Gentibus*. Cap.10. v.11. *Omnis qui credit in illum non confundetur: Non enim est distinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus, dives in omnes, qui invocant illum*. Et ad Colofs. 3. v.11. *Ubi non est Gentilis, nec Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus*. Unde ipse Apostolos ad prædicandum mittens Matth. 28. v.19. *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes Gentes*. Et Marci 16. v. 15. *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Quod ab eis fuisse impletum eorum Acta testantur.

IX. Secundum verò, quòd Christus venerit ad liberandos omnes homines à peccato, & servitute diaboli fusè præcinit Isaias c.53. dicens: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*. Et Daniel c.9. dicit Messiam fore mittendum, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Hoc autem ab Angelo fuisse prænuntiatum Joseph narrat Matthæus c.1.v.21. *Vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. In quo ostendendo totus est in Epistolis suis Paulus. Roman. 3. v. 25. 5. v. 9. 1. ad Timoth. c.2. v.4. & 5. Ad Colofs. 2. v. 13. &c. ad Hebr. 2. v. 14. & alibi passim: quæ referre huc non vacat.

X. Hinc dicebat quintò Basilides: Fidem in Christum esse naturalem. Qui error ex præcedenti sequebatur; cùm enim poneret finem adventus Christi fuisse merè naturalem, liberationem scilicet Judæorum à temporali servitute, in talem liberatorem credere ac spem ponere non erat actus naturæ vires excedens. Sed cùm jàm ostensum sit, redemtionis finem fuisse liberare hominem à peccato, & ira Dei, ipsumque restituere in gratiam ipsius, & gloriæ æternæ capacem reddere, in talem liberatorem fides opus erat humanas vires excedens, ideoque auxilio gratiæ indigens; dicente Christo Jo.6. v.44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, & c.15. v. 5. *Sinè me nihil potestis facere*. In necessitate gratiæ Dei ad fidem & salutem exponenda totus est Paulus præcipuè Roman. c.9. v. 16. *Non igitur volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. 1. Cor. 4. v. 7. *Quis enim te discernit? Quid autem*

autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et c.15. ubi postquam se indignum vocari Apostolum dixit, quia Ecclesiam Dei persecutus fuerat, addit v.10. *Gratiâ autem Dei sum id quod sum: & gratia ejus in me vacua non fuit: sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Ad Philipp. quoquè c. 2. hortans eos ut cum metu & tremore salutem suam operentur, ait v. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et alibi passim. Cui addi potest Jacobus Ep. c.1. v.11. dicens: *Omne datum optimum, & omne datum perfectum desursùm est descendens a Patre luminum.*

XI. Quòd si, ut refert Clemens Alex. L.2. Strom., Basilides fidem dixit esse naturalem, quia non voluntaria & liberæ electionis, sed necessariò & naturaliter fluens, sic nec merebitur qui credit, nec demerebitur qui non credit, ut idem Clemens ibi ostendit dicens „ Voluntariæ ergo ac liberæ electionis non est fides „ utique officium, si est naturæ commodum, nec justam consequetur retributionem, nec qui non credidit, cujus culpâ id non „ evenit, nec is qui credidit, qui causa non fuit „. Quodcumque ergo Basilides intenderit dum ait, Fidem esse naturalem, impius fuit. Si enim voluit Fidem esse ex natura non ex gratia Dei, facem prætulit Pelagianis, & aliis Divinæ gratiæ inimicis. Si voluit esse naturalem, quia non voluntariam ac liberâ electione, sed necessitate prodeuntem, Manichæorum, aliorumque liberi arbitrii eversorum errorem præconcepit. Ita Basilides contra Christum, & ejus virtutem loquebatur, ut meritò accenseri debeat iis, quos Paulus ad Philip. 4. v.18. *appellat inimicos crucis Christi.* Sed ad alias ejus blasphemias procedamus.

§. V.

Alii Basilidis errores.

QUæ sequuntur communia habuit, aliqua cum Simone Mago, aliqua cum Menandro, aliqua cum Saturnino, aliquibus tamen ipse, vel ejus sectarii de suo quædam addiderunt. Dicebat ergo Prophetias ab Angelis esse factas: Legem verò à Principe Judæorum esse latam; nempe ab Angelo, cui populi Judæorum regimen in sortem cesserat, & pro cujus tutela multa ex dictis tentaverat. Ita Theodoritus. Et in hoc cum Simone & Saturnino ex parte conveniebat. Cui addebat, Mundum non regi Dei providentiâ, sed immediatè ab Angelis ejus conditoribus. Ita ex Irenæo & Epiphanio: & Theodoritus loquens ex Basilidis senten-

tentia: *Angelos autem*, inquit, *qui hoc cœlum ultimum, quod à nobis videtur, habitant, Mundum fabricatos esse, & terræ dominium divisisse*, nempè Angelos tercentesimi sexagesimi quinti Cœli. Huic errori non parum favet (si non Epicurus qui omnem sustulit providentiam) saltem Aristoteles, qui in lib. de Mundo ad Alexandrum Magnum scripsit, Dei providentiam ad hæc non extendi inferiora, sed in Orbe Lunæ suos habere limites. Hujus Aristotelici dogmatis meminere Clemens Alex. L. 5. Strom. dicens: *Aristoteli autem venit in mentem usque ad Lunam deducere Providentiam*. Eusebius L. 5. Præparat Evang. c. 5. *Aristoteles in Lunari Orbe metam Numini, terminumque constituens, partes Mundi reliquas ejus curæ gubernationique subduxit*; & S. Ambrosius L. 1. de Offic. c. 13. *Aristoteles asserit usque ad Lunam ejus descendere Providentiam*. Et post pauca: *Nam*, inquit, *de Aristotelis opinione quid loquar, qui putat, Deum suis contentum esse finibus, & præscripto Regni modo degere, ut Poetarum loquuntur fabulæ, qui Mundum in tres ferunt esse divisum, ut alii Cœlum, alii mare, alii inferna coercenda imperii sorte obvenerint, eosque cavere, ne usurpatâ alienarum partium sollicitudine inter se bellum excitent?* Hic certè videtur Ambrosius ad errorem Basilidis allusisse. Cùm enim & iste dixerit, hunc inferiorem Mundum non spectare ad providentiam Dei, sed Angelorum ultimi Cœli, qui illum condiderunt, ejusque regimen inter se partiti sunt, ut una pars alii, alia alteri sorte regenda contigerit, visus est idem sensisse de Mundo Basilides, quod de Aristotele & Poetis dicit Ambrosius.

II. Omittere tamen non possum, fabulatorem istum sibi contradicere. Ex una enim parte dicit, Mundum hunc inferiorem ad Dei providentiam non pertinere; ex alia verò supra audivimus ipsum dicentem, quòd summus ac ingenitus Pater, videns, Angelorum Mundi hujus conditorum discordiâ & pugnâ homines servitute nimis durâ affligi, misertus, ad eos liberandos filium suum, quem vocat *Nun*, misit. Si ergo Mundus iste extra fines suæ Providentiæ positus est; & proinde homines in eo existentes sub ejus cura non sunt, cur Deus de iis sollicitus est, ac mittit Filium suum, ut eos à potestate eorum, quibus naturæ jure subsunt, eripiat? Nonne hoc est proprios fines transgredi, & aliorum jura invadere? At, velit, nolit, dum Dei Providentiam in hunc Mundum negat, eam tanquam necessariam fateri cogitur: quia sinè ista nec stare potest Divinitas, ut ostendit Lactantius L. de Ira Dei c. 8., nec stare posset Mundus iste, ut ibi c. 10. idem Lactantius demonstrat: & Cicero ipse L. 2. de Natura Deorum ex motu Cœli, astrorum ordine, & rerum creatarum connexione eam agnoscit.

III. Veri-

III. Veritatis hujus (dimissis cæteris) testis sit Christus ipse, qui volens ostendere, quam curam Deus habeat de nobis, id ostendit ex Providentia quâ aves alit, & lilia vestit: *Respicite* (inquit Matth.6. à v.26.) *volatilia Cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester Cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? ... Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis* &c. Si ergo hæc minima tantâ curâ Deus gubernat: num ejus Providentia in ultimo Cœlo sistetur, & homines non curabit?

Hoc idem in Areopago Athenis peroravit Paulus coram Epicureis & Stoicis Act.17. à v.24. dicens: *Deus, qui fecit Mundum & omnia, quæ in eo sunt, hic Cæli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus hominum colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam & inspirationem, & omnia: fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum: Quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inveniant; quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum: In ipso enim vivimus & movemur & sumus.* His, præcipuè ultimis verbis evanescere facit Paulus Basilidis, & aliorum sibi similium commentum. Nam ut ait Salvianus L. 2. de Gubernatione Dei n.2. *Plus absque dubio quàm gubernator est vitæ, in quo motus ipse viventis est. Non enim dixit, ab ipso nos, sed in ipso moveri, docens scilicet, insitam intra virtutes sacras omnium nostrum esse substantiam: quia in ipso profectò vivimus, à quo hoc ipsum ducimus, quod sumus.*

IV. Plura tum Scripturæ tum Patrum loca pro hac veritate possem afferre, sed quia omnibus nota est, nec diutiùs in ea immorari hujus loci est, claudam cum Lactantio L. 2. Divin. Instit. c. 1. ita dicente: *Adeò ipsa veritas cogente naturâ, etiam ab invitis pectoribus erumpit, quod quidem non faciunt in prosperis rebus, nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cùm beneficiis ejus fruentes honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. At verò si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur: Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus ut subveniat, oratur. Si quis in mari vento sæviente jactatur, hunc invocat .... Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per ejus Divinum atque unicum Numen hominum sibi misericordiam quærit.* Peto igitur: Si Basilides in

simili necessitate constitutus fuisset, quem in auxilium invocasset? Unum ex suis Angelis? an potiùs supremum ac innatum Numen? si hoc ut puto implorasset: ejus igitur providentiam, velit, nolit, naturâ ipsa cogente fateatur.

V. Rursùs docebat, de Idolothytis & immolatis comedere, imo & Idolis sacrificare licitum esse. Ita ex Agrippa Castore Eusebius L.4. Hist. c. 7. scribit: *Ait prætcrea illum docere, quòd indifferens sit victimas diis immolatas degustare, & persecutionum tempore licenter Fidem abnegare*. Et Theodoritus L.1. Hæret. Fab. in Basilide ait: *Jussit autem immolatis securè vesci, & vetitas actiones, nullo adhibito discrimine, peragere*. Hunc errorem haustum ex schola Simonis inferiùs de Nicolaitis refellam. Hoc autem procedebat ex alia ejus insania, quâ dicebat, se suosque tantùm homines esse: adeòque satis esse coram ipsis fidem confiteri: alios verò sues esse & canes, de quibus dictum sit in Scriptura: *Nolite projicere margaritas ante porcos, nolite dare sanctum canibus*: adeòque licitum esse coram eis Deum negare. Ita apud Epiphanium Hæres. 24. *Nos*, inquit, *sumus homines: alii verò omnes sues & canes, & ob id dicit: Ne projiciatis margaritas ante porcos, neque date sanctum canibus: Occultat enim suam injustitiam ab his qui mente præditi sunt, revelat autem ipsius schola his, qui ab ipso decepti sunt*. At insane! Tu ac tui verè porci & canes estis, qui in sordibus & impudicitiis velut bestiæ ratione carentes volutamini; ideoque ne tales detegamini veris hominibus, quia sanâ mente præditis, vestra turpia occultatis.

VI. Ac revera ita erat: suis enim discipulis, cùm primùm illius disciplinæ se tradebant, silentium Pithagoræorum more præcipiebat dicens (ex Eusebio): *Date operam, ut omnia cognoscatis, nemo verò vos cognoscat*. Tam nefaria namque erant ipsorum sacra, tam obscœna facinora, ut suæ impuritatem disciplinæ evulgari formidaret. Unde Epiphanius citato loco: *Jubet autem*, inquit, *solùm de Patre & suo Mysterio nemini revelare, sed silentio in se ipsis continere. Uni verò de mille revelare, & duobus de decem millibus. Et suggerit discipulis suis dicens: Vos omnia cognoscitis, nemo autem vos cognoscat. Quòd si ipse & sodales ejus interrogentur, Judæos quidem se ampliùs non esse dicunt: Christianos autem nondum factos esse, sed negare semper: habere autem in se ipso tacitè fidem, & nemini ostendere, veritus suam confusionem propter turpis operationis & pravæ doctrinæ suæ illiberalitatem*.

Et quidem adeò obscœna erant, quæ suos docebat, & ab eis opere implebantur, ut ea prodere honestas ipsa non pateretur. Ex ipsius enim doctrina licitum fiebat indifferenter ac promiscuè feminis

minis uti, ac universæ libidini operam dare honestum habebatur. Incantationibus & magicis cujusque generis prestigiis uti tanquam sacrum ac mysterium habebatur; ideoque imaginibus & amuletis ignota nomina referentibus gloriabantur. Hæc aliaque secretè inter se exercebant jure silentio ac tenebris in æternum digna.
„ Quin etiam (inquit Theodoritus) Angelorum nomina effin-
„ gentes, hos quidem dixerunt primum habere Cœlum, illos ve-
„ rò secundum, & ita deinceps usque ad tercentesimum sexagesi-
„ mum quintum. Servatorem ac Dominum *Caulacuam* nominant.
„ Hæc autem dicunt esse ineffabilia, & nec ab omnibus capi, aut
„ comprehendi posse, præterquam ab uno ex mille. Dicit autem
„ principem ipsorum esse *Abraxas*: Nominis enim supputatio tre-
„ centum sexaginta quinque numerum significat. Habebat autem
„ etiam Prophetas Basilides *Barcabam* & *Barcoph*, & quosdam
„ alios similiter barbaros. Quin etiam his alias sceleratiores fa-
„ bulas confinxit, quas non addidi, ne ii, qui in eas inciderent, ali-
„ quid detrimenti ex iis acciperent „. Ita Theodoritus. Vel ut putat Epiphanius tot nugis ac fabulis referta erant, ut à viris prudentibus risum & contemtum potiùs excuterent, ideoque ea pro viribus occultabant. Quare Augustinus L. 2. contra Adversarium Legis & Prophetarum c. 12., & Damascenus de Hæres. c. 14., & alii dicunt, Ecclesiam hos hæreticos ut energumenos computasse, & damnasse non disputando, sed projiciendo.

VII. Docebat insuper: animas priùs peccasse, & in pœnam fuisse in corpora detrusas. Quibus renovavit errorem Platonis in Phœdone, qui putavit, animas præextitisse antequam corpori unirentur in homine; & ideo scire aliud non esse, quàm eorum quæ extra corpus didicerant reminisci, ita enim ait: *Quando verò acceperunt animæ nostræ scientiam? Non enim postquam homines nati sumus. Non certè. Ergo priùs. Ita erant.* Ex hac ergo Platonica sententia tradidit Basilides, animas jam ante corpora præexistentes peccasse priùs, & inde corporibus fuisse inclusas ad supplicium. In eundem errorem incidisse Origenem alibi ostendi. De quo Epiphanius Epist. ad Joan. Episc. Jerosol. ait: *Illud quoque quis Origenem dicentem patiatur, quòd Animæ Angeli fuerint in Cælis, & postquam peccaverint in supernis directas esse in istum Mundum, & quasi in tumulos & sepulchra, sic in corpora ista relegatas, pœnas antiquorum luere peccatorum, & corpora credentium non templa Christi esse, sed carceres damnatorum?*

Contra Origenis hunc errorem insurgit sic Epiphanius: *Et si hoc verum est, ubi est Fides nostra, ubi præconium resurrectionis, ubi Apostolica doctrina, quæ in Ecclesiis Christi hucusque perdurat? Ubi illa*

illa benedictio ad Adam & ad semen ejus, & ad Noe & ad filios ejus, ,, Crescite & multiplicamini & replete terram ,, ? *Jam enim non erit benedictio, sed maledictio juxta Origenem, qui Angelos vertit in animas, & de sublimi fastigio dignitatis facit ad inferiora descendere, quasi Deus generi humano non possit animas per benedictionem dare, nisi Angeli peccaverint, & tot in Cœlo sint ruinæ, quot in terra nativitates. Admittenda ergo nobis est doctrina Apostolorum & Prophetarum & Legis, & ipsius Domini Salvatoris in Evangelio personantis. E contrario Origenes præcipit & legem dat, ut non dicam, constringit discipulos suos, ne quis oret in Cœlum ascendere, ne pejùs iterum peccans, quàm in terris ante peccaverat, præcipitetur in Mundum.*

Quia verò Origenes Scripturas ad suum errorem detorquebat hic prosequitur: *Quamquam istiusmodi nugas & deliramenta soleat ille Scripturarum interpretatione perversâ, & aliud significante, quàm quod verum est, affirmare, dicens* ,, Priusquam à malitia humiliarer, ego deliqui ,, . *Et illud* ,, Revertere anima mea in requiem tuam ,, . *Nec non & illud* ,, Educ de carcere animam meam ,, . *Et in alio loco* ,, Confitebor Domino in regione vivorum ,, . *Cùm alius procul dubio sensus Scripturæ Divinæ sit, quàm ille in hæresim suam malignâ interpretatione detorquet.* His Epiphanius in Origenem, addam, & in Basilidem ejus erroris Magistrum, imò Simonem, qui ante ipsum hoc docuit, quem supra confutavi c.1. §.7. num.1. & sequentibus.

VIII. Theophilus quoque Alex. in Epist. 1. Paschali Origenem ita perstringit: *Si enim hoc ita esset, oportuerat, Salvatorem nec ipsum corpus assumere, & animas de corporibus liberare, debebat eo tempore, quando in baptismate peccata dimittit, statim baptizatum de corporis vinculis solvere, quæ propter peccata in condemnationem peccati facta commemorat. Sed & resurrectionem corporum frustra pollicetur, si expedit animabus absque gravitate corporum ad Cœlum leviùs subvolare. Ipse quoque resurgens carnem suam suscitare non debuit, sed solam Divinitati animam copulare, si melius est absque corporibus, quàm cum corporibus vivere. Quid sibi autem vult crebrò animas & vinciri corporibus vivere? Quid sibi autem vult crebrò animas, & vinciri corporibus, & ab eis dividi prædicare, & multas nobis inferre mortes, ignorans, Christum idcircò venisse, non ut post resurrectionem corporibus animas solveret, aut liberatas rursus aliis corporibus indueret, & de Cœlorum regionibus descendentes sanguine & carne vestiret, sed ut semel corpora suscitata incorruptione & æternitate donaret? Sicut enim* ,, Christus semel mortuus ultrà non ,, moritur, nec mors ei dominabitur ,, : *ita nec corporà suscitata post resurrectionem, secundò, vel frequenter intereunt, nec mors eis ultra do-*

dominabitur; neque in nihilum resolventur, quia totum hominem Christi salvavit adventus. His prostrata manet cum Origene Basilidiana hæresis, & similiter Priscillianistarum, qui testibus Augustino Hæres. 70., & Leone Magno Ep. 15. in eandem inciderant.

IX. Basilides tamen, ut ab his omnibus se extricaret, errorem errore auxit: dixit ergo; Peccatorum pœnas nil aliud esse quàm excorporationem animarum à corporibus. Ac proinde resurrectionem non esse futuram, nec repromissam corporibus salutem. Sic totam fidem Christianam evertere conabatur, quæ in fide resurrectionis fundatur, dicente Paulo 1. Cor. 15. v. 16. *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra*. Intererat autem Basilidi peccatorum pœnas ad hanc vitam restringere, nec pro animabus separatis aliam pœnam statuere præter eam quam dicebat eas passas esse in corpore, ut sic liberiùs sui sectatores excusso omni metu futuræ pœnæ ad omnes nefanditates quas docebat deflecterent. Ita refert Origenes ipse Tract. 28. in Matth. *Docent*, inquit, *non esse alias peccatorum pœnas, nisi transcorporationem animarum post mortem. Nam ut dimittam, manifestè falsum esse quod dicitur, adhuc autem tollunt ab hominibus salutarem timorem, & qui vel propter timorem futurarum pœnarum servaturi se fuerunt à multitudine peccatorum, nutriunt audaciam impietatis eorum*.

XI. Quantum verò ad Resurrectionem quam negabat, præter ea quæ supra dixi cap. 1. contra Simonem Magum §. 6. num. 3., & Tom. 16. Theol. q. 3. de Res. Dub. 1. & 2. ubi hanc veritatem firmavi, & in qua statuenda ab exordio Ecclesiæ Apostoli, viri Apostolici, & subsequentium sæculorum Patres omnes strenuè laborarunt; inter quos Athenagoras egregium sermonem edidit, ex quo placet modò aliqua hic adjungere. Si resurrectio mortuorum non esset futura, maximè quia Deo deesset facultas mortuos suscitandi, vel voluntas: neutrum autem dici potest. Non primum. Nam qui ad aliquid impotens est, vel ideo contingit, quia nescit quid agendum sit, vel quia non est tantæ virtutis, ut illud facere possit: atqui in Deo non est defectus scientiæ corporum suscitandorum, cùm enim ea prænoscat quæ nondum sunt, ea quoque cognoscit, quæ jam resoluta sunt. Nec est in eo defectus virtutis ad corpora suscitanda, si quidem quâ facilitate ea creavit, eâdem ipsa dissoluta & dispersa reunire ac instaurare potest. Ita discurrit etiam Minucius Felix in Octavio contra Cæcilium: *Quis tam stultus*, inquit, *aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem à Deo, ut primùm potuit effingi, ita posse denuò reformari? Nihil esse post obitum, & ante ortum nihil fuisse, sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere repa-*

reparari? Porrò difficilius est, id quod non sit, incipere, quàm id quod fuerit iterare. Tu perire Deo credis, si quid oculis nostris habetibus subtrahatur? Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodia reservatur.

XII. Nec secundum, nempe Deo deesse voluntatem mortuos suscitandi probat Athenagoras. Si Deùs nollet corpora suscitare, hoc esset, vel quia injustum esset, vel Deo indignum: at nec injustum est nec Deo indignum: quod probat. Si injustum, hoc ideo esset, quia injuriam inferret aut creaturis intellectualibus, aut brutis animantibus, aut ipsius homini corpori: at ex hoc creaturis intellectualibus nulla infertur injuria, ut per se patet. Nec brutis, quia nullus est ipsis justitiæ sensus, & si esset, conqueri justè non possent, quòd homo qui eis nobilior est, feliciori sorte frueretur. Non animæ. Quia si ei nulla fit injuria (quidquid insaniat Basilides) quòd in corpore corruptibili habitet, multò minùs ei fiet, quòd habitet in carne incorruptibili. Non denique ipsi corpori fiet injuria, sicut modò nulla fit ex hoc quòd animæ conjungatur: imo lucrum reportabit, quòd immortalitate donetur. Nec Deo indignum esse corpora ad vitam reparare, ostendit Athenagoras; quia si Deo indignum non fuit corpus corruptibile condere, multò minus indignum Deo erit illud incorruptibile suscitare.

XIII. Aliam rationem ex eodem Athenagora proponam sic: Homo totus judicio Dei sisti debet; ergo futura est Resurrectio. Antecedens probatur. Anima sola puniri non debet ob peccata, quia ea quæ in corporis voluptatibus posita sunt per se sola non perpetravit. Neque solum corpus, quia legis & judicii vim non percipit. Totum igitur hominem ex utroque constantem pro suis facinoribus sententiam referre necesse est. Cùm autem hoc non fiat in hac vita mortali, ubi malis frequentiùs omnia prosperè cedunt, pios verò premunt adversa, necesse est ut in fine seculorum mediâ corporum Resurrectione hoc eveniat: unde concludit Athenagoras: *Liquet igitur, quòd oportet secundùm Apostolum corruptibile istud dissipatum induere incorruptionem, ut vivificatis resurrectione mortuis, unusquisque referat justè ea, quæ per corpus gessit, sive bona, sive mala.* Qui plura de hoc articulo optaverit, præter à nobis alibi dicta, adire poterit Natalem Alexandre Dissert.26. Seculi 1.

XIV. Asserebat item, seu veriùs blasphemabat: Non omnia peccata à Deo dimitti, sed solùm involuntaria & per ignorantiam commissa. In hoc errore hunc habuisse magistrum crediderim Montanistas asserentes lapsis post baptisma non esse locum pœnitentiæ, teste Hieron. L.2.adv.Jovin. quibus infeliciter adhæsit Tertullia-

tullianus. Cùm enim nisi aliquo modo sit voluntarium, peccatum non sit, idem fuit dicere à Deo non dimitti peccata nisi involuntaria, & per ignorantiam commissa, ac dicere, nullum verè peccatum à Deo dimitti; ut quid ergo clamat Jeremias c.3. v.22. *Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras?* Ut quid c.18. v. 8. agentibus pœnitentiam Deus veniam promittit dicens: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversùs eam: agam & ego pænitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei?* Nonne Ninivitarum peccata erant voluntaria? & tamen quia territi comminatione Jonæ egerunt pœnitentiam, Deus illis condonavit Jonæ 3. v. 10. *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.* De hoc Basilidis errore agit Clemens Alex. L.4. Strom. De quo infra dicam.

XV. Dicebat insuper: in homine habitare spiritus diversos juxta varias ejus affectiones (ita idem Clemens L.2.Strom.) nimirùm animi perturbationes esse quosdam spiritus animæ rationis compoti appensos per quandam conturbationem & confusionem: & alias rursùs adulterinas & diversi generis spirituum naturas iis adnasci, utpote Lupi, Simiæ, Leonis, Ursi, quorum affectionibus, quas anima visione apprehendit, cupiditates, animantium similitudinem contraherent. Ita fabulas fabulis confundebat.

Quid autem intellexerit per spiritus diversos excitantes animi perturbationes, ipse novit qui hæc somniavit. Vives in Notis ad cap.11. L. 9. de Civit. Dei scribit, Porphyrium unicuique proprium dæmonem statuisse & esse quandam animi partem, nempe mentem. Quosdam verò Platonicos, ait idem Vives, affectus quibus rapimur dæmones appellasse. Photinus autem dixit, ad omnia honesta nos impelli genio & numine quodam familiari. Prava verò nostrâ mente nos cupere & desiderare. Lactantius verò L.2. Inst. cap.15. de malis Angelis & damnatis spiritibus tradit esse spiritus tenues „ qui insinuantes se corporibus hominum, & occultè in vi-„ sceribus operantur, valetudinem vitiant, morbos excitant, som-„ niis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines co-„ gant ad auxilia decurrere „ ubi non dicit, spiritus malos esse animæ appensos, & in homine inhabitantes, & quasi malum in homine operantes, sed tantùm vult, spiritus malos se insinuare, ut homines alliciant trahant, & ad malum inducant, phantasiam & passiones excitando, non in voluntatem agendo eamque ad malum cogendo, sed si anima & voluntas eis consentiat, hoc spontè ac liberè faciat. Sed has Basilidis insanias & fortè alias derelinquamus transituri ad ulteriora.

XVI. Hoc

XVI. Hoc solum observo, quòd hæc Basilidis hæresis licèt tot referta fabulis ac deliriis; quia tamen laxas omni libidini ac impuritati relinquebat habenas, non paucos adeo obcæcavit, ut extincto ejus auctore, non pauco tempore perseveraverit. Eam enim ætate S. Hieronymi grassatam fuisse in Hispaniis, testatur ipse Epist. 29. modò 53. quæ est ad Theodoram, ubi valdè celebrat Licinium Beticum, quòd ab ea fuerit immunis: *Et quia hæreseos*, inquit, *semel fecimus mentionem, quâ Lucinus noster dignæ eloquentiæ tubâ prædicari potest, qui spurcissimè per Hispanias Basilidis hæresi sæviente, & instar pestis & morbi totas intra Pyrenæum & Oceanum vastante Provincias, fidei Ecclesiasticæ tenuit puritatem, nequaquam suscipiens*, Armagil, Barbelen, Abraxas, Balsamum, *& ridiculum* Leusiboram, *cæteraque magìs portenta, quàm nomina*. Quibus apparet, Basilidianos præter nomen eis celebre *Abraxas*, alia barbara nomina ad suas fœditates occultandas confinxisse.

Tempore etiam Theodosii in Insula Cypri Basilidianos, ac cæteros similes extitisse, refert Polybius in vita S. Epiphanii c. 59., qui omnes instante Epiphanio jussu Theodosii ab ea Insula exulare coacti sunt. Cujus edicti exemplar tale fertur fuisse „ Si quis Patri „ Epiphanio Episcopo regionis Cypriorum non paret, per verba „ Divina, exeat ex Insula, & habitet ubi velit. Si qui autem sunt „ amici & filii pœnitentiæ, & confitentur communi Patri, quòd „ cùm sint decepti velint venire ad unitatem, maneant, ut do„ ceantur à communi Patre „. Refertque Polybius, quòd cùm tale edictum esset à militibus allatum & publicatum, multi ex eis crediderunt Epiphanio, qui verò non crediderunt statim ejecti ex Insula fuerunt; quod verisimile reddit, Seculo 4. desinente Basilidianæ hæresis reliquias in aliquibus delituisse. At postea succedentibus seculis generaliter adeò extincta fuit, ut vix illius nominis apud eruditos memoria supersit, Veritate Christianâ & Catholicâ de ea ut de cæteris triumphante. Hæc enim velut domus supra firmam petram fundata, irruentibus licèt ventis, ac torrentibus inundantibus, persistit immobilis munita promisso Christi Matth. 7. v. 24. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.*

* * *

CA-

CAPUT III.

De Nicolaitis.

§. I.

Hæresis Auctor & Initium.

I. HÆresis ista, quæ ex uno de schola Apostolorum exiisse perhibetur, ordine temporis Menandri, Saturnini, & Basilidis hæreses præcessit: quia tamen ipsæ censentur rivi ex putrido fonte Simoniano manantes, ideò secutus Epiphanium, Augustinum, Theodoritum, & alios, illas præmisi. Hujus Auctor etiam apud Veteres dubius fuit, ut ostendi supra Tom. 5. cap. 1. §. 4. num. 10. &c. Nicolaitas enim à Nicolao Antiocheno ex septem Diaconis uno, de quo Act. 6. v. 5., nuncupatos fuisse, omnes conveniunt. An verò ipse hæresim docuerit, an ex aliquo Nicolai facto heresim condendi sub ejus nomine occasionem alii sumserint, res sub Judice adhuc est. Nicolaum verè hæresis auctorem faciunt S. Irenæus L. 1. adv. Hæref. cap. 27. dicens: *Nicolaitæ magistrum quidem habent Nicolaum, unum ex septem, qui primi ad Diaconium ab Apostolis ordinati sunt*. Epiphanius L. 1. Hæref. 25. scribens: *Nicolaum cùm uxorem haberet eleganti specie, ab ea sibi aliquando temperasse, ut eos imitaretur, quos Deo addictos cerneret: sed non intemperantiam suam perpetuò coercere potuisse .... Cum uxore sua consuetudinem rursùs habuisse, & jactare illud ausum, neminem salutem æternam consequi posse, nisi singulis diebus luxuriæ vacet*. S. Hilarius cap. 25. in Matth. ubi ad illa verba: *Et falsi prophetæ erunt*, per parenthesim ait (*ut Nicolaus unus ex septem Diaconibus fuit*) S. Hieronymus Epist. 1. *Attendis Petrum, sed & Judam considera. Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi suá damnat sententiá, qui tam turpia & nefanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur*: quod repetit Epist. 48., & Dialog. adv. Luciferianos. Idem sentiunt Tertullianus L. de Præscript. cap. 46., Philastrius L. de Hæref. cap. 5., Cassianus Collat. 18. cap. 16., Isidorus L. 8. Originum cap. 5. & alii.

II. Alii verò Nicolaum ab hac noxa liberare volunt, & dicunt, Nicolaitas nomine illius abusos fuisse, ejusque sententiam & factum in pravum sensum detorsisse, ut tanto nomine impurissimam sectam ornarent. Inter istos eminet Clemens Alex. L. 2. Stromat. pag. 301. & L. 3. pag. 318., ubi Nicolaum ab impura hæresi iterum

vindicans: *Cùm autem*, inquit, *de dicto Nicolaï loqueremur, illud prætermisimus. Cùm formosam haberet uxorem, & post Servatoris assumtionem ei fuisset ad Apostolis exprobrata zelotypia, in medium adductâ muliere, permisit cui vellet illam nubere. Ajunt enim hanc actionem illi voci consentaneam, quæ dicit, quòd carne uti oporteat, ejusque factum & dictum absolutè & inconsideratè sequentes, qui ejus hæresim persequuntur, impudenter effusèque fornicantur. Ego audio Nicolaum quidem, nullâ unquam aliâ, quàm eâ quæ ei nupserat, uxore usum esse; & ex illius liberis filias quidem consenuisse virgines, filium autem permansisse incorruptum. Quæ cùm ita se habeant, vitii erat expulsio atque expurgatio in medium Apostolorum circumactio uxoris, cujus dicebatur laborare zelotypiâ; & continentia à voluptatibus, quæ magno studio parantur, docebat illud: Uti carne oportere, hoc est exercere carnem. Neque enim (ut existimo) volebat, convenienter Domini præcepto, duobus dominis servire, voluptati & Deo. Dicunt enim, Matthiam quoque sic docuisse, cum carne quidem pugnare, & eâ uti nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & agnitionem.* His Clemens ostendit, factum & dictum Nicolai, ex quo Nicolaitæ suæ impuritatis dogma trahebant, potiùs contrarium ostendere: uxorem enim in medium obtulit, ne putaretur carnali amore erga eam teneri, & oportere carne uti dixit, non ei obsecundando, sed eam per austeritates exercendo, cujus exemplum in se ac liberis suis reliquit.

III. Clementi adhærens Eusebius L. 3. Hist. cap. 29. *Sub idem tempus*, inquit, *hæresis quæ dicitur Nicolaitarum, brevissimo temporis spatio permansit. Hi Nicolaum quemdam, unum ex illis, qui ad curam inopum gerendam unâ cum Stephano ab Apostolis constituti fuerant ministri, sectæ suæ auctorem jactabant.* Inde mox laudatum Clementis testimonium subjunxit. Theodoritus item L. 3. Hæret. Fab., de Nicolaitis ait: *Nicolaitarum hæresis, non solùm ex ignorantia, sed etiam ex intemperantia & impudicitia conflata est: de ea autem Clemens apertiùs docuit. Dixit autem Nicolaum fuisse unum ex septem Diaconis, quos Apostolorum Chorus elegit ad viduarum ministerium. Tum autem cùm aspectu pulchram uxorem haberet, apud Apostolos fuisse accusatum, quod zelotypiæ morbo laboraret: cùm autem hanc opinionem amovere conaretur, mulierem in medium adduxisse, & permisisse, ut qui vellet cum ea haberet consuetudinem, non hoc quidem decernentem, sed eorum qui accusaverant calumniam convincentem. Hinc nonnulli quod ob causam jam antedictam ab eo factum fuerat pessimè accipientes, communes oportere habere uxores sanxerunt. Clemens autem dicit, Nicolaum fuisse ex eorum numero, qui propter temperantiam clari & insignes fuere & liberos suos supernatu-*

naturalem castitatem docuisse: & filium quidem suum cælibem permansisse; filias verò virgines. Ex quibus pulchrè convincuntur, eos falsò ex illius appellatione nomen sumsisse, qui antedictam intemperantiam exercent. Ita ex Clemente Theodoritus.

IV. Cui igitur in hac Veterùm pugna adhærendum? Nemini puto, sed in medio res relinquenda & de utraque dubii parte dicendum cum S. August. L. de Hæres. cap. 5. *Fertur*. Neutri enim parti apertè favet Scriptura, quæ postquam Act. 6. v. 5. de ejus electione in Diaconum mentionem fecit, de Nicolao Antiocheno, nec de ejus perseverantia, aut lapsu ampliùs loquitur. Joannes quidem Apocal. cap. 2. v. 6. & 15. Nicolaitas memorat, & Deo odibiles vocat, sed an tales dicti sint, quia Nicolaum Antiochenum suæ sectæ verum habuerint auctorem, incertum est. Clemens Alex. ut dixi tanquam continentiæ perpetuò amatorem proponit, unde Theodoritus asserit, Nicolaitas ejus nomine falsò usos fuisse, quod asserit etiam Auctor Const. Apostolic. L. 6. cap. 8., & S. Ignatius Martyr in Epist. ad Tarsenses Nicolaitas vocat *Pseudonymos*, idest *falsi nominis*, ut ostendit etiam Stephanus Gobarus apud Photium Cod. 232.; quamvis alii severiores Critici contendant, verba illa à purioribus Ignatii exemplaribus abesse.

Contra verò stant Irenæus L. 1. cap. 27. & Epiphanius supra relatus, qui Nicolaum in omnis generis turpitudines prolapsum describunt, & S. Hieronymus Judæ proditori eum assimilans. Scio Gomarum in Coroll. ad 2. Caput Apoc., quem sequitur Ittigius de Hæresiarchis Sect. 1. cap. 9. num. 4., existimare Epiphanii narrationem de Nicolao superstitionis plenam esse „ Quis enim (inquit) „ credet, Apostolico ævo votum continentiæ usque adeò viguisse, „ ut uxorati etiam, qui juris sui ampliùs non essent, ejusmodi voto se obstrinxerint? Aut quis credet, Nicolaum ad uxoris consuetudinem reversum Ecclesiæ reprehensionem metuisse & varias excusationes fingendi necessitatem habuisse „? Unde concludit „ Putaverim ergo Nicolao injuriam ab iis fieri, qui ipsum „ turpissimæ hæreseos auctorem faciunt „. At non mirum si Gomarus & Ittigius Heterodoxi, & cælibatus ac continentiæ hostes infensi, specie defendendi Nicolaum, superstitionis arguant Epiphanium, quòd continentiæ servandæ Votum etiam in uxoratis ævo Apostolico viguisse asseruerit; quod tamen & ego ostendi in Colloquiis de Cælibatu. Sed si in hoc superstitionis reus fuit Epiphanius, eodem vitio laborarunt Clemens Alex. & Theodoritus, qui nedum Nicolai continentiam cum sola uxore, sed & liberorum ejus perpetuum cælibatum commendant. Sed Nicolaum, sive reus sive innocens fuerit, in suo statu relinquamus, maxi-

mè cùm Ecclesia in suis fastis ejus numquam meminerit.

V. Quicumque ergo fuerit ejus Auctor, certum est, hæresim sub Nicolaitarum nomine extitisse. Eam enim per os Joannis execratur Deus ipse Apoc. 2. v. 5.; ubi postquam Episcopum Ephesi de quibusdam defectibus corripuit, in hoc laudat: *sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Ab opposito autem v. 15. Episcopum Pergami corripit, quod doctrinam Nicolaitarum non rejiceret: *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Ex quibus apparet, eo tempore quo Joannes Apocalypsim in suo exilio in Pathmos describebat, hæresim Nicolaitarum jam irrepsisse, & jam, sicut de hæresi Ebionis & Cerinthi infra dicam, superstitibus adhuc Apostolorum saltem aliquibus emersisse. Quo autem determinato tempore, controvertitur. si admittatur, hujus hæresis auctorem fuisse Nicolaum unum ex septem Diaconis, & causam defectionis ejus fuisse eam, quam Epiphanius exponit; sequi videtur, ejus initia ponenda esse circa Discipulorum dispersionem de qua Act. 8., proindeque sub Claudio Cæsare, & hæresi Simonis coætaneam esse. Dorotheus in Synopsi de 72. Discipulis scribit, Nicolaum priùs ab Apostolis Sapriæ Episcopum ordinatum, postea defecisse: *Nicolaus*, inquit, *unus ex septem fuit. Hic cùm esset Sapriæ Episcopus factus, in alienam doctrinam lapsus, unà cum Simone à Fide defecit.* Hæc tamen Dorothei Synopsis apud Eruditos suspectæ fidei meritò reputatur. Et maximè quia Lucas, qui Simonis defectionem ibi describit, de Nicolai, quem priùs inter viros boni testimonii Act. 6. recensuerat, desertione nec verbum facit. Verius ergo crediderim, judicasse Eusebium, qui hæresibus Ebionis & Cerinthi Nicolaitarum sectam coævam ponit, sub Domitiano à quibusdam vel Nicolai discipulis, vel sub ejus ementito nomine emersisse, ideoque potuisse Joannem Evangelistam exulem in Pathmos de ea in sua Apocalypsi sermonem facere.

VI. Scribit quoque Eusebius, hæresim hanc sub hoc nomine exiguo tempore perdurasse, ejus enim sectarii postea inter se divisi abjecto Nicolaitarum nomine, singuli suam proprio nomine confinxerunt. Sicut enim scabie vel leprâ infecti communicantes cum aliis eorum corpora suo morbo inficiunt, ita partim cum Nicolaitis uniti, partim ex his qui cum Simone, & aliis fuerunt, alios simili & graviori infectos morbo genuerunt, inter quos Gnosticos, Phibionitas, Epiphanis sectatores omnes propter improbitatem condemnandos, ut Epiphanius dicit.

VII. Refert tamen Lambertus Danæus, suâ ætate hanc sectam in Boemia revixisse, quâ, ut ait in Opusc. de Hæresibus, Judaici jejunii formam certâ anni tempestate observantes, postea turpissimè

mè promiſcuè miſcebantur. Refert etiam incertus Auctor (apud Ittigium Sect. 1. cap. 9. num. 6.) ad annum Chriſti 874., quòd cum Ludovicus Imperator Ludovici Pii filius diebus Quadrageſimæ orationi vacaret, noctu apparuit pater ſuus jam defunctus, dixitque ei, ſe in temporalibus pœnis poſitum, orans ut ab eis eum liberaret. His permotus Ludovicus filius ad omnia Regni ſui Monaſteria literas dedit ut pro liberatione patris ſui precibus coram Deo intercederent. Quæſitâ cauſâ, quà Imperator cæteroquin pius talia pateretur, exiſtimatum fuit, hoc ei accidiſſe quòd Nicolaitas in Regno ſuo tolerarit, nec illos juxta Gabrielis monitum per Einardum Abbatem ſibi communicatum pro debito compeſcuerit. Porrò cum hæc narratio apertè ſupponat, animas poſt hanc vitam temporales pœnas pati, & proinde Purgatorium dari; miror, quod Ittigius, qui illud utpote hæreticus negat, inter aniles fabulas illam non amandarit. Nicolaitæ ergo, de quibus in ea ſermo eſt, crediderim fuiſſe homines veterum Nicolaitarum turpitudines imitantes: & ideo hoc nomine appellatos, non quia ſecta illa, de qua in Apocalypſi, adhuc duraret, cùm ex dictis brevi extincta fuerit, nec in Europam tranſierit.

VIII. Conſtat, ſequentibus ſeculis Nicolaitarum notâ fuiſſe confixos eos qui intemperanter libidini ſervierunt. Sic Concilium Turonenſe 2. Can. 19. anno Chriſti 567. Clericos à conjugii uſu non abſtinentes Nicolaitas vocat. Et in hac ſignificatione Petrus Damiani in Epiſt. ad Hildebrandum poſtea Romanum Pontificem Gregorium VII. Nicolaitarum nomen uſurpat. Verùm Rupertus Tuitienſis in ſuo ad Apocal. Commentario eos potiùs Nicolaitarum dignos nomine cenſet, qui à conjugio abſtinent, & vagis libidinibus ſe polluunt. Gloſſa Marginalis Cauſa 2. q. 7. Cap. *Non omnes Epiſcopi* ad hæc verba ex Hieron. *Attendis Petrum, ſed & Judam conſidera: Stephanum ſuſpicis, ſed Nicolaum reſpice*, notat quòd iſte Nicolaus fuerit Mahometus, quem colunt Pagani; pro qua ſententia Hugo allegatur, cujus gloſſæ Dominicus & Carolus Macri fratres in Hierolexico meminere. Sed hoc non in ſenſu proprio dictum exiſtimo; nemo enim ignorat, Nicolaum, de quo in Actis & in Apocal. mentio fit, non fuiſſe Mahometum: ſed ideo talem dictum, quia in promiſcua plurium feminarum concedenda licentia Nicolao & Nicolaitis prorsùs ſimilem. „ Tolerabiliora
„ ſunt (inquit Ittigius) quæ de Nicolaitis habet Ambroſius Ans-
„ bertus in Comment. ad Apocal. Cùm enim de Nicolaitarum
„ ſecta quædam ex Auguſtini de Hæreſibus libello protuliſſet, ſub-
„ jicit in genere omnes hæreticos Nicolaitarum nomine compre-
„ hendi, Nicolai enim nomen ſtultum populum denotare, & ta-

„ lem populum hæreticos esse dicit „ . An in isto sensu Nicolaita dici possit Ittigius, ipse viderit.

§. II.

Nicolaitarum infame commercium.

I. Palmaris error Nicolaitarum fuit, licitum esse indifferentem feminarum usum; licèt enim à Simone turpis hic error initium sumserit, ex facto enim Nicolai offerentis uxorem suam, ut quisquis vellet eâ uteretur, occasionem acceperunt, qui eum audierunt, hanc hæresim solemniter profitendi: unde hoc charactere specialiter notantur Nicolaitæ à S. Joanne in Apoc. cap. 2. *Habes illic tenentes Doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari: Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*. Unde S. Irenæus de Nicolaitis: *Pleniſſimè autem*, inquit, *per Joannis Apocalypsim manifestantur qui sint, nullam differentiam esse docentes in mœchando*. Hinc factum est, ut ab istis magis quàm à Simone cæteri posteriores hæretici, ut Basilides, Carpocratiani, Gnostici, & Marcionitæ hanc hæresim accepisse dicantur, &, ut supra adverti, etiam succedentibus seculis, qui libidinibus servierunt Nicolaitarum nomine sint nuncupati.

II. Infame Nicolaitarum commercium describens Clemens Alex. L. 8. Strom. ait: *Sunt autem qui etiam publicam venerem vocant Communionem.... Communio quoquè bonum quidem est in communione pecuniæ, nutrimenti & vestitus: illi autem quamlibet rei venereæ conjunctionem impiè vocaverunt communionem*. Et post pauca: *In fornices quidem & prostibula deducit hæc communio, & ejus cum eis participes fuerint sues & hirci: In majori autem spe apud eos fuerint, quæ præsunt lupanari meretrices impudenter quoslibet qui volunt admittentes*. Antea verò contra ejusmodi sectam exclamans, ait: *O impietatem! etiam voces hominum ementiuntur isti intemperantiæ communicatores, fratresque libidinis, non solùm probrum Philosophiæ, sed etiam totius vitæ, qui veritatem, quantum in eis situm est, adulterant, ac corrumpunt, vel potiùs defodiunt, qui omnium hominum infeliciſſimi carnis & coitus conjunctionem esse pronuntiant sacram communionem, & eam existimant deducere ad Regnum Dei*.

Indè ex professo eos ad resipiscentiam invitans: *Vos autem*, inquit, *non sic Christum didicistis, siquidem ipsum audiistis & in eo docti estis, quemadmodum est veritas in Christo Jesu, ut deponatis quæ sunt secundùm veterem conversationem, veterem hominem, qui cor-*

rum-

rumpitur secundùm desideria deceptionis. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induatis novum hominem, qui creatus est secundùm Deum in justitia & sanctitate veritatis ad Dei similitudinem. Efficiamini ergo Dei imitatores, ut filii dilecti, & ambulate in dilectione, sicut Christus quoquè dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, vel avaritia, nec nominetur quidem in vobis, sicut decet Sanctos. His ex Paulo ad Ephesios eos monebat Clemens, sed inaniter: ut enim Epiphanius dicit Hæres. 25. *Eorum plerique, quos commemoravimus, quo tandem pacto, quod ne proferre quidem licet, mero improbitatis artificio in promiscuo mulierum concubitu, immanique turpitudine volutari docuerunt, quemadmodum Sanctissimus Paulus alibi* (ad Ephes. 5. v. 12.) *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis turpe est & dicere*. Rupertus etiam Tuitiensis in Apoc. de eis hæc scribit „ Nicolaitæ portant vasa Domini, nihilominùs incontinentes sunt, non volentes legitimum habere conjugium, „ utpote legibus Ecclesiasticis interdictum: imo & in deterius „ prorumpunt mutantes connubia quoties volunt, & qui nullum „ habent torum licitum, dum sic evagantur, nullum confidunt rupisse conjugii vinculum. Fornicantur autem cum illis, & initiantur Beelphegor quicumque exemplo talium ad incesta, vel „ adulteria audaciores fiunt „. Quibus Rupertus nedum veteres Nicolaitas, sed quemcumque sacris initiatum, qui eorum facta imitaretur, perstringit.

III. Ex hac in aliam, & quidem atrociorem impietatem ruebant: non solum enim licitum esse usum indifferentem feminarum statuebant, sed addebant, impuram viri ac mulieris commixtionem meritoriam esse: imo vitam æternam negabant ei, qui eam quotidie non exerceret. Ita refert Epiphanius: *Nisi qui singulis diebus luxuriæ vacet, sempiternam salutem neminem posse consequi*. Hos ita exagitat in Nicolao „ Ubi completur per te, ò Nicolae, id quod „ à Domino dictum est: *Sunt Eunuchi, qui Eunuchi facti sunt ab* „ *hominibus, & sunt Eunuchi qui de matris utero sic nati sunt: &* „ *sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum Cælorum*? „ Quomodo tu te ipsum & credentes tibi seduxisti per lasciviam „ & turpem operationem, veritatem Dei injustitiâ ac iniquitate „ detinens ac docens? Ubi vero à te impletum est illud: *De vir-* „ *ginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam* „ *misericordiam consecutus: Bonum est sic esse*? Et rursus: *Virgo* „ *curat ea quæ Domini sunt, ut sit sancta & in corpore & in spiritu*: „ & quæcumque sunt, quæ de sanctitate & continentia ac virgini- „ tate proferre liceat? A te enim omne cœnum immunditiei im-

ทu-

„ pudenter introducitur „. Ita Epiphanius. Meritò igitur, ut supra dixi, subsequentium seculorum Patres, dum homines libidinibus deditos designare volunt, Nicolaitarum appellatione utuntur. Verùm contra illos stat utrumque Testamentum. Vetus quidem Deuteron. ubi Virgini voluntariè stupratæ, & matrimonio junctæ, viro etiam qui cum alterius concubuerit, utrique adultero & adulteræ mortem indicit. Et Ecclesiastici 19. v.3. dicit: *Qui se jungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus*. Novum etiam per os Pauli 1. Cor. 6. v.9. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores ...: regnum Dei possidebunt*. Quæ verba Nicolaitas in hoc errore jugulant.

§. III.

Immolatorum comestio.

I. ERrabant tertiò, dicentes de Idolothytis comedere licitum esse. Huic resistit Concilium Jerosolym. Act. 15., in quo Apostoli decreverunt ab immolatis abstinendum esse, quod præceptum persæpè inculcat Paulus 1. Cor. 7. v. 4. & 7. & præcipuè c.10. v.19., ubi ostendens, quòd sicut qui participant de Corpore & Sanguine Christi in Altari sunt participes Christi; ita qui manducant de idolothytis & immolatis participes sunt dæmoniorum: *Quid ergo?* inquit, *dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum*. Hinc in Apocalypsi c. 2. v.20. reprehenditur Episcopus Thyatiræ, quòd permiserit mulierem Jezabel seducere servos Dei, fornicari, & manducare de idolothytis. Quod enim fit in venerationem idoli idololatria est, inquit Tertullianus L. de Spectaculis cap.13. his verbis: *Utrâque idololatriâ abstinemus: nec minùs templa, quàm monumenta despuimus: neutram aram novimus, neutram effigiem adoramus: non sacrificamus, non parentamus; sed neque de sacrificato & parentato edimus, quia nec possumus cœnam Dei edere, & cœnam dæmoniorum*.

II. Non solùm autem vetitum est comedere idolothyta in cultum & venerationem idoli; sed etiam quando ex hujusmodi comestione, licèt non factâ animo colendi idolum, posset oriri scandalum in scientibus, sive fidelibus sive infidelibus. Hoc apertè tradit Pau-

Paulus 1. Cor. 10. v. 27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. Quia*, inquit Ambrosius (seu Auctor Comm. in 1. Ep. ad Cor. cap. 10.) *alius qui idolis servit, gloriabitur, te edente de sacrificatis, quasi venereris idola, & ideo non debet edi. Apud conscientiam enim lætabitur suam, quia videt, te libenter appetere quod idolis immolatum est.* Et Hieronymus ait: *Propter conscientiam, ne quis putet, illa nos quasi sancta comedere.* Idem dicit Clemens Alex. L. 2. Pædagogi cap. 1.

III. Quod si idolothytum vel nesciens vel sine scandalo manducat, non peccat. Hinc S. Paulus citato loco v. 25. dixerat: *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, & plenitudo ejus.* „ Et hoc, ut notat Augustinus, dicit Paulus, quia quidam infirmiores illo tempore abstinebant à carnibus, & à vino, ut ne vel nescientes inciderent in ea, quæ idolis sacrificabantur. Omnis enim immolatitia caro tunc macello venundabatur, & de primitiis vini libabant gentes simulacris, & quidam in ipsis torcularibus sacrificia faciebant „. Et rationem dat in Ep. 154. (modò 47.) ad Publicolam, cur non peccet, dicens: *Non autem peccat, qui cibum postea nesciens manducabit, quem priùs idolothytum respuit: Olus vel quilibet fructus in quolibet agro natus ejus est, qui creavit: quia Domini est terra & plenitudo ejus: & omnis creatura Dei bona est. Sed si illud, quod in agris nascitur, consecratur idolo, vel sacrificatur, tunc inter idolothyta deputandum est.*

IV. At si viator Christianus fame pressus, nec inveniat alium cibum, quàm in idolio positum, ubi nullus hominum adsit, poterit ne illo vesci, an potiùs debebit fame emori? Huic quæsito respondet S. Augustinus Epist. supra citatâ his verbis: *Aut certum est esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse, meliùs Christianâ virtute respuitur: si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur.* Ubi non absolutè dicit esse respuendum ab eo qui scit esse immolatum, sed meliùs facere si respuat, *meliùs Christianâ virtute respuitur.* Cæterùm maximè in casu extremæ necessitatis, si nullus adsit testis, nec comedatur in venerationem idoli, sed ut cibus à Deo creatus, posse licitè comedere, puto, nec Augustinus dissentiet. Et huc spectat prælaudatum Pauli dictum: *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter*

conscientiam: ideft, etsi sciatis, quòd omne quod in macello venditur sit immolatum, quasi id nesciatis, emite tanquam cibum communem, nihil tamen interrogantes; quia si interrogatis, & venditor dicat esse immolata, si postea emitis, qui videt scandalizatur putans, vos participare de mensa idolorum.

V. Quid autem faciendum esset, si tyrannus aliquis infidelis in odium Christianæ religionis omnia quæ ad communem vitæ usum necessaria sunt idolis immolari juberet, ut vel Christiani immolata comederent, vel fame interirent? Respondendum videtur, quòd vel tyrannus ille hoc faceret, ut sic Christianos vexaret, non tamen præciperet; vel præciperet, ut de eis comederent. Si non præciperet, sed purè ad vexandos Christianos hoc faceret, possent licitè tales cibos emere, eisque uti, nihil tamen interrogantes, sed sumendo illos tanquam creaturam à Deo creatam & bonam in se, non ut idolo consecratam: & maximè publicè, vel exteriùs protestando, se immolata idolis execrari. Tunc enim etsi venditor non interrogatus, sed suâ sponte diceret, eos esse immolatitios, licitè emerentur, quia factâ illâ declaratione tum vendentis tum, aliorum cessaret scandalum; omnes enim viderent Christianum eos emere, ut necessitati succurrat, non ad cultum idoli.

VI. Hujus celebre exemplum ministrat nobis Theodoritus L.3. Hist. cap. 15. Cum enim impius Julianus, ut Christianos vexaret, jussisset fontes omnes, panes, carnes, olera abominandis sacrificiis contaminari; Christiani licèt gementes, monita Pauli sequebantur, nihil interrogantes de præfatis comedebant: quod Theodoritus ita exponit: *Primum enim fontes, qui in urbe & Daphnæ essent, abominandis sacris inquinavit, ut qui lymphis uteretur cum eodem & abominatio communicaretur. Deinde omnia in macello venalia similiter polluit, nam lustrabantur panes, carnes, fructus, olera, & quæ alia victui comparantur. Hæc cernentes cognomento Salvatoris insignes, gementes quidem & quiritantes aversabantur facinus, uti tamen non dubitabant obsecuti legi Apostolicæ: quidquid enim, ait, in macello venit, edite absque discrimine propter conscientiam*. Hæc Theodoritus, qui postea refert, quòd cùm duo Imperatoris scutiferi ac satellites in quodam convivio impium illud facinus detestati fuissent, à quodam ex convivis ad Imperatorem delati fuere: à quo increpiti, cùm libertate Christianâ etiam apud eum conquesti fuissent, se absque horrore pati non posse, ut omnia abominationibus sint referta, quod sub ejus prædecessoribus Constantino, & aliis numquam factum fuit: Julianus ementitâ abjectâ mansuetudine jussit eos impiè cædi donec efflarent animam; spargens se eos non ob pietatem, sed ob petulantiam & con-

contumelias in Imperatorem vitâ privasse: & hoc ne tanquam Martyres honorarentur. Sed hoc ne quidem consecutus fuit: nam illi duo, quorum nomina sunt Juventius & Maximianus, ab Antiochena Civitate pretioso monumento donati annuis festis honorantur.

VII. Si verò Tyrannus etiam sub pœna ultimi supplicii præciperet, ut de immolatitiis comederent, ut eo actu ostenderent se exhibere cultum Idolo; tunc non liceret comedere, quia tunc urgeret præceptum confessionis fidei etiam cum dispendio vitæ, & comestio illa esset protestativa idololatriæ, & fidei Christianæ si non verbo saltem facto abnegatio, quod illicitum prorsùs est. Hoc movit magnum illum Eleazarum de quo L.2. Machab. cap. *6.* ne vel amicis eum deprecantibus induceretur ad carnes porcinas etiam secretò & simulatè manducandas, ex quo talis comestio visa fuisset cedere in professionem falsæ Antiochi religionis & scandalum futurorum: unde ajebat: *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum; & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram.* In quo constans adeò permansit, ut, frementibus licèt qui ei assistebant, mortem subire maluerit gloriosam.

VIII. Hujus exemplum imitatus fuit S. Lucianus Antiochenus Martyr Versionis S. Scripturæ Auctor, qui ut ex Actis ejus apparet, & ad ann. 311. num.1. refert Spondanus, præter alia tormenta, pedibus in cippum injectis, & in quatuor foramina ingenti dolore distractis, manibusque ad lignum, quod erat super caput, vinctis, ne aliquo modò moveri posset ac super densos testarum aculeos nudus cubare coactus, cùm ei omnis cibus præter sola idolothyta interdiceretur, maluit fame necari, quàm iis contaminari & per quatuordecim dies in hoc statu perduravit. Hinc Daniel sciens, sibi ac sociis ministrandos cibos de mensa Regis idololatricis superstitionibus inquinatos, ut habetur Daniel.1. v.8. *Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus ejus, & rogavit Eunuchorum præpositum ne cotaminaretur;* qui ei humanè indulsit; communes vilesque cibos tantum ei ac sociis ministrans. Ex his Lector vides quantum alienum fuit à veri Dei cultoribus in utraque lege de cibis immolatitiis & lege vetitis degustare. Soli Nicolaitæ, Basilidiani, & alii post ipsos hunc horrorem deposuere; & ex hoc infer, eos non esse veri Dei cultores. Ac similiter tuum sit decernere, an ex horum schola prodierint Calvinus L.4. Inst. cap.12. dicens: *Latæ sunt impiæ leges, quæ con-*

scientias exitialibus vinculis stringunt. Interdictus carnium usus, quasi hominem contaminaret. Lutherus L. de Delectu ciborum: *Verùm est, nos liberos esse, omnique escâ, sive carnibus, sive piscibus, ovis ac butyro liberè vesci posse*: Et alii.

§. IV.

De Deo & Mundi conditione.

I. QUid de Deo & Mundi creatione fabulati sint Nicolaitæ, compendio perstringit S. Augustinus L. de Hæres. cap. 5. his verbis: *Narrant etiam quædam fabulosa de Mundo, nescio quæ barbara Principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus risum potiùs faciunt, quàm timorem. Intelliguntur autem etiam isti, non Deo tribuere creaturam, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.*

Epiphanius verò Hæres. 25. dicit: in hoc exponendo seu veriùs fingendo, Nicolaitas fuisse inter se divisos, unoquoque sectam suam ad suos pravos & turpes affectus trahente. Quidam enim ipsorum quandam *Barbelo* celebrant, quam supernè esse dicunt in octavo Cœlo. Hanc à patre productam matrem esse *Jaldabaoth*, vel Sabaoth, ut alii volunt. Hunc ejus filium per tyrannidem dominium septimi Cœli obtinuisse, & inferioribus dixisse: *Ego sum primus & postremus & non est alius præter me*. Quæ cùm audisset Barbelo mater ploravit. Eandem specie formosam Principibus apparere dicunt, ab iisque semen per voluptatem ac profluvium auferre, nimirùm ut vim suam in diversos distractam iterum recuperet. Ita sub specie mysterii fœditates, quas vel referre pudet, in orbem invehebant. Alii *Prunicum* fictitiam mulierem, & *Calaucauch* unum ex Principibus impensiùs colebant. Porrò *Prunicum* ex Græcorum usu nil aliud significat, quàm lasciviam, scortationem, & corruptionis aggressionem. *Calaucauch* verò quod ab Isaia usurpatur, & significat *spem supra spem* ad suos turpes fines abutebantur. Ita ex S. Epiphanio.

II. Circa verò conditionem Mundi fabulas fabulis admiscebant. Dicit enim idem Epiphanius, quòd ex iis quidam dicebant, initio nil aliud fuisse, quàm tenebras & aquam, seu voraginem quas spiritus invicem separavit. Verùm tenebræ contra spiritum iracundiâ ac furore percitæ sursùm excurrentes eum eo congressæ sunt. Inde matrix nescio quæ prodiit, quæ ejusdem spiritus consuetudinem appetiit, ex eaque quatuor Æones producti sunt. Ab iis

iis quatuor alii procreati; item dextera ac finistra, necnon lumen ac tenebræ. Ex his omnibus turpem quendam Æonem genitum esse asserebant, ex cujus cum præfata matrice concubitu Dii, Angeli, Homines & septem spiritus dæmoniorum ortum habuere, & hos septem spiritus Mundum condidisse putabant. Unde etiam Tertullianus L. de Præscr. cap.46. de Nicolao: *Hic*, inquit, *dicit, tenebras in concupiscentia luminis & quidem fœda & obscena fecisse; ex hac permixtione, pudor est dicere, quæ fœtida & immunda sunt, & cætera obscena. Æones enim refert quosdam turpitudinis natos, & complexus & permixtiones execrabiles obscœnasque conjunctas, & quædam ex ipsis adhuc turpiora. Natos præterea dæmones, Deos, & spiritus septem, & alia sacrilega pariter & fœda*. Sic Mundi fabricam per turpitudinum successiones disponebant, ut suæ sectæ fœditatibus confirmandis esset accommodatior.

III. Primò ergo Mundum non à Deo conditum esse asserebant (quem errorem à Simone Mago & Menandro acceperant) sed ab illis fortè septem spiritibus, qui ex turpis Æonis cum Matrice commercio prodierant. Dum initio tenebras voraginem & aquam posuerunt, quæ à spiritu divisa dicebant, puto abutebantur verbis Moysis Gen. 1. v.2. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei ferebatur super aquas;* quasi ista essent prima rerum principia: in hoc Phœnices secuti, qui ut tradit Eusebius L.1. de Præpar. Evangelica cap. 10. loquens de Phœnicum Theologia ita ait: *Principium hujus Universitatis ponit Aerem tenebrosum, ac spiritu fœtum, seu matris tenebrosi aeris flatum ac spiritum, Chaosque turbidum, altâque caligine circumfusum.... Verùm ubi spiritus amore principiorum suorum flagrare cœpisset, eorumque simul esset mixtio consecuta, nexum hunc mutuam cupidinem appellarunt. Is quidem rerum omnium procreationis principium fuit. Spiritus verò suam ipsius procreationem minimè agnoscebat. Ex hac illius conjunctione prodiit Mot; id quod limum nonnulli, alii aquosæ mixtionis corruptionem esse volunt, ex qua secutæ corruptionis semina, ipsaque adeò rerum universarum generatio extiterit.* Et post aliqua subdit: *Tum ex Colpia vento, atque ejus uxore Baau, quam Græci noctem interpretantur, ævum ac primogenitum, mortales ambo, procreatos; Ævumque cibi ex arboribus petendi Authorem fuisse. Qui ab illis geniti sunt eos Genus ac Progeniem appellatos.* Super hanc Phœnicum Theologiam verisimile est suum de Mundi conditione systema, nimirum fabulam super fabulam Nicolaitas fabricatos fuisse.

IV. In eo tamen mendacia secum invicem pugnantia observans S. Epiphanius, quòd ex una parte unum ab initio Patrem esse

esse dixerint, postea multos Deos pronuntiaverint, & proinde errorem contra se ipsum armaverint, & proinde veritate ex omni parte emergente, dum illum stabilire conantur, evertant; ita redarguit „ Quid igitur est Nicolae? Tibi quid opponam? quid disputavero? unde nobis turpem illum nescio quem Æonem, ac „ nequitiæ radicem, & fœcundam illam Matricem (seu Metram) „ ac denique plures Deos, ac dæmonas invehis? Nam quod ad „ Apostolum attinet: *Si sunt, qui appellantur Dii*, eos nusquam esse „ significat. Cùm enim *qui appellantur* dicit, ostendit eos in eo „ quòd dicuntur solùm esse, non esse autem substantiâ, sed per „ quorundam opinionem. *Nobis verò* Deus, inquit, *unus est*. Nobis, „ inquam, qui veritatis sumus cognitione prædíti: nec dixit: *Qui* „ *dicitur Deus*, *sed qui est Deus*. Quòd si unus nobis est Deus, „ plures omnino Dii esse non possunt. Accedit & Christi in Evan„ gelio dictum illud: *Ut cognoscant te solum verum Deum*: quo „ everteret opinionem illorum qui fabulosa dicunt, & multos „ Deos esse putant: Unus enim nobis est Deus, Pater, Filius & Spi„ ritus Sanctus, tres Personæ, una dominatio, Divinitas una; una „ laudis omnibus gloriæque prædicatio. Proinde nequaquam plu„ res Dii sunt „. His Nicolaitas, & omnes Polytheos aggreditur, & quidem validè, Epiphanius.

V. Dum verò negabant, creaturam esse à Deo, totam primi Capitis Geneseos historiam evertere conabantur, quâ Mundi totius sive Cœlestis sive terrestris creatio & singularum ejus partium productio Deo soli adscribitur. Et illud Exodi 20. v. 11. *Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum*, *& terram*, *& mare*, *& omnia quæ in eis sunt*. Ideoque Psalm. 88. v. 12. omnia Deo attribuuntnr: *Tui sunt Cœli*, *& tua est terra*: *Orbem terræ*, *& plenitudinem ejus tu fundasti*: *aquilonem & mare tu creasti*. Sed quid in hac veritate, quam omnis utriusque fœderis Scriptura, & recta ratio prædicat, Lectorem detineo? Solum Jeremiam Nicolaitas & alios similes jugulo petentem cap. 10. v. 10. objiciam: sic enim ait: *Dominus autem Deus verus est*: *ipse Deus vivens*, *& Rex sempiternus*: *ab indignatione ejus commovebitur terra*; *& non sustinebunt Gentes communicationem ejus. Sic ergo dicetis eis*: *Dii qui Cœlos & terram non fecerunt*, *pereant de terra*, *& de his quæ sub Cœlo sunt*. *Qui facit terram in fortitudine sua*, *præparat Orbem in sapientiâ suâ & prudentiâ suâ extendit Cœlos*. Sed idcircò Nicolaitæ Deum verum nolebant, quia suis fœditatibus sciebant esse contrarium; erantque de numero illorum, qui *dixerunt Deo* (Job. 21. v. 14.) *recede à nobis*, *scientiam viarum tuarum nolumus*: aliosque sibi Deos, qui ex turpibus commerciis & ipsi progeniti, eorum immunditias quâdam quasi reli-

religione consecrarunt, ut sic eas velut res Divinas imperitis proponerent. Sed his dimissis, turpiora nobis occurrunt.

CAPUT IV.

De Gnosticis.

§. I.

Origo & nomen.

I. DE tempore, quo primò exorta fuit hæc hæresis, & quos Auctores habuerit, disceptatur. Eorum originem ad secundum seculum differunt, qui volunt, Gnosticos ex Carpocratis vel Prodici ejus filii schola primò prodiisse sub Aniceto Papa, quo tempore Marcellina Romam Carpocratis doctrinam invexit. Ita Epiphanius Hæres. 27. *Quamobrem*, inquit, *Aniceti, ut dictum est, tempore Marcellina Romam veniens, & Carpocratianæ doctrinæ virus evomens, multos illic errore suo depravatos in exitium impulit: indidemque Gnosticorum sunt excitata primordia.* Quod & Irenæus L. 1. c. 24. fateri videtur dum ait: *Unde & Marcellina, quæ Romam sub Aniceto venit, multos exterminavit. Gnosticos se autem vocant.* Quare Eusebius L. 4. Hist. c. 7. *Sed & Carpocratem quemdam*, ait, *iisdem vixisse temporibus, scribit Irenæus, alterius sectæ, quæ Gnosticorum dicitur, conditorem.* Hinc Hieronymus Dialog. adversùs Luciferianos *Gnoitam* vocat Carpocratem: Clemens verò Alex. L. 3. Stromat. nomen Gnosticorum dicit sibi assumsisse asseclas Prodici Carpocratis filii, & paternæ impietatis hæredis: *Talia*, inquit, *statuerunt Prodici quoque asseclæ, qui se ipsos falsò nomine vocant Gnosticos, seipsos quidem dicentes esse natura filios primi Dei, nobilitate autem & libertate abutentes, vivunt ut volunt.*

II. Alii verò eorundem originem altiùs repetentes, ipsis Pauli temporibus Gnosticos exortos fuisse dicunt, & de eis locutum Paulum fuisse cum 1. ad Tim. 6. v. 20. scripsit: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes, circa Fidem exciderunt.* Super quæ Theodoritus ibi: *Qui à Simone*, inquit, *processerunt appellati sunt Gnostici, quasi dicas, cognitione aut scientiâ præditi. Quæ enim divina Scriptura tacuit, ea dicunt sibi Deum revelasse: sunt autem plena impietate, petulantiâ ac libidine. Jure ergo eam vocavit falsò nominatam scientiam.* S. Jo. Chrysostomus Homil. 18.

in

in dictam Epist. dicit, fortasse jam tunc nonnullos singularis cujusdam scientiæ opinione turgidos Gnosticorum nomen sibi arrogasse. Irenæus tamen L. 1. cap. 20. etsi Simonianos Gnosticorum nomen usurpasse non expresse dicat, à Simonianis tamen falsi nominis scientiam initia sua accepisse scribit, & cap. 33. à Simonianis multitudinem Gnosticorum exsurrexisse, & quasi è terra fungos asserit prodiisse; atque Epiphanius ipse Hæresi 20. Simonem Magum turpissima sua mysteria pro altissima cognitione venditasse memorat.

III. E' Menandri Simonis discipuli schola Gnosticos prodiisse, indicat Irenæus ipse L. 3. cap. 4. his verbis: *Reliqui, qui vocantur Gnostici, à Menandro Simonis discipulo quemadmodum ostendimus sumentes initia, unusquisque eorum cujus participatus est sententiæ, ejus & Pater & Antistes apparuit*. E' Menandri enim schola, ut dixi, prodierunt Saturninus & Basilides, quorum uterque inter Gnosticorum majores recenseri solet. De Basilide id testatur Hieronymus L. de Script. Eccl. cap. 21., & in Epist. ad Ctesiphontem adv. Pelag. cap. 2.. De Saturnino (vel Saturnilo) & Basilide Irenæus L. 2. cap. 56. Et Epiphanius Hæres. 25. 26. & 27. ubi addit etiam Nicolaum dicens: *Ex omnibus enim his, Simone, Menandro, Saturnilo, Basilide, Nicolao, & ipso Carpocra, insuperque ex prætextu Valentini falsò appellatæ scientiæ hæresis producta est, quæ suos sectatores Gnosticos nominavit*. Hinc Philastrius Hæres. 33. de Nicolao prodiisse Gnosticos dicit: *Unde & Gnostici, qui scire se aliquid putant, maximè emerserunt*. Subscribit Theophylactus in c. 6. 1. ad Timoth. dicens: *Opinor, hæc Apostolum dicere de iis, qui tum nominabantur Gnostici, qui omni impuritate repleti erant: ideoque profanas nominavit vocum inanitates. Horum autem hæresi præfuit Nicolaus*. Unde S. Augustinus L. de Hæres. cap. 6. de Gnosticis: *Aliqui*, inquit, *eos à Nicolaitis exortos putant*.

IV. Cùm igitur in designando hæresis Gnosticorum vero ac legitimo parente tanta sit inter Patres diversitas, dum alii Simonem Magum, alii Menandrum, alii Nicolaum, alii Simonem, Menandrum, Saturninum, Basilidem, & Nicolaum simul, imo unus & idem modò unum modò alterum statuat, & alii tandem Carpocratem & Prodicum ejus filium parentes decernant: quæ via excogitanda erit, ut omnes invicem conciliemus? Non alia puto, quàm si distinguamus generale nomen erroris, à speciali nomine Sectæ, quæ antiquos errores cumulans, novosque suos addens, speciali Gnosticorum nomine Ecclesiam polluere, & Evangelicam veritatem turpibus mendaciis corrumpere tentavit. In priori sensu à Simone Mago præconceptam per subsequentes hæreticos tra-

du-

ductam, & propagatam hæresim Gnosticorum dicere possumus, cum nemo illorum fuerit qui se Gnosticum idest novæ scientiæ cognitorem non jactaverit, & sub ementito mysteriorum nomine novas turpesque fabulas commentus non sit, ut ex hactenus dictis apparere potest. Et in hac generali notione Gnosticos intellexisse crediderim Philastrium & Theodoritum, qui eos inter particulares hæreticorum sectas non recensent, vel aliis adjungunt. In posteriori autem sensu Gnosticorum auctorem Carpocratem, & Prodicum ejus filium propagatorem fuisse dici posse putaverim: ideoque nec in scriptis Apostolicis, nec apud Scriptores Irenæo antiquiores Gnosticorum appellatio occurrit. Huic meditationi favet Irenæus L. 4. cap.4., ubi postquam ut supra dixit Gnosticos à Menandro accepisse initia, addit: *Omnes autem hi multò posteriùs, mediantibus jam Ecclesiæ temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam.*

V. Gnostici appellati sunt, quia se in cognitione & scientia singulares esse gloriabantur; *Gnosticus* enim idem est ac *Cognitor*. Unde Augustinus: *Gnostici*, inquit, *propter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur; cùm sint superioribus omnibus vaniores atque turpiores*: qui addit, quod *nonnulli etiam* Borboritas *vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur*. Borborianos ab aliis appellatos dicit Epiphanius Hæres.26.; Philastrius verò Hæres. 73. Borborianos sic appellatos dicit, quod in cœnum euntes, faciem suam & membra sua cœno deforment, & eâdem re velut culpandam Dei creaturam demonstrent. Theodoritus verò L. 1. Hær. Fab. cap. 13. Borborianos *Barbeliolitas* appellat à Cœlesti quadam virtute, quam *Barbeloth* vocabant, de qua plura indigna effutiebant. Hoc tamen Barbeliolitarum nomen ad Gnosticos etiam spectare indicat Epiphanius, cum Gnosticos à nonnullis Barbelitas dictos affirmat.

VI. Ibidem etiam dicit, quòd alii *Coddianos* appellarint.; Codda enim Syriacâ linguâ idem est ac *paropsis*, seu catinus, ex eo quòd non possint aliqui cum eis cibum sumere, sed separatim inquinatis illis edulia dentur, nec quisquam ob rerum spurcitiam vel pane cum ipsis communiter vesci queat. Ideòque etiam Coddiani dicti, idest *soli*, quia à communi consortio segregati vivebant. Alibi, pergit Epiphanius, aliis nominibus vocabantur ut in Ægypto *Stratiotici* & *Phibionitæ*, vel *Phrobionitæ*, quod nomen Valentini discipulis ex ejus patria ortum putat Cotelerius in notis ad Damasc. de Hæresibus; Valentinus enim ex Epiphanio Hæres. 31. Phribonites patriâ fuit. Alii vocabant eos *Zacchæos*, alii *Barbelitas*. Damascenus

nus de Hær. cap. 27. *Socratitas*. Theodoritus *Naasinos* L. 1. Hær. Fab. cap. 13. appellant. Tanta autem nominum diversitas ex eo fortè prodiit, quòd cùm Gnostici nomen varias sectas complecteretur, contingebat, ut quisque novum errorem pariens novam sectam è suo nomine formaret: quo fiebat, ut hæreses contrarias identidem docerent.

§. II.

Gnosticorum mores turpissimi.

I. GNosticorum mores adeò turpes erant, ut eos vel indicare pudor vetet; notum est, vel ipsum Gnosticorum nomen apud antiquos illos indicare, qui extremas impuritates profitebantur, adeòque obscenas, ut ex dictis nemo vel frustum panis comedere cum illis vellet; de iis enim locutum fuisse S. Judam in sua Epist. censet Epiphanius dicens „ Ostendit enim ipsos Spiritus „ Sanctus per vocem Judæ, quòd ad brutorum similitudinem cor„ rumpantur & corrumpant, qui dicit, quòd quæ quidem non „ sciunt, in his ignoranter capiuntur, quæ verò sciunt, in his ve„ lut bruta corrumpuntur. Instar canum enim & suum corru„ ptionem à se ipsis perficiunt. Canes enim & sues, itemque alia „ animantia sic corrumpuntur, & defluxum à corporibus suis „ edunt. Nam verè somniantes carnem polluunt, dominationem „ autem ignominiâ afficiunt, Majestates verò blasphemant „. Ad eos respexisse existimatur etiam S. Petrus in Epist. 2. c. 2. v. 12. dum ait: *Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt. Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes in conviviis suis luxuriantes vobiscum. Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles*. Et infra: *Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur. Libertatem illis promittentes, cùm ipsi servi sint corruptionis, à quo enim quis superatus est, hujus & servus est*. His compertum fit, D. Petri & Apostolorum temporibus vel Gnosticos jam extitisse, vel alios qui obscenitates à Gnosticis postea susceptas præformarint.

II. Sed ut à generalibus ad particularia descendam quantum honestas patietur, cum Epiphanio dicam primò „ Quòd ipsam „ suam synaxim & communionem turpitudine multiplicis coitus „ polluunt, comedentes, ac contingentes tum humanas carnes, tum

„ tum immunditias, ut ne audeam quidem totum eloqui, nisi „ sanè cogerer propter excellentem animi mei dolorem, ab his „ quæ vanè ab ipsis fiunt stupore perculsus „. Deinde protestatus, se timere ne si hujus basilisci serpentis faciem revelet, ad perniciem magis legentium cedat, quàm ad correctionem: Attamen se omnino effari debere concludit, cùm S. Moyses dicat: *Si quis viderit cædem, & non manifestaverit, maledictus fuerit talis*. Fortasse enim ubi declaraverit pudentibus hunc lapsum, velut puteum interitus, timorem ac horrorem inducet, ut non solùm vitent, sed etiam lapidibus impetant obliquum illum serpentem ac basiliscum in profundo barathro latitantem, ut ne appropinquare quidem alicui valeat. Hoc ergo salutari præservativo Lectorem muniens Epiphanius narrare incipit.

Quòd primùm Gnostici communes uxores habent, & si quis peregrinus de eorum secta accesserit, viri simul ac feminæ manus mutuò contrectantes ac titillantes ad salutandum accurrunt. „ Hinc igitur mutuâ cognitione acceptâ statim ad epulationem „ convertuntur. Larga verè & opipara edulia, carnis esum, & „ vini potum apponunt, etiamsi pauperes fuerint. Ex hoc autem „ ubi compotarunt, & venas (ut ita dicam) satietate impleve- „ runt ad œstrum se convertunt. Et vir quidem concedens uxo- „ rem alteri ad ipsam dicit: Surge: fac dilectionem cum fratre. „ Ubi verò miseri illi inter se commixti fuere, turpe est dicere „ quæ faciunt: attamen (inquit Epiphanius) non erubescam di- „ cere, quæ ipsi facere non erubescunt, ut omnibus modis horro- „ rem incutiam audientibus turpia quæ ab ipsis perpetrantur fa- „ cinora.

„ Peracto stupro subinde contumeliosis cœlum vocibus ap- „ petentes utrique maris profluvium cavis manibus excipiunt, ac „ sublatis sursùm oculis fœdum illud & abominabile manibus „ præferentes consistunt, ac preces concipiunt: Militares quidem „ (seu Stratiotici) Gnostici ad universorum, ut ajunt, parentem, „ cui & quod manibus gestant, offerunt cum hoc solemni carmi- „ ne: *Hoc tibi munus, nimirùm Christi corpus, offerimus*: atque ita „ cum eo vescuntur, & impurissimas suas sordes degustant. Ita- „ que dicunt: *Hoc est corpus Christi. Et hoc est Pascha. Idcirco* „ *corpora nostra patiuntur*. Et Christi supplicia confiteri coguntur. „ Eodem modo quoties mulier menstruos fluxus patitur, fœdissi- „ mum illum sanguinem collectum unâ omnes absorbent, atque: „ *Hic est*, inquiunt, *sanguis Christi* „. Quis ad hæc non horreat?

III. Subinde alia eorum nefanda scelera referens, dixit „ Cæterum cum inter sese venerem exerceant, liberos tamen susci-

 pere

„ pere prohibent. Non enim prolis studio, sed ut libidini suæ serviant, ei corruptelæ vacant. Ita miseris hominibus diabolus illudit, & opus Dei fraudibus suis implicatum per ludibrium traducit. Proinde sic libidini satisfaciunt suæ, ut impurissimum semen in se ipsos recipiant, neque illud ad propagandam sobolem emittant, sed suâ ipsi turpitudine pascantur. Quod si fortè quispiam excreti seminis immissionem anteverterit, & ex eo gravida facta sit mulier, audi quid demum flagitiosiùs aggrediantur. Nam informèm adhuc fœtum ex utero detractum, quocumque is tempore visum est, infantem inquam abortione projectum in mortario pistillo tundunt. Cui ad vitandam nauseam mel ac piper cum aliis aromatibus & unguentis admiscent. Sic in unum collato porcorum & canum sodalitio unusquisque è comminuto infantuli corpusculo digito delibat: deinde preces fundunt ad Deum „. Et addit „ Sed & alia horrenda ipsi audent. Cùm enim rursùs insaniam in se ipsis conceperint, imbutis manibus turpitudinis suæ defluxu surgunt, & manus suas inquinatas habentes nudi toto corpore precantur, tanquam per hujusmodi operationem inveniant dicendi apud Deum libertatem. Corpora autem sua tum muliebria tum virilia noctu ac diu curant, unguentis, balneis, epulationibus, concubitibusque & ebrietatibus vacantes „.

IV. Hæc S. Epiphanius, quo Gnosticorum turpitudinum & obscenitatum nemo fortè magis conscius. Eodem cap. 26. scribit, quòd cum adhuc esset juvenis, & in feminas illius sectæ incidisset, ab eis non solùm turpia, in quibus miscebantur, intellexit, sed omnibus artibus illectus ac tentatus fuit, ut ad earum obscena castra transiret: at Dei misericordiâ servatus, non solùm illecebris non consensit, sed adiens Episcopum, infamem illum cœtum ab urbe expelli curavit: *At*, inquit, *misericors Deus ab improbitate ipsarum nos liberavit, ut etiam post lectos ipsorum à nobis libros, & verè cognitam ipsorum opinionem, neque abductus sim, & effugerim, ac tunc non inescatus fuerim, sed studium adhibuerim, ut etiam Episcopo illius loci ipsos ostenderim, & nomina in Ecclesia occultata deprehenderem, quo iidem civitate exigerentur (erant autem nomina circiter octuaginta) & civitas à zizaniosa & spinosa ipsorum materie purgaretur*. Inde Deo gratiis actis, quòd suam miseram animam ab eorum laqueis eruerit, subdit: *Quemadmodum igitur illapsi & elapsi sumus, & legimus & scimus ac condemnavimus, & servati transilivimus: sic etiam te Lectorem adhortamur, ut legas, ac condemnes & transilias, ut ne incedas in venenum improbitatis horum reptilium. Sed etiamsi aliquando in aliquos ex serpentaria illa fabula incidas, statim arrepto*

ligno

ligno per Dominum nobis parato, in quo Dominus noster Christus affixus est, contrà caput serpentis dicas: Christus crucifixus est pro nobis effigiem relinquens salutis &c.

V. Nec solus Epiphanius, sed quotquot Gnosticorum meminere Veteres ab eorum impuritatibus indicandis abstinere non potuerunt. Clemens Alexandr. L.3. Strom. de Carpocratianis, qui & Gnostici dicebantur, postquàm eorum obscenos concubitus retulit dicit, eos hoc facere *ob Carpocrateæ (Divinæ enim nefas est dicere) legis obedientiam*. Idem scribit Eusebius Lib. 4. Hist. cap. 7. agens enim & ipse de Carpocratianis: *Consequenter etiam*, inquit, *docebant, quicumque ad perfectionem mysteriorum (seu potiùs flagitiorum) quæ apud ipsos agebantur, pervenire vellent, eos turpissima quæque perpetrare oportere: quippe qui Mundi hujus Principes ac Rectores, ut ipsi vocant, aliter evitare non possent, nisi unicuique eorum debita munera per obscenissimam libidinem persolvissent*. Ita turpissimas suas libidines velut sacra & mysteria suis numinibus offerebant ii, qui cognitores & sapientes se solos esse venditabant.

VI. Ex his tamen impietatibus & nefandis & sacrilegis obscenitatibus duo mala, & quidem gravissima in fidelem Populum redundarunt, ait Eusebius L.4. cap.7., *Primum effecit, ut ex fidelibus quicumque ab illis decepti essent, ad miserabile exitium tanquam captivi abducerentur. Deinde Gentibus à fide nostra alienis amplam obtrectandi & calumniandi Evangelii materiam subministravit, dum ab illis primùm orta infamia ad totius Christiani nominis opprobrium diffunderetur. Atque hinc factum est, ut absurda quædam & impia de nobis opinio apud Infideles tunc temporis spargeretur, quasi nefario concubitu cum sororibus & matribus misceri, & execrandis dapibus vesci soleremus*.

Irenæus quoque L.3. cap.27. de Carpocratianis, qui se Gnosticos prædicabant: *Qui*, inquit, *& ipsi ad detractionem Divini nominis & Ecclesiæ, quemadmodum & Gentes à Satana præmissi sunt uti secundùm alium & alium modum; quæ sunt illorum audientes homines, & putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas à præconio veritatis. Aut ut videntes quæ sunt illorum, omnes nos blasphement in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conversatione*. De hoc eodem conqueritur Epiphanius Hæresi 27. quæ est Carpocratianorum, dicens: *Sunt autem ex Satana subornati ac producti in opprobrium ac scandalum Ecclesiæ Dei. Indiderunt enim sibi ipsis cognomen Christianorum, ad hoc ut Gentes per ipsos offendantur, & Sanctæ Ecclesiæ Dei utilitatem, & veram prædicationem propter eorum nefaria facta, & incomparabilem improbitatem aversentur; & ut Gentes ipsorum assiduè nefaria opera con-*

considerantes, putent etiam Sanctas Dei Ecclesias tales esse, & avertant velut dixi aures à Dei & veritatis doctrina &c. Idem dicit Origenes L.6. contra Celsum.

VII. At hanc infamiam, quâ diù notati fuerunt à Gentilibus, Christiani omnes diluendam calamum strinxere. Tum Justinus Martyr in initio suæ Apolog. 2. ad Antoninum Pium, ubi non negat, aliquos Christianorum nomen gerentes convictos esse; dicit tamen malam consequentiam esse ex aliquorum damnatione, quia criminosi sunt, damnare omnes quia Christiani sunt: *Sed dicet aliquis*, inquit, *jam quidam capti, convicti sunt maleficii. Multos enim plerumque, cùm semper eorum qui accusantur, vitam exquiritis & consideratis, at non propter eos, qui ante dicti sunt, condemnatis. Hoc igitur universè planèque profitemur, quemadmodum ii qui apud Græcos placita sua & sententias docuerunt, uno penitùs Philosophiæ nomine appellantur, etiamsi decreta eorum sint pugnantia. Sic eorum etiam qui in Barbaris extiterunt, habitique sunt sapientes, commune esse nomen, quod crimini datur. Christiani enim appellantur omnes. Itaque à vobis petimus, ut eorum omnium, quorum nomina nobis delata sunt, facta judicetis, ut is qui convictus erit tanquam improbus, supplicio afficiatur, non ut Christianus*. Ita Justinus. Quæ petitio nostris etiam temporibus justè facienda esset à quorumdam zelo, qui delicto unius vel paucorum totam onerant Communitatem; alioquin Judæ delicto totum Apostolicum collegium culpandum esset.

VIII. Ad hanc depellendam infamiæ calumniam Apologeticum ad Gentes scripsit Tertullianus, ubi cap.7. *Dicimur*, inquit, *sceleratissimi, de Sacramento Infanticidii, & pabulo inde, & post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum & libidinum impiarum inverecundiam procurent*. (En quæ Gnostici fœdè agebant Christianis omnibus imputata, cui respondet) *Dicimur tamen semper, nec vos quod tamdiu dicitur, eruere curatis; ergo aut eruite si creditis, aut nolite credere qui non eruitis: de vestra nobis dissimulatione præscribitur, non esse, quod nec audetis eruere*. Sic probat, non esse vera ea, de quibus Christiani accusabantur; quia Pagani solis popularibus contenti vocibus, veritatem exquirere non curabant. Alia deinde subjicit, quibus calumniæ falsitatem ostendit.

Minutius Felix quoque in Octavio idem prosequens argumentum ait: *Quantum autem vitium sit incognitis & inexploratis judicare quod facitis, nobis ipsis pœnitentibus credite: & nos enim idem fuimus, & eadem vobiscum quondam adhuc cæci & hebetes sentiebamus: quasi Christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia*

vivia incesta miscerent : nec intelligentibus ab his fabulas istas semper ventilari , & nunquam vel investigari vel probari , nec tanto tempore aliquem existere , qui proderet , non tantùm facti veniam , verum etiam judicii gratiam consecuturus . Sic exemplo suo , qui olim de Christianis talia crediderat , & postea neminem repererat eorum esse reum, monet Gentes , ne credant . De hac impostura conqueruntur Ecclesiæ Viennensis ac Lugdunensis in Epist. ad Christianos Phrygiæ apud Eusebium L. 5. Hist. cap. 1. , & Theophilus Antiochenus ad Autolycum L. 3. gratulatur ei quòd ejusmodi nefanda non credat : *Nequaquam* , inquit , *moveris à stultis hominibus , qui te à vera Religione vanis verbis avertere moliuntur , neque iis obtemperare studuisti , qui falsò nos , qui Christiani nominamur , calumniis onerant . Ajunt enim , nostras uxores esse communes , & promiscuo concubitu nos uti criminantur . His accedit , quòd crimini nobis vertunt , quasi nec à propriis sororibus temperemus , verùm & has incesta libidine temerario ausu violemus . Istud præterea crudelissimum est , quòd nobis intendunt crimen , dum impio ore garriunt , nos humanis vesci carnibus .*

IX. En quomodo turpia ac nefanda, quibus Gnostici reverà inquinabantur , in crimen & maculam tot innocentium fidelium imo totius Christiani Populi mendax fama trahebat ; adeò ut Christi nomen blasphemaretur à Gentibus : nec ulla alia hæresis Christi & Ecclesiæ nomen & honorem contaminare, ut ista, conata fuerit : nec quidem brevi tempore , cùm pluribus seculis perduraverit præcipuè in Asia atque Ægypto,& ex illa prodierint Valentiniani, Manichæi , Priscillianistæ ; ac , ut dixi , ætate quoque Epiphanii illius fæcis homines adhuc extiterint . Et propterea ipse Hæres. 26. post indicatas ejus turpitudines dicit : *Et oportebat quidem hæc neque dicere , neque digna putare quæ in literas referantur ; sed sepeliri velut mortuum quemdam fœtidum & pestilentem graveolentiam exhalantem , ut ne etiam per aures læderet homines . Et si quidem præteriisset talis hæresis & non esset ampliùs in Mundo , bonum esset hanc sepelire , & neque omnino de ipsa dicere . Quandoquidem verò & peragitur , & vos inhortati estis nos , ut de omnibus dicamus ; partes ipsius coactus recensui , ut veritatem non silentio prætercam , sed exponam , ad avertendos quidem auditores , ad confusionem verò eorum qui faciunt .* Ita Epiphanius . Succedentibus tamen seculis sanctitate ac veritate Religionis , penitùs extincta ac tumulata fuit , ut vix turpis ejus memoria apud Eruditos nauseâ & horrore permanserit .

§. III.

§. III.

Gnosticorum fabulæ circa Scripturas, & Mundi opificium.

I. UTuntur Gnostici (inquit Epiphanius dicta Hæresi 26.) & Veteri & Novo Testamento. Sed ubi verbum repererint aliquod, quod contra ipsos sententiam facere potest, dicunt hoc à spiritu mundano profectum esse. Si verò aliqua sententia ad similitudinem concupiscentiæ ipsorum formari potest, non ut habet verbum, sed ut eis suggerit mens eorum decepta, hanc ad suam cupiditatem transmutantes dicunt, ex spiritu veritatis eam processisse. Hinc illud quod dixit Dominus de Joanne: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* dictum putant, quoniam non erat perfectus Joannes: agitabatur enim à multis spiritibus ad similitudinem arundinis, quæ ab utroque vento commovetur: & cùm quidem veniebat spiritus principis (nempe Dei Judæorum) Judaismum prædicabat, cum verò Spiritus Sanctus, de Christo loquebatur. Insulsa sanè, & contraria verbis Christi interpretatio; non enim Joannem assimilavit arundini: imo ut quosdam à tali opinione averteret, hoc eis dixit, nimirùm: *Quid putabatis? vos reperturos hominem assentientem vestris affectibus velut apud eos qui molles vestes gestant? Non sic: Non enim est Joannes arundo, quæ hominum sententiis agitatur; aut qui ab unaquaque simulatione ac fraude instar commotæ arundinis commoveatur.*

II. Mitto nefandos sensus, quibus Sacras Scripturas contaminabant. Sic illud quod Josue 2. dicitur de Rahab meretrice, quæ è fenestra appendit funiculum coccineum, ad turpia, quæ pudet dicere, detorquebant. Ac eorum impudens blasphemia eò usque processit, ut Christum ipsum libidinum magistrum facerent pluribus in Evangelii locis maximè cum Jo. 6. dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et propterea multos scandalizatos abiisse. Quis autem fuerit sensus, quo ea verba polluebant, referre modestia vetat: aliqua alia similia æquè nefanda indicat Epiphanius, à quibus abstineo.

III. Quasi autem satìs eis non esset Sacras Scripturas ad suarum turpitudinum præsidium vel invitas trahere, habuerunt præterea libros apocryphos quosdam, fabulis ac nugis eorum genio confectis refertos. Talis fuit ille, quem *Noriam* appellarunt. Noriam dicebant, fuisse Noe uxorem, quæ cùm voluisset sæpè cum Noe in arca versari, non permissa est, principe (ut ajebant) qui Mundum

dum creavit, volente eam perdere unâ cum aliis omnibus in diluvio. Ipsam verò consedisse in arca, eamque incendisse non semel atque iterum, sed sæpè. Unde ad multos annos arcæ ipsius structura devenit, & extensa est. Erat enim Noe obediens Principi Mundi conditori: Noria verò supernas virtutes revelavit, inter quas Barbelo, contrarias Principi: quibus alia turpia miscebant. Noriam autem eam vocabant quia *Nora* hebraicâ linguâ non tamen exactâ *Ignem* significat. Ita ex Epiphanio.

Habuerunt præterea Evangelium sub nomine Philippi Apostoli, Poema, quod Evangelium perfectionis inscripserunt, Evangelium Evæ, Libros sub nomine Jaldabaoth, alios sub nomine Seth, Revelationes ipsius Adæ, Interrogationes Mariæ magnas & parvas, aliosque ad hoc confictos, ut suis obscenitatibus auctoritatem conciliarent; ac insuper Prophetam quemdam introducebant *Barcabbam*, dignum ipsorum nomine. *Cabba* enim syriacâ linguâ *scortationem* significat, hebræâ verò *occisionem*, & ex eo turpem narrationem afferebant turpe eorum intentum adjuvantem. Videntes autem, se suasque nequitias à Paulo in Epistolis ad Timotheum apertè condemnari, eas rejiciebant. Sic regulariter aspernabantur Legem ac Prophetas, ac Spiritum illius, qui in Veteri Testamento locutus fuerat; Abraham proinde, Moysen, Eliam, cæterosque sacros Vates blasphemant.

IV. Duas ridiculas simul & turpes fabulas de Elia & Zacharia ab eis confictas Epiphanius refert „ Elias quando assumtus est, „ inquiunt, rursùs dejectus est in Mundum. Venit enim una ex „ dæmonibus, & tenuit, & dixit ipsi. Quò vadis? Habeo enim „ liberos à te, & non poteris ascendere, & hic dimittere liberos „ tuos. Et dixit (inquiunt) Elias: unde habes liberos à me, quum „ ego in castitate vixerim? Et dixit illa: Certè quando somnians „ sæpè in defluxu corporum evacuatus es, ego eram quæ assumsi „ à te semina & genui tibi filios „. Quanta stultitiâ! ait Epiphanius. Si ista dæmon erat, immunda quidem erat sed spiritus. Si spiritus: quomodo ex humano corporeo semine assumto poterat concipere & generare filios?

De Zacharia verò Jo. Baptistæ parente in Libro quem de Stirpe Mariæ vocabant, hæc fabulabantur „ Vidit enim in hora suffitus, quum suffitum faceret, hominem quemdam stantem asini, „ formam habentem: & cùm egressus esset, ac dicere vellet: Væ „ vobis, quem adoratis? Obturavit illius os ille qui visus est ab „ ipso in templo, ut loqui non posset. Quum verò aperiret os „ suum ut loqueretur, tunc revelavit ipsis, & occiderunt eum: „ & sic mortuus est Zacharias. Ob hoc enim præceptum est Sa-

„ cerdoti ab ipso Legislatore, ut habeat tintinnabula, quo cùm „ ingrediatur ad facienda sacra, is qui adoratur, audito tintin- „ nabulorum sonitu, se occultet, ne deprehendatur formæ ipsius „ expressa facies „. Hanc insaniam rejicit seu veriùs irridet Epiphanius ita „ Si enim omnino visibilis erat, is cui sacra fiunt, ne- „ que occultari certè potuit. Si verò occultari omnino potuit, „ visibilis non erat „. Et rursùs „ Si visibilis erat, corpus igitur „ erat, & non spiritus. Si verò spiritus erat, non ampliùs inter „ visibilia expenditur. Quomodo igitur id quod inter visibilia „ non æstimatur, à tintinnabulorum sono providebat sibi ipsi sub- „ terfugium? Cùm enim ex natura sua habeat, quòd sit invisibi- „ le, non videri poterat, si non voluisset. Si verò etiam visum „ esset, non juxta necessitatem visum esset, ita ut natura ipsum „ duceret ad conspectum, sed per gratiam, non timore & præoc- „ cupatione præter expectationem citra editum sonum, vel etiam „ stante sono, visionem suam in propatulum proponendo „. Ita Epiphanius.

V. Nec magis tolerabilia erant, quæ de Mundi constitutione asserebant (ex eodem Epiphanio) nam tercentum sexaginta quinque Principes, seu minores Deos asserebant, cuique Cœlo insidentes. Octo autem Cœlos confingebant. In octavo seu supremo collocabant eum quem *Barbelo* appellabant & Patrem universorum, & Christum alium per se genitum, & Christum hunc qui descendit, & ostendit hominibus hanc cognitionem, quem etiam Jesum dicebant. In septimo Cœlo constituebant aliqui Jaldabaoth, alii verò Sabaoth. Alios verò nominibus barbaris similiter appellatos collocabant. Huic Sabaoth alii formam asini, alii formam porci tribuebant, quapropter mandatum est Judæis, ne porcum edant. Hunc autem Sabaoth esse creatorem Cœlorum, qui infra ipsum sunt, & Angelorum suorum, necnon universæ terræ, Deumque Judæorum. Quia verò aliqui formam asini ei tribuebant, ideoque sub hac forma à Zacharia visum fuisse supra retuli, hinc factum esse putatur, ut Gentiles exprobrarent Christianis, quòd caput asini adorarent, de quo Tertullianus in Apologet. cap. 16. Mos enim Gentilium erat, quod in una secta, quæ Christianum nomen usurparet, fieri, aut doceri audirent, id ad omnes Christianos extenderent. Unde sicut quia de Gnosticis infames ac turpissimos mores, & quòd infantum carnes comederent, audiebant, hoc omnibus Christianis in crimen vertebant, ut supra dictum est: ita quia ad eos pervenerat, ex Gnosticis quosdam dicere, Sabaoth, quem Judæorum Deum ponebant, asini formam gerere, putantes, hoc esse omnium Christianorum delirium, imponebant omnibus, quòd asini caput adorarent.

VI. Por-

VI. Porrò de insania ad insaniam, imo de blasphemia ad blasphemiam procedentes, teste Epiphanio dicunt,,,Animam in exeundo hinc pertransire per hos Principes: non posse autem penetrare, nisi in cognitionis (imò potius condemnationis) hujus complemento fuerit, & saturata Principum ac potestatum manus effugerit. Esse verò Principem qui continet ac possidet hunc Mundum draconis specie præditum, ac devorare animas non in cognitione existentes, & per caudam rùrsùs detorquere in Mundum, & hinc in porcos, & alia animalia, ita ut per ipsa rursùs sursum ferantur. Si quis, inquiunt, in hac cognitione fuerit, & collegerit se ipsum ex Mundo per menstruum sanguinem, & per hos concupiscentiæ fluxus, eum non ampliùs hìc detineri, sed prædictos Principes transcendere, transire verò ajunt ad Sabaoth, & calcare in caput ipsius effræni lingua blasphemantes; atque sic transcendere ad supernam partem, ubi est mater viventium Barbero, sive Barbelo, & hoc modo animam salvari,,. Sic ergo ajebant, animam, quæ hinc decedit sine cognitione, idest quæ hic non egit vitam inter turpitudines, non posse penetrare Cœlos, sed à Principe Mundi Sabaoth, quem modò proponunt sub specie draconis (licèt alibi sub forma porci, vel asini descripserint) caudâ iterum dejici in Mundum, & in corpus porci vel alterius animalis. Animam verò, quæ in libidinibus vixerit, illicò pertransire Cœlos usque ad supremum. Quid aptius ad illudendum incautis? Sed quid execrabilius? Tales à regno Cœlorum excludit Apostolus maximè 1. Cor. v. 9. ubi quasi Gnosticos monens ait: *An nescitis, quia iniqui Regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores.... Regnum Dei possidebunt*. Alias de Genealogia Mundi Gnosticorum insanias barbaris nominibus contextas affert Irenæus L. 1. cap. 29. (aliàs 33.) quibus similes narrat Theodoritus L. 1. Hæret. Fab. agens de Barbeliotis, & Borborianis, fœda Gnosticorum sobole, quas omitto: sufficiunt enim ad eorum infamem doctrinam detestandam, quæ ex Epiphanio non sine pudore retuli; ex quo addo: Quòd *qui Levitæ apud ipsos vocantur, non miscentur feminis; sed ipsi inter se mutuò miscentur. Et hi sunt præcipui apud ipsos & laudatissimi*.

§. IV.

Gnosticorum error de Deo & Christo.

I. EX dictis apparet, Gnosticos non unum tantùm, sed duos Deos admisisse. Unum, quem ponebant in octavo & supremo Cœlo, & ut ex Epiphanio dixi Barbelo vocabant, & patrem universorum & Dominum: & hunc genuisse Christum per se talem, & Christum hunc qui ad nos descendit. Alterum quem ponebant in septimo Cœlo, quem nuncupabant Sabaoth, & creatorem faciebant Cœlorum qui post ipsum sunt, & Angelorum suorum, & insuper Mundi hujus inferioris, cui tribuebant formam modò asini, modò porci, modò draconis, ut dixi. Error iste de duobus Diis à Simone ortus per successionem sequentium hæresum propagatus fuit; donec tandem Manichæi illum fecerunt suum. Pro unitate Dei pugnavi Tom. I. hujus Operis tam contra Polytheos generaliter, quàm contra Manichæos. Unde illuc Lectorem meum remitto. De Gnosticis hoc fatetur etiam S. Augustinus L. de Hæres. cap. 6. his verbis: *Dicunt quoque bonum Deum & malum Deum in suis habere dogmatibus*: bonum puto illum, quem Barbelo vocabant, malum verò Deum illum, quem Sabaoth & Judæorum Deum appellabant.

II. Hinc Christianus Lupus in Schol. ad Tertullianum de Præscript. cap. 13. putat, Ecclesias Africanas, Rhodanenses, & Orientales ad verba primi articuli in Symbolo Apostolorum *Credo in Deum* particulam *Unum* addidisse, ut Gnosticorum error de duplici Deo elideretur. De Ecclesiis Orientalibus ostendere conatur ex Ruffino, qui in expositione Symboli (inter Opera Cypriani) ait: *Orientis Ecclesiæ ferè omnes ita tradunt*: *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem*. De Africanis Ecclesiis quòd idem fuerit ex nonnullis Tertulliani locis probat. De Lugdunensi verò & aliis Rhodanensibus Ecclesiis ex Irenæo, qui fidei in unum Deum sæpè meminit. Cùm enim admodum corruptæ essent per Gnosticos, necessarium fuit, ut adversùs eos illa particula *Unum* Symbolo adderetur. In Ecclesia tamen Romana, in quam ille error numquam irrepsit, dicit Ruffinus citatus: illa particula *Unum* Symbolo addita non fuit: sed servatum semper Symbolum, ut ab Apostolis traditum nempe *Credo in Deum Patrem* &c.

Nec obstat, quòd apud Irenæum L. 3. cap. 3. legatur, quod sub Clemente Romano Pontifice *dissensione non modicâ inter eos qui Corinthi essent, fratres factâ, scripsit quæ est Romæ Ecclesia po-*

tes-

tentissimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quam in recenti ab Apostolis receperunt traditionem annuntiantem unum Deum Patrem Omnipotentem factorem Cœli & terræ plasmatorem hominis &c. Nam hoc probat quidem fidem Ecclesiæ Romanæ ab Apostolis annuntiatam fuisse semper credere in unum Deum, quia credere in Deum idem est ac credere in unum Deum; nam si Deus est, unus est: non probat tamen, illam particulam *Unum* ab Apostolis suo Symbolo fuisse expresse insitam, sicut nec modò in Symbolo Apostolorum reperitur, nec illa alia *plasmatorem hominis*. Huic valdè confert quod tradit Vigilius initio Libri 4. contra Eutychetem. Cùm enim S. Leo Papa accusaretur, quòd in sua Epistola scripserit: *Universitas profitetur, credere se in Deum Patrem Omnipotentem*, & non dixerit *In unum Deum* juxta Decretum Concilii Nicæni: ita eum ab hac cavillatione defendit Vigilius: *Sed Romæ, & antequam Nicæna Synodus conveniret à temporibus Apostolorum usque ad nunc, & sub beatæ memoriæ Cœlestino, cui iste rectæ fidei testimonium reddit; ita Symbolum traditur, nec præjudicant verba, ubi sensus incolumis permanet; magìs enim cum Domini Jesu Christi sententia hæc fidei professio facit dicentis: Creditis in Dominum, & in me credite: nec dicit in unum Deum Patrem, & in unum me ipsum: quis enim nesciat, unum esse Deum, & unum Jesum Christum filium ejus?* Ex his liquet, in Symbolo ab Apostolis edito illam particulam *Unum* nunquam fuisse. An verò Symbolum Apostolorum quo hisce temporibus Ecclesia utitur, idem sit, non solum quoad doctrinam, sed etiam quoad verba, negat Ittigius de Hæresiarchis Sect. 2. cap. 9. n. 15., & cum eo Protestantes & aliqui. Sed de hoc videantur quæ in hoc Opere dixi Tom. 1. de Libris Christ. Relig. cap. 6., ubi rem hanc tractavi.

III. De Christo dicebant, per Mariam ostensum quidem fuisse, sed de Maria verè conceptum, natum, & carnem sumsisse negabant; volentes, cum specie tenùs omnia hæc oculis hominum præsentasse. Ita de eis S. Epiphanius Hæres. 26. scribit: *Non esse autem à Maria natum, sed per Mariam ostensum: carnem verò ipsum non suscepisse, sed solùm apparentiam esse*. Ita veritatem passionis, mortis, resurrectionis ejus, & totam humani generis ejus sanguine redemtionem è medio tollebant. Hæc erat diaboli primis illis seculis ars, Incarnationis mysterium ad umbram & apparentiam redigere, & sic fidem in Christum evacuare. Hoc vidimus in Simone, Menandro, & Basilide, in quo eam §. 4. confutavi. Spiritus Sancti instinctu in hanc veritatem firmandam & publicandam Apostoli & Evangelistæ conspirabant. Joannes Verbum carnem

factum

factum habitasse in nobis pronunciaverat: Lucas ejus conceptum, & nativitatem descripserat: Omnes ejus passionem, mortem, sepulturam, ac resurrectionem evidentibus signis annuntiabant. Diabolus verò per os suorum ministrorum ad fabulas & illusiones, velut Poetarum figmenta, amandabat. In hoc Gnostici ei maximè inservierunt. Nec diversi erant, qui *Docetæ* seu *Apparentes* dicebantur, quos SS. Ignatius ad Smyrnenses & Polycarpus perstringunt, & eosdem fuisse par est credere, de quibus S. Ignatius dicit, ab Eucharistia abstinuisse; quia non credentes, Christum veram carnem & sanguinem habuisse, & verè in Cruce sanguinem pro nobis fudisse, consequenter nec credebant, in Eucharistia ejus corpus & sanguinem verè à nobis sumi. Quibus pejores existimo Calvinistas, qui cùm in Christo veram carnem & sanguinem fateantur, volunt tamen in Eucharistia neutrum verè adesse ac sumi, sed per repræsentationem tantùm.

IV. Hujus impietatis magis celebris præco, teste Clemente Alex. L.3. Strom. fuit circa annum 200. Julius quidam Cassianus, cujus aliqua refert verba ex Tract. quem ediderat de Continentia, & hunc in Docismum lapsum fuisse dicit, horrore contra generationem permotum, quod familiare erat iis, qui impudicitias suas nullâ lege frænari volebant. Cassianum istum probabile est fuisse illum, quem inter eos qui è Valentini schola peculiares sectas condidere, recenset Theodoritus L.1.Hæret. Fabul. c.8. Hunc tamen Docitarum, seu Gnosticorum errorem de sola apparentia carnis in Christo idem Theodoritus Lib.5. Hær. Fabul. (seu Divinorum decret. Epitome) cap.12. ex indigentiis, quas in sua carne haberi voluit Christus, abundè refellit. Ibi enim post multa hæc habet: *Hic autem indigentiâ tales excitavit affectiones, non quòd non posset efficere unita Divinitas, ut corpus ab indigentiâ alienum esset. Qui enim paulò post omnibus corporibus immortalitatem largitus est, faciliùs suum corpus ab egestate invictum reddidisset. Sed ei concessit suam naturam ostendere, ut hæreses, quæ illius assumtionem negarent, falsum dicere apertè convincerentur. Quemadmodum enim cùm id morte potentius posset reddere (nam hoc etiam fecit post tres dies) pati tamen & mori permisit, ut Incarnationis œconomiæ mysterium impleret: ita etiam concessit esurire, & sitire, & defatigari, & dormire, ne ullam caperent occasionem Docitæ, idest, qui non verè, sed solâ visione & apparitione credebant fuisse mysterium Incarnationis, confirmandi falsam suam hæresim. Fames ergo & sitis, & præterea defatigatio, labor, & somnus, humanum esse corpus testantur corpus Domini.* Hæc Theodoritus, qui hanc eandem veritatem plurium antiquorum Patrum testimoniis confirmat Dialog.2.qui dicitur *Inconfusus*, quæ studiosus adire poterit.

V. For-

V. Fortius tamen pro hac veritate argumentum exhibuit Christus ipse cùm Lucæ 24. Discipulis post resurrectionem se præsentans, & dubitantibus illis, & putantibus, se spiritum aut phantasma videre, eos corrigens dixit: *Videte manus meas & pedes... palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et Joan. 20. Thomæ adhuc incredulo: *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum: & noli esse incredulus sed fidelis*: quibus ostendit, se corpus illud habere, quod antea fuerat plagis affixum. Vel ergo verum erat corpus, quod tale esse Christus se habere asserebat, & sic veritas carnis ejus probata remanet. Vel non erat verum, sed phantasticum & apparens, & sic turpi mendacio Discipulos fefellit: & dum id quod verè erat putabant, eos ad credendum ut verum quod verum non erat, fallaciter induxit. Hoc autem nemo nisi impius de Christo, qui Veritas est, suspicabitur. Jure igitur ait S. Joannes Epist. 1. cap. 4. v. 2. *In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum ex Deo non est: & hic est Antichristus*. At væ illis! ut enim ex S. Hippolyto ait Theodoritus Dialog. 2. *Inconfusus* dicto: *Qui Filium Dei Incarnatum nunc non agnoscunt, agnoscent ipsum Judicem in gloria venientem*. Sed hæc pro nunc satis.

§. V.

Gnosticorum error de Anima.

I. Circa Animam errabant Gnostici primò: quia dicebant, eam esse de substantia Dei. Hunc errorem fecere suum Manichæi, & quotquot ex iis prodiere. De Gnosticis dicit S. Augustinus L. de Hæres. cap. 6. *Animarum substantiam Dei dicunt esse naturam, earumque adventum in hæc corpora, & reditum ad Deum iisdem suis fabulis longissimis & stultissimis secundùm suos errores inferunt*. Circa animæ humanæ naturam variè erratum est, aliquibus eam nimiùm deprimentibus, & nimiùm extollentibus aliis. Quales de illa fuerint Philosophorum sententiæ, refert Plutarchus L. 4. de Placitis Philosoph. cap. 3. Anaxagoras, animam aeriformem & corpus esse dixit. Democritus eam ignem esse putavit, igneum nimirùm concrementum ex corporibus seu atomis globosis ratione perceptibilibus. Dicæarchus eam posuit in harmonia & concentu quatuor elementorum. Unde Epicurus Animam nihil aliud esse dixit quàm temperamentum ex quatuor, nimirùm, quodam

dam

dam igneo, quodam aereo, quodam spirituali, & quodam innominato, quod ipsum sensitivum existimat. Zeno & Cleantes teste Porphyrio in L. de Anima ad Boethum apud Eusebium L. 15. de Præpar. Evang. cap. 20. in halitu seu exhalatione animam posuerunt, & ipsum semen parentum animæ particulam esse dixerunt.

II. Horum tamen omnium & aliorum similia placita, tanquam hæreses, reprobat Philastrius Hæref. 123. his verbis: *Est & alia hæresis, quæ de censu animæ ambigens ex elementis eam consistere opinatur, ut multi Philosophi vanissimi, nunc de igne* (ut Democritus, Hippocrates, Hipparchus) *nunc de aqua* (ut Thales, & Hippo) *nunc de spiritu* (ut Stoici) *nunc de materia* (idest ex quinta nescio quâ substantiâ, ut Critolaus, & Peripatetici quidam) *nunc de fonte* (ideit cratere animarum in Cœlis præexistentium, ex quo animas deducebat Platonis schola) *nunc de atomis* (ut Epicurus) *nunc quasi aera* (ut Anaxagoras & Anaximenes) *esse animam hominis suspicantur, quum anima facta sit à Domino, ex nihilo scilicet, ut scriptum est* (Sap. 1. v. 14.) „ Qui fecit ex nihilo omnia, ut essent, quæ non erant „. *Anima itaque à Deo facta imago Dei appellata est, post Angelorum creationem scilicet: minor enim est homo quàm natura Angelorum, ut scriptum est* „ Minuisti eum paulò minùs ab Angelis „. *Si autem legis mandata servaverit, erit sicut Angeli. Si ergo Angeli servi Dei sunt sub lege positi, quantò magis & hominis anima sub lege, quæ est prædicata, si servarit quod ei præceptum est, tunc debet dicere quod ait Dominus Apostolis* (Lucæ 17. v. 10.) „ Quòd etsi feceritis omnia, dicite quòd servi sumus inutiles „. Ita Philastrius. Hæc diversa Philosophorum placita refutat Gregorius Nazianz. in Carmine 7. quod est de Anima. Sed hoc Philosophis relinquo.

III. Gnostici in errorem oppositum inciderunt. Ubi enim Philosophi eam ex elementis constare dicentes, animabus brutorum parem efficiebant: unde Nazianzenus ait:

——————— *Quin hinc quoque fiet*
Ut mens & ratio brutis animantibus insit.
Bruta enim & formæ concentum & carnis habebunt.

Isti Animam hominis de substantia Dei esse dicentes, parem Deo, & Divinitatis particulam reddiderunt. Contra eos tamen stat Scriptura Gen. 2. v. 7. dicens: *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Si ergo anima est illud spiraculum, quod spiravit Deus in faciem Adæ, palam fit, eam non esse *de* vel *ex* ejus substantia, quemadmodum flatus ex hominis ore prodiens non est est de substantia hominis, sed ex aere circumfuso.

Dein-

Deinde si anima hominis esset de substantia Dei, non esset mutabilis, nec posset melior aut deterior fieri: substantia enim Dei nullius alterationi obnoxia est. Ita super præfata verba discurrit S. Augustinus L. 2. de Gen. ad lit. cap. 2. *Verum*, inquit, *de Anima, quam Deus inspiravit homini sufflando in ejus faciem, nihil confirmo: nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei: & sic incorporea, ut non sit corpus, sed spiritus, non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus à Deo, nec ita factus ut in ejus naturam natura ulla corporis, vel irrationalis animæ verteretur: ac per hoc de nihilo, & quod sit immortalis secundùm quemdam vitæ modum, quem nullo modo potest amittere, secundùm quemdam verò mutabilem, quo potest vel deterior, vel melior fieri*. Et in Disput. habita cum Fortunato Manichæo anno D. 392. sub secundo Consulatu Arcadii & Ruffini 5. Kal. Septembris, adversùs eum animam de substantia Dei esse asserentem sic arguit: *Illud de Anima respondeo, non esse Deum; aliud esse Deum, aliud Animam: Deum esse inviolabilem, incorruptibilem, & impenetrabilem, & incoinquinabilem, & qui ex nulla parte corrumpi possit; & cui nulla ex parte noceri potest. Animam verò videmus & peccatricem esse, & in ærumna versari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio animæ ostendit mihi quòd Anima non sit Deus: nam si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur; quod nefas est dicere*.

IV. Eodem argumento utitur S. Athanasius (seu veriùs alius sub ejus nomine) Lib. de Definitionibus Tom. 2. edit. Maurinæ in quæst. de Anima & mente dicens „ Homo ex inspiratione Divina „ suam animam accepit, ideo res Divinas agnoscit, superna persequitur, & res cœlestes intelligit, estque rationalis, & mente „ præditus. Cæterùm nemo existimet, quòd ille spiritus, quem in „ hominem inflavit Deus, factus sit Anima. Absit. Sed Spiritus „ ille creavit Animam. Nam si in homine spiritus ille esset Anima, „ esset nimirum ex Dei essentia: si ergo ex Dei essentia esset Anima, inalterabilis utique semper esset, & immutabilis, qualis „ est Deus: inquit enim ipse: *Ego sum, & non sum permutatus*. „ Anima autem interdum peccatrix, interdum justa, & alio quidem tempore fidelis, alio verò tempore incredula, aliquando rerum ignara & aliquando sciens: nonnumquam promta, & „ aliquoties tarda. Cùm hæc in se habeat Anima, quonam pacto „ dici potest, quod essentia Dei sit „? Conformiter loquuntur Eucherius L. 1. in Genes. cap. 12. Isidorus Hispalensis L. 1. de Differentiis cap. 26. Alcuinus in Epist. de Animæ natura, & alii, qui

omnes conveniunt, quòd si Anima esset pars vel de substantia Dei, nec peccare posset, nec contra Dei legem operari, nec ob peccata puniri; aliàs Deus esset qui peccaret, qui puniretur: & omnia quæ Anima facit vel patitur, Deo tribuerentur; nam quæ Dei portio, vel de substantia Dei est, Deus est.

V. Deinde ad Gnosticos me converto, & dico. Cùm ipsi ponant duos Deos, unum naturâ bonum, alterum naturâ malum: cujus Dei anima substantia est, boni, an mali? si boni: ergo anima nunquam posset fieri mala, aliàs Deus naturâ bonus fieret malus. Si verò mali: ergo anima nunquam poterit esse bona, sicut Deus naturâ malus numquam potest esse bonus. Cur ergo ut supra ex Epiphanio retuli, distinguunt animas in malas & bonas: malas quæ ab hoc corpore sine suæ sectæ cognitione, seu veriùs execratione exeuntes, detinentur, ne Cœlos pertransire possint; & bonas quæ exeuntes à corpore, cognitione, id est, libidinibus plenæ, calcant Dei mali caput, & ad supremum Cœlum pertranseunt? Nunquid Dei boni substantia transire potest in substantiam Dei mali, & vice versâ? En qui se excellentes venditant, cæcitatis tenebris undique circumfusos. Meritò igitur Concilium Bracharense c.5. pronuntiavit: *Si quis Animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt: Anathema sit.*

VI. Ut tamen ab hoc laqueo se extricarent, de malo in pejus ruentes dicebant secundò: Duas esse in hominibus animas, unam bonam, & alteram malam: quem errorem amplexi fuere, ac suum fecere Manichæi. Unam scilicet Divinam, & ratione præditam; & hanc esse de substantia Dei: alteram malam, & rationis expertem, necnon perturbationibus obnoxiam; & hanc ex Dei substantia non esse. Licèt autem hic error de duabus animabus inter Gnosticorum generales errores ab aliquibus non recenseatur: quia tamen sub hoc nomine plures sectas constituebant, ideo aliqua ex istis illam tenuisse credenda est. Fuit enim quoque antiquorum Philosophorum placitum & præcipuè Platonis, quod demonstat Eusebius L. 13. Præpar. Evang. cap. 16. tum ex Timæo Platonis, tum ex ejusdem Dialogo de Anima; ac in eadem sententia fuisse Pythagoram, refert Plutarchus L.4. de placitis Philosophorum cap.4.

VII. Cæterum cujuscumque fuerit iste error duas animas ponens in homine, unam ratione præditam, & naturâ bonam, aliam rationis expertem, & naturâ malam, facili ratione confutatur: tollit enim & rationem præmii, & rationem pœnæ, quia si bonum faciunt, non voluntate sed naturâ, naturâ bonæ non habent meritum, nec capaces sunt præmii: si verò malum faciunt, quia naturâ malæ non voluntate, non habent demeritum, nec sunt ca-

pa-

paces pœnæ. Ita S. Augustinus L. de duabus Animabus contra Manichæos eodem quo Gnostici errore infectos cap. 12. *Dicere*, inquit, *animas & esse malas, & nihil peccare, plenum est dementiæ: dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est: & peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ. Quamobrem illæ animæ, quidquid faciunt, si naturâ non voluntate faciunt, idest si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent: si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus. At omnes fatentur, & malas animas justè, & eas quæ non peccaverunt, injustè damnari. Fatentur igitur, eas malas esse, quæ peccant: illæ autem, sicut ratio docuit, non peccant. Animarum ergo malarum genus, nescio quod extra illud, quod à Manichæis inducitur, nullum est.*

VIII. Hâc veritate convictus ipse Isidorus Basilidis filius, licèt in aliis errores patris sequeretur, in hoc tamen quod dicebat, animas à spiritibus insidentibus, & occultè se insinuantibus, ad peccandum agi, à parente discessit, dicens teste Clemente Alex. Lib. 2. Strom. „ Si enim alicui persuaseris, non esse animam unius par-„ tis, vi autem appendicum fieri ea, quæ sunt deteriorum vitia, „ ac perturbationes; non levem prætextum habebunt homines „ scelerati dicendi, coactus sum, abductus sum, coactus feci, „ non volens operatus sum; cùm ipse dux fuerit malorum cupidi-„ tatis, & cùm appendicum violentia non depugnarit. Oportet „ enim, cùm parte ratiocinativâ facti simus superiores, mino-„ rem, quæ est in nobis, creaturam videri superare „. Ita Isidorus, qui ut ait Clemens, duas animas ponebat. Si ergo Isidorus alioquin impius, fatebatur, quòd si anima à spiritibus coacta, non volens ageret, posset à peccato se excusare dicendo: non volens feci; quantò magis anima, quæ malum ageret, quia naturâ mala, & ideo aliter operari non posset?

IX. His accedit, quòd Gnostici, ut dixi, ex Epiphanio, blasphemè asserebant, Christum descendisse (secundùm apparentiam tamen) ut ostenderet hominibus suarum turpitudinum cognitionem: & animas, quæ sine tali cognitione è corporibus exirent, detineri, ne Cœlos pertransirent; quæ verò eâ imbutæ decessissent, Cœlos pertransire & salvari. Peto igitur: ad quam Animam tali cognitione imbuendam Christus descendit? Bonam, an malam? Bonam, neutiquam: quia utpote naturâ bonâ, suo pondere ad illam cognitionem, quia naturâ illa imbuta, ferebatur, nec Christi ostensione indigebat. Malam verò multò minùs: quia utpote naturâ mala, talis salutaris (ut ajebant) cognitionis capax

 non

non erat. Imò, cùm bonum Deum nihil creasse, sed omnia à malo Deo creata asserrent; fiebat, ut omnes animæ naturâ malæ essent, ac secum pugnare Gnosticos dum dicebant; animarum quasdam esse naturâ bonas, quasdam naturâ malas, quasdam à bono Deo, quasdam à malo creatas, sed omnes esse malas. Ac tales erant omnes Gnosticorum animæ, non quidem naturâ, sed malitiâ & voluntate. Demum hoc certum est, quòd positâ animâ naturâ non voluntate malâ, tollitur peccatum & pœna: positâ animâ naturâ bona, tollitur meritum & præmium. Quòd si non adest peccatum, tollitur opus Redemtionis, nec locum amplius habet Judicium, quod respicit opera voluntariè mala, ut puniat, & voluntariè bona ut præmiet. Et hoc S.Augustinus supra relatus indicat.

X. Opinio de duabus animabus in homine, animali unâ, rationali alterâ, licèt in alio sensu apud quosdam Syros etiam Seculo v. vigebat, de qua Gennadius Massiliensis ejusdem Seculi Scriptor in Lib. de Ecclesiasticis Dogmat. ita scribit „ Neque duas esse „ animas dicimus in uno homine, sicut Jacobus & alii Syrorum „ scribunt; unam animalem, quâ animetur corpus, & immixta „ sit sanguini; & alteram spiritualem, quæ rationem ministrat. „ Sed dicimus, unam eandemque esse animam in homine, quæ „ corpus suâ societate vivificet, & semetipsam sua ratione dispo„ nat„. Imo & ad Octavæ Generalis Synodi ætatem (nimirùm seculum nonum)errorem hunc pervenisse, colligitur ex ejusdem Synodi Can. xi. ubi habetur „ Apparet quosdam id temporis in „ tantam impietatem venisse, ut hominem duas animas habere, „ impudenter dogmatizarent. Talis igitur impietatis inventores, „ & similia sapientes,cùm Vetus & Novum Testamentum,omnes„ que Ecclesiæ Patres unam animam rationalem habere hominem „ asseverent, Sancta & Universalis Synodus anathematizat „. In quo errore fuisse Photium, contra quem dicta Synodus coacta fuit, & qui tunc vivebat, credibile est. Fuerunt etiam aliqui Philosophi non adeò antiqui tres in homine animas ponentes, rationalem, sensitivam, & vegetativam. Verior tamen sententia unam in homine rationalem animam confitetur, quæ in corpore omnes præfatas operationes perficit.

XI. Tertium de animabus errorem Gnostici eructabant, nimirùm ejusdem omnino rationis esse animas hominum, ac cæterorum animantium. Cùm enim, ut supra ex Epiphanio dixi, „ Ponerent, principem, qui continet ac possidet hunc Mundum, dra„ conis specie præditum devorare animas non in cognitione exi„ stentes, & per caudam rursùs detorquere in Mundum, & hinc

in

„ in porcos, & alia animalia, ita ut per ipsa rursus sursum ferantur „ tenebantur dicere, animam quæ modò est in homine, postea esse in porco vel alio bruto, ut principi hujus Mundi visum fuerit, & rursùs iterum reverti in hominem, & sic animas hominum ejusdem rationis esse cum cæterorum animalium animabus, & earum transmigrationem de uno in aliud corpus admittere, de qua supra egi cap. 1. §. 7., cùm decimum Simonis Magi errorem confutarem. Et præter ibi dicta indicat Plato in Lib. de Republica apud Eusebium L. 13. Præparat. Evangelicæ cap. 16., ubi refert quorumdam hominum animas alias in Olorem, in Leonem alias, in Aquilam, in Scimiam demigrare optasse, & iterum in homines rediisse; quibus planè conficitur, animas omnium animantium dum de uno ad aliud transire finguntur, ejusdem omnino naturæ esse existimari.

Jamblicus verò, ut tradit Nemesius Episcopus Emissenus L. de Natura Hominis cap. 2. censuit: *Non fieri migrationes animarum ab hominibus ad bestias, neque à bestiis ad homines, sed ab animalibus ad animalia, & ab hominibus ad homines*. Quibus indicat, Jamblicum admisisse quidem omnes animas hominum ejusdem esse rationis inter se, non tamen cum aliorum animantium animabus, & proinde animam hominis in alium hominem transire posse, sed non in aliud animal, puta brutum.

XII. Quia verò Gnostici, ut dixi, etiam hoc admittebant, sic à Nemesio redarguuntur. Si animæ omnes tum hominum tum cæterorum animalium essent ejusdem rationis, & de uno in aliud corpus transirent, quemadmodum homo est ratione præditus, ita & cætera cuncta animalia: *At*, inquit, *nullus motus rationis cernitur in bestiis; neque enim artes, neque disciplinæ, neque consilium, neque virtutes, neque aliud quidpiam, quod ad rationem pertineat, in illis inest*: ergo non sunt rationis participes. Et hoc exemplo puerorum confirmat, qui etsi in infantia usum rationis se habere non indicent, hunc tamen se habere dum adolescunt, demonstrant: at non sic bruta: *Etsi enim modò*, inquit, *natis pueris solus ratione vacuus motus inest, tamen animâ rationis compote ornatos esse dicimus: nam ubi adoleverint, rationis usum declarant. At bestia cùm nullâ ætate rationem patefaciat, supervacaneam habeat animam rationis participem, quòd nullam illi rationis vis utilitatem allatura sit. Nam nihil supervacaneè à Deo factum esse ab omnibus uno ore concessum est.*

Dicere autem, animalia bruta habere motum rationis in habitu, non tamen in actu, quia eorum corpora sic effecta sunt, ut in ea cadere non possit rationis actio, sicut evenire solet etiam in hominibus, vel amentiâ captis, vel aliquo membro ad operandum ne-

necessario carentibus, non enervat imo auget difficultatem: quomodo enim credibile est, Deum ingerere animam tali corpori, quod præcipuæ ejus operationi naturaliter inservire numquam possit? Quia enim animam sensitivam & vegetativam eis accommodavit, ita brutorum corpora disposuit, ut ad actiones sensitivas, & vegetativas peragendas apta essent; cur ergo si communicavit eis animam ratione præditam, non dedit eis sicut homini tale corpus, in quo rationales peragere posset operationes? *Relinquitur enim* (subdit Nemesius) *adhuc idem absurdum, Deum non ingenuisse corpori accommodatam Animam, sed supervacaneam, inutilem, & otiosam, quæ per omnem ipsorum vitam à fungendo suo munere impediatur.*

XIII. Fateor, Deum animalia Ratione carentia non ita ope suâ destituta reliquisse, quin cuicumque eorum speciei naturalem quendam determinatum operandi modum indiderit, qui imaginem quandam Rationis præferat, unde Prov. 6. v. 6. mittitur piger ad discendam sapientiam à formica: *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat*: hoc tamen in eis naturæ instinctus operatur, non rationis in eis residentis electio: quod ex eo apparet, quia in omnibus ejusdem speciei animalibus eadem vis seu inclinatio reperitur. Ita prælaudatus Nemesius: *Omnia*, inquit, *quæ sub eadem specie subjecta sunt animalia similiter eadem faciunt, neque in tanta multitudine opera eorum discrepant, nisi quòd unus magis facit, alterum minus, sed uno naturæ impetu tota species movetur. Omnis enim lepus eodem modo dolo utitur, & omnis lupus eodem modo callidus, & omnis simia eodem modo imitatur. Quod in homine non ita est: sexcentæ enim rationes sunt humanarum actionum*. Nec ergo in habitu animalia rationem habent, ideoque Psalmo 31. v. 9. dicitur: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*. Et Psal. 48. v. 13. homo non rectè ratione utens jumentis ratione carentibus comparatur: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*.

XIV. Aliâ ratione idem Nemesius probat Animalia rationalem animam non habere, quia non liberè, sed naturæ impulsu agunt; *Liberum est enim*, inquit, *suique juris, quod rationem habet. Proinde non ut cuique speciei bestiarum, ita omnibus hominibus, unum idemque opus est. Nam illæ solâ naturâ moventur, quæ autem naturalia sunt, eodem modo sunt apud omnes: at actiones, quæ à ratione emanant, aliæ apud alios sunt, neque apud omnes eædem necessariò.*

Pro complemento addi potest, quòd si ejusdem rationis essent ani-

animæ hominis, & animæ pecudum, ita ut anima, quæ modò est hominis, fieret postea anima pecudis, fieret, ut Christus, qui venit ad liberandas animas hominum venisset etiam ad liberandas animas pecudum, & sic mortuus esset non pro solis hominibus, sed etiam pro pecudibus, si anima hominis ad equum vel mulum transmigrasset: hoc autem quis nisi bestia, imo pejor bestiâ dicet?

§. VI.

Quid de carnis resurrectione, futuro Judicio, Jejunio, Castitate, & Martyrio Gnostici senserint.

I. GNostici carnis resurrectionem negabant. Hunc errorem Simon Magus primus inter Christianos evulgavit, quem cap.1. §.6. num.3. confutavi, & iterum cap.2.§.3. in Basilide n.11., ideoque hìc repetere superfluum esset. Maximè tamen Gnostici carnis resurrectionem negare tenebantur, qui, cùm animas hominum ejusdem rationis ponerent, ac animas brutorum, & quæ de corporibus hominum ad corpora brutorum transirent, & rursùs ad hominum corpora redirent, admissâ carnis resurrectione tenebantur admittere, non solùm corpora hominum, sed etiam brutorum surrectura. Solam ergo animarum de corpore in corpus transmigrationem admittebant, & in hoc præmium vel pœnam post mortem statuebant. Futurum proinde Judicium aversabantur, in quo ob enormes quas dum in Mundo fuerant, patrarant turpitudines, sciebant, se fore condemnandos. In hoc se ostendebant nedum Fidei, sed luminis naturalis expertes. Nedum enim futurum extremum de omnibus sive bonis sive malis Judicium, in Scripturis utriusque Testamenti habemus, ut Tom. 16. Theolog. q.3.de Resurr. dub. 1. & 2. demonstravi, sed & Philosophi ac Sybillæ solo lumine naturali cognovere.

Philosophos exhibet Justinus Martyr in Lib. de Monarchia: & primò Sophoclem dicentem:

Veniens etiam illa seculorum tempora,
Cùm solvet imbres, ignis, æther aureus,
Cremabit ergo flamma vi grassans suâ,
Et hic & illic summa & infima omnia.
Sic universitate juncta perdita
Undis carebit omnis alveus suis.
Sedes requiret terra, nec posthac aves
Gestabit aer, igne vastatus leves.
Binas avarus semitas ouas habet

Unam

Unam bonis, sed alteram partem malis.
Est omnibus quoque terminus rebus suus:
Sed cuncta, quæ periere, restituet Deus.

Philemonem quoque sic dicentem:

Sperasne mortuos simul, Nicostrate,
Qui omni in voluptate suos duxerint dies,
Et terram operturam per cuncta tempora
Quasi latentes effugisse eos Deum?
Justitiæ aspectus cernit omnia.
Si namque Justus idem consequitur & malus,
Misceto cuncta, furator, spolia rape.
Ne erra: Manet te Judicium apud Inferos
Quod post Deus faciet Rector omnium,
Cujus timendum nomen est, quod nec nominaverim.

Euripidem quoque:

Longum diem dat ad Judicium satis.
Quod si quis est mortalis, malum qui putet
Sic esse facturum se, ut lateat Deum,
Is prava sentit, sentiensque fallitur:
Dum tacet expectans severa cunctos dies.
Videte qui Deum non esse ducitis
Errore non candidè ducti duplici.
Namque est Deus; quòd si qui est qui agat malè
Malus, sibi præteritum tempus sarciat;
Is namque postero pœnas dabit tempore.

II. Hæc Philosophorum testimonia de Judicio futuro affert Justinus. Cæterum de Sybillis plura adduci possent. Lactantius Lib. 7. cap. 19. Divin. Inst. sequentes refert versus.

cum venerit ille,
Ignis erit, tenebræ mediæ caligine noctis.

Item L. 3. totius Orbis immutatione factâ, subdit:

Judiciumque Dei magni, magnumque sub ævum
In medium veniet, cunctis his denique factis.

Et Lib. 7. casu Mundi omnium rerum fine, ut in Sacris Scripturis prædicitur, descripto, subjicit:

Humanæque animæ frendebunt dentibus omnes
Vexabuntque malos ululatus, atque timores,
Cædibus, atque siti, fame, pesteque deficientes,
Optandumque mori dicent, fugietque vocantes:
Non jam mortis enim requiem, non noctis habebunt
Multaque nequidquam supremi numina Patris
Orabunt, sed eos tunc avertetur apertè.

Alia

Alia plura de extremo die, & futuro Judicio in oraculis Sybillarum leguntur.

III. Athenagoras in Legatione pro Christianis agens de futuro Judicio refert, Platonem introduxisse Minoem & Rhadamantum judicaturos & punituros malos. Quod notans Lactantius L. 7. Divin. Inst. cap. 22. de Poetis, ait: *Quamvis igitur veritatis arcana in parte corruperint, tamen ipsa res eò verior invenitur, quòd cum Prophetis in parte consentiunt: quod nobis ad probationem rei satis est. Errori tamen eorum subest ratio nonnulla; nam cùm Prophetæ assiduis concionibus prædicarent, judicaturum esse de mortuis Filium Dei, & hæc annuntiatio non lateret; quoniam Rectorem Cœli non alium putabant esse quàm Jovem, judicare apud Inferos Jovis filium tradiderunt. Sed tamen non Apollinem aut Liberum aut Mercurium, qui cœlestes putantur, sed Deum qui & mortalis fuerit & justus, vel Minoem vel Æacum vel Rhadamantum. Corruperunt igitur poeticâ licentiâ quod acceperant, vel opinio veritatem per diversa ora sermonesque varios dissipata mutavit.* Hactenus Lactantius.

Ex his & aliis quæ omitto, vides Lector, quanta Gnosticorum fuerit cæcitas, qui ut suis obscenitatibus immunitatem conciliarent, videre se inficiabantur, seu non videre finxerunt veritatem, quæ vel ipsos Ethnicos latere non potuit. Quamquam nec ipsi Gnostici omnino dissimulare poterant, dum & ipsi, licèt impiè, quandam judicii speciem post mortem futuram asserebant; dicentes (ut supra retuli) animas è corpore sine cognitione (sic enim turpitudines suas appellabant) exeuntes à Principe hujus mundi detineri, ne supremum Cœlum penetrarent, sed in porcorum, canum aliorumve brutorum corpora detrudi: eas verò, quæ tali turpi cognitione imbutæ decederent, ad supremum Patrem rectâ transire, & sic salvari.

IV. Jejunia porrò contemnebant & blasphemabant. Unicè enim solliciti cuivis obscenitatis generi corpora sua promta ac parata habere, comessationibus & ebrietatibus continuò vacabant. Ita Epiphanius hæres. 26., dicens: *Corpora autem sua tum muliebria, tum virilia noctu ac diu curant unguentis, balneis, epulationibus, concubitibusque & ebrietatibus vacantes. Et detestantur jejunantem, dicentes, quòd non oportet jejunare: principis enim ejus qui seculum fecit, est jejunium. Verùm oportet nutriri, ut corpora sint robusta, quo possint fructum reddere in tempore suo.* Contrarium tamen S. Paulus præscribebat Romanis cap. 13. v. 12. dum ait: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis .... sed induimini Dominum Jesum Christum,*

& carnis curam ne feceritis in desideriis : nimirum ait S. Thomas: *Ut inordinata carnis desideria, idest concupiscentias, non sequamur*.

V. Cæterùm bonum esse jejunium dixit Raphael Tobiæ c. 12. v. 8. *Bona est oratio cum jejunio*: Utile ad obtinendam remissionem peccatorum, Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio*; & v. 15. *Canite tubâ in Sion sanctificate jejunium, vocate cœtum*. Ninivitæ Jonæ 3. v. 5. *Prædicaverunt jejunium*. & v. 7. homines & jumenta illud observarunt, & ab excidio, quod Deus illis comminatus fuerat, liberati sunt. Per jejunium ejici demonia dicit Christus Matth. 17. v. 20. *Hoc autem genus* (Dæmoniorum) *non ejicitur, nisi per orationem & jejunium*; & passim in Sacra Scriptura commendatur, imo Christus exemplo suo illud Ecclesiæ proposuit, dum Matth. 4. v. 2. quadraginta diebus & noctibus jejunavit: quod postea Ecclesia Catholica ab exordio imitata est.

Soli Hæretici jejunium à suis cœtibus ablegarunt. Gnosticos secuti sunt Manichæi, ex quibus Faustus teste S. Augustino L. 30. c. 4. docebat, servare Ecclesiastica jejunia doctrinam esse Dæmoniorum. Hos præter alios imitantur moderni Hæretici jejunium ceu inutile, & nullius meriti aspernantes. Hinc Lutherus in Responf. ad Ambrof. Catherinum inter opera Antichristi illud recenset: *Hodie*, inquit, *si jejunatur, non ut caro mortificetur, sed quia bonum opus sit hoc die jejunasse, isto vel isto cibo abstinuisse, quo Cœlum mereantur. Quid autem hoc aliud, quàm impia facies Antichristi est?* Calvinus etiam L. 4. Inst. c. 12. n. 19. fatetur, impium esse pro opere meritorio habere jejunium: *Alterum malum*, inquit, *summoperè cavendum est, ne pro opere meritorio, aut specie Divini cultus censeatur. Nam cùm sit res per se media, nec quidquam habeat momenti, nisi propter fines, in quos respicere debet, perniciosissima superstitio est confundere cum operibus à Deo mandatis, & per se necessariis, non alio respectu .... Tertius error, non quidem adeò impius est, periculosus tamen, tanquam unum ex præcipuis officiis morosius exigere, ac immodicis encomiis sic extollere, ut homines se aliquid eximium fecisse putent, quando jejunaverint. Qua in parte non in totum excusare audeo veteres, quin superstitionum quadam semina jecerint*: Ita nec Patribus parcit Calvinus, quando suo carnali genio putat eos non indulgere, ut potiùs adhæreat Joviniano, Waldensibus, & aliis similis furfuris, qui omne meritum à jejunio auferebant, abutentes illo Pauli dicto 1. ad Timoth. 4. v. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est*. Hâc doctrinâ imbuti moderni Acatholici omnes jejunia à suis cœtibus prorsùs amoverunt.

VI. Ne tamen sibi blandiantur Paulum habere sui erroris Patro-

tronum, audiant à S. Thoma in dictum locum, quæ fuerit in illo dicto Apostoli mens, nimirum, non abstinentiam ceu inutilem rejicere, sed ei opera pietatis præferre: *Et primo*, inquit, *ostendit, ad quid valet exercitatio corporalis. Secundò, ad quid pietas. Corporalis exercitatio jejunii & hujusmodi in sua natura non sunt bona, sed pœnalia, & si homo non peccasset, nihil horum fuisset, sed bona medicinalia. Sicut enim reubarbarum est bonum, inquantum relevat à colera, sic & ista, inquantum comprimunt concupiscentias; ergo ad istud modicum sunt utilia* 1. *Cor.*9.„Castigo corpus meum, & in servitutem redigo &c. *Coloss.* 3. mortificate membra vestra, quæ sunt super terram„. *Et ideo si homo esset in statu, in quo non posset peccare, non indigeret jejunio, & hujusmodi. Unde Chrysostomus super illud Matth.* „ Venit Jesus &c. dicit: *Joannes purus homo indigebat medicinâ jejunii; Christus Deus erat, & non purus homo, & ideò hujusmodi non indigebat*: *ergo* ad modicum utilis est, *quia tantùm ad morbum peccati carnalis, non spiritualis*: *quia aliquando propter abstinentiam, homo iracundiam, inanem gloriam, & hujusmodi incurrit*: His S. Thomas Calvini & aliorum deceptionem circa jejunium ostendit.

VII. Quia verò hanc doctrinam excogitarunt, ut velamen haberent ad tollenda à suis cœtibus jejunia & abstinentias, in Ecclesia præcepto vel Traditione ordinatas; præter ea, quæ dixi in Vera Ecclesia tom.2. p.1.art.6.,placet solùm hic ostendere, ex qua Schola, & quo Magistro hoc hauserint, sicut alia perniciosa quæ spargunt. Fuit hic Aërius, qui Constantino imperante, & Julio I. Pontifice circa ann. 342. cùm esset Presbyter, nec dignitatem Episcopalem, quam ambiebat, assequi posset, hæreticus Arianus factus, ac de suo varios errores addens, inter alios contra jejunia ab Ecclesia indicta & verbo & facto oblatrare cœpit. Refert hoc Epiphanius hæresi 75. his verbis „ Sed neque jejunium, inquit, „ erit ordinatum: hæc enim Judaica sunt, & sub jugo servitutis. „ Justo enim lex non est posita, sed patricidis ac matricidis & reliquis. Si verò volo omnino jejunare, qualemcumque eligam „ diem à me ipso, & jejunabo propter libertatem. Unde apud „ ipsos studium est, ut potiùs in die Dominica jejunent, quartâ „ verò & pro Sabbato edant. Sæpè verò etiam quartâ jejunant, „ non ex statuto, sed ex propria (ut inquit) voluntate. In diebus autem Paschatis, quando apud nos fiunt humi dormitiones, „ castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ ac jejunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones: ipsi „ à summo mane obsonantur, carneque ac vino venas suas explentes cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui san-

„ ctum hunc cultum hebdomadis Paschatis perficiunt. Tametsi „ enim renuntiatorium habeant hi vitæ modum, non tamen exercetur apud ipsos; sed multò plus carnis esus & vini potus: nisi „ fortasse rari aliqui in medio ipsorum ex propria voluntate hoc „ velint. Verùm plerique ipsorum magis utuntur largis eduliis, „ carnis esu, ac vini potu ut dixi „. Hæc sunt, quæ Aerius in „ Mundo evomuit: Hæc de Aerio & Aerianis Epiphanius. Quæ an Lutherani & Calvinistæ sua fecerint, ipsi viderint.

VIII. Sciant tamen, se ab eodem Epiphanio ibi cum illis prædamnatos fuisse: concludit enim: *Quòd Ecclesia necessariò hoc perficit Traditione à Patribus acceptâ. Quis autem poterit statutum matris dissolvere, aut legem patris? Velut Salomon dicit*, „ Audi fili sermones patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ, „ *ostendens per hoc* (notent Protestantes) *quod & in scriptis, & sine scripto docuit Pater, hoc est Deus & Unigenitus & Spiritus Sanctus. Mater autem nostra Ecclesia habet statuta in se posita indissolubilia, quæ dissolvi non possunt. Cùm itaque ordinata sint in Ecclesia statuta, & benè se habeant, & omnia mirabiliter fiant, confutatus est rursus etiam hic seductor.* Ita Epiphanius, quasi modernos Hæreticos indicans, eos confutaret.

IX. De Castitate, quam pravè senserint Gnostici, eorum vita ex dictis abundè demonstrat; tota enim cujuscumque generis libidinibus data erat, adeò ut Virginitatem corporis servare apud ipsos summum piaculum esset à salute removens. Hunc errorem supra, maxime in Nicolaitis §.2. refutavi: & præterea in Vera Ecclesia, & in Colloquiis pro Cælibatu de hoc contra modernos Acatholicos ad satietatem pugnavi. Quare supervacaneum esset in hoc ampliùs laborare. Præterire tamen non possum blasphemias, quas contra vitam cælibem evomuit Lutherus. In primis enim L. de Vita conjugali scribit illud Genesis, *Crescite & multiplicamini* esse plus quàm præceptum: *Non est præceptum*, inquit, *sed plusquàm præceptum, quod nos non possumus impedire, vel prætermittere, & proinde necessarium est, ac edere & bibere, purgare, expuere, dormire & vigilare. Sicut in mea potestate non est, quò minùs sim mas, ita minimè situm in me est, quò minùs sim sine muliere.* Et contra Ambrosium Catharinum ait: *Decima facies Antichristi est, insignis ille cælibatus & castitatis Monasticæ multitudo: planè angelica facies, sed diabolica res.* Ejusmodi contra cælibatum improperiis plena sunt ejusdem, & aliorum sectatorum, qui sub falso Reformatorum nomine sese obtrudunt, scripta. Sed hæc omittamus.

X. Martyrium non esse pro Christo subeundum dicebant: quod ex

ex Basilide ut supra cap. 2. §. 4. n.6. demonstravi. Quem errorem à Simone Mago præformatum hauserant & Gnostici eodem motivo adducti, quòd & ipsi, Christum nec verè carnem sumsisse, nec verè passum, mortuumque pro nobis esse effutirent: quo tanquam stultos traducebant Apostolos, & omnes Sanctos, qui pro Christo ejusqueFide innumerabiles vitam tradiderunt.Non mirum tamen,si qui totam suam felicitatem in carnis deliciis, & vitæ præsentis omnigenis voluptatibus collocaverant, vitam amittere detrectabant: & maximè quia si pro Christo qualem ipsi asserebant occisi fuissent, mors eorum martyrium non fuisset,sed supplicium, quia ut ait S. Augustinus Ep. modò 108. cap. 5. &alibi *Martyrem non facit pœna, sed causa*. Cæterùm pro vera in Christum Fide omnia etiam mortem pati, potiùs quàm ab eo separari, opus eximiæ caritatis esse declarat Paulus ad Romanos cap.8. à v.35., ubi postquam commendavit caritatem Christi, qui pro nobis mortuus est, ait: *Quis ergo nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? .... Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.*

XI. Mortem verò potiùs subeundam esse, quàm verbo vel facto Christum ejusque Fidem negare, ostendi in Theolog. Tom.1. in 2. 2. Tract. de Fide Quæst. 4. de actu externo Fidei Dubio 3. De hoc agit Tertullianus in libro, quem sub nomine Scorpiaci expressè contra Gnosticos edidit: Quem (inquit S. Hieron. L. adv. Vigilantium) *Scorpiacum vocat rectissimo nomine; quia arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffundit*: ideòque contra illa potionem seu pharmacum parat Tertullianus,ostendens cap.2. ex lege adversùs idololatriam à Deo latâ concludi eum voluisse, homines mortem potiùs subire, quàm Deo deserto Idola colere. Deinde cap.8. Martyriorum exempla à primordio & in Lege ostendit; & cap.9. in Novo Testamento à Christo etiam præcepta fuisse, dum Matth. 10. & Lucæ 12. non solùm dicit, quòd qui confitebitur ipsum coram hominibus, confitebitur & ipse eum coram Patre suo; sed addit etiam, qui negaverit ipsum coram hominibus, negabit & ipse eum coram Patre suo & Angelis Dei. Quibus sicut confitentibus promittit remunerationem, ita eùm negantibus minatur pœnam Cap. 11. aliis Christi verbis Martyria approbat, cap. 12. Epistolis Petri & Joannis & ejusdem Apocalypsi, & cap. 13. ex Epistolis Pauli. Tandem cap.15.ex Actis Apostolorum idem confirmat, ubi Petrus cæditur, Stephanus opprimitur, Jacobus immolatur, Paulus distrahitur, & Petri & Pauli sanguine Roma cruentatur ob Fidei confessionem. Quæ omnia apud ipsum Studiosus percurrere po-

poterit. Hunc Tertulliani laborem imitatus fuit S. Cyprianus L. de Exhort. Mart.

XII. Verùm quia Gnostici se tuebantur dicto Pauli Rom. 13. v. 1. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit* &c.; hoc effugium præcludit Tertullianus cap. 14. dicens, omnem animam subjici debere Potestatibus in iis, in quibus se gerunt ut Ministri Dei, idest ad bonum, non verò in iis, quæ præcipiunt contra Legem Dei, cui magìs est obediendum. Ita Petrus & Apostoli Act. 5. v. 29. Cùm enim Magistratus Judæorum eos increparet, dicens: *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Jerusalem doctrinâ vestrâ*: responderunt: *Obedire oportet Deo magìs, quàm hominibus*. Unde Tertullianus ostendens quomodo Christus velit nos subjici Potestatibus, ait: *Non in occasione frustrandi martyrii jubet se subjici Potestatibus, sed in provocatione benè vivendi...: reddere jubens cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, idest quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo*. Quod lib. de Idololatria cap. 15. confirmat, dicens: *Satìs præscriptum habemus, in omni obsequio nos esse oportere, secundùm Apostoli præceptum, subditos Magistratibus & Principibus & Potestatibus; sed intra limites disciplinæ, quousque ab Idololatria separamur*. Ad quæ Pamelius in cap. 14. Scorpiaci addit. „ Loci adnotandi pro Catholicis, qui hodie sub Magistratibus hæreticis serviunt, ne putent se obligari Edictis eorum, aut jurejurandis contra Catholicam Fidem „. Hinc detestandum est Conciliabulum Cordubense habitum anno 872., quo quidam Pseudo-Episcopi in gratiam Regis Arabum tunc ibi dominantis Martyrium prohibuerunt, cultumque Martyrum sustulerunt. Abominationes, quas in Gnosticis hactenùs cum pudore indicavi, satìs ostendunt, in quos miserabiles lapsus incidant, qui à Veritate Christianæ Religionis recedunt. Sed ad ulteriora procedendum est.

CAPUT V.

De Carpocrate, ejusque erroribus.

§. I.

Patria, tempus & mores.

I. Carpocrates, seu ut alii volunt Carpocras, à quo Carpocratiani, Theodorito teste L. 1. Hæret. Fab. genere Ægyptius, nempè Alexandrinus, fuit. Idem senserat Clemens Alexandr. L. 3. Stromat. propè initium, ubi loquens de Epi-

Epiphane Carpocratis Filio ait: *Hic autem Epiphanes, cujus etiam Scripta feruntur, filius erat Carpocratis, & matris Alexandræ nomine, ex patre quidem Alexandrinus, ex matre verò Cephaleneus.... A patre autem didicit & orbem disciplinarum & Platonis philosophiam*. Hinc apparet verisimile, Carpocratianam hæresim in Ægypto sua initia habuisse. Quo autem tempore emerserit, disceptatur. Sub Hadriano eam ponit Theodoritus L. 1. Hæret. Fabul. in Epiphane filio Carpocratis, ubi ait: *Hi autem Hadriano imperante improbas has hæreses confirmarunt*. Eusebius L. 4. Hist. c. 7. dissentire non videtur, cùm Hadriani temporibus ponat Saturninum, Basilidem, & Carpocratem, quem facit Gnosticorum hæresis *conditorem*. Puto tamen veriùs cum Theodorito, fuisse Gnosticorum & aliarum præcedentium hæresum confirmatorem; quia ut cap. præced. observavi Gnosticorum hæresis non videtur fuisse specialis secta, sed per anteriores hæreses pervagata, cum novis semper ac turpioribus additamentis. Quam cùm Carpocrates valdè promoverit, imo, ut dicam, auxerit, specialis ejus patronus, & quasi conditor dictus est.

II. Causa autem, cur de harum hæresum ætate determinatè non constet, ea creditur fuisse, quia Patres ac Scriptores, qui hæresum Catalogum texuerunt, ordinem ætatis non servarunt. Nam SS. Epiphanius, Augustinus, Isidorus, Carpocratem post Gnosticos statuunt: Irenæus, Eusebius, Theodoritus, post Saturninum & Basilidem: Tertullianus post Ophitas, Cajanos, & Sethianos. Quare puto, Patres in recensendis Hæreticis ad ordinem ætatis non attendisse; cùm certum sit, Cerinthianos & Ebionitas multas ex præfatis hæresibus ætate præcessisse; sed magis respexisse ad hæresum inter se affinitatem, ac morum & errorum similitudinem: adeò ut quæ in doctrina & moribus magis conformes visæ sunt doctrinæ & moribus hæresis Simonis, & discipulorum ejus, antepositæ sint aliis non adeò affinibus, licèt ætate posteriores. Unde Epiphanius hæresi 27. ait: *Corpocras quidam alius fuit, qui sibi ipsi nefariam mentis suæ doctrinam conflavit, & pejores omnibus relatis mores habuit. Ex omnibus enim his, Simone, Menandro, Saturnilo, Basilide, Nicolao, & ipso Carpocra, insuperque ex prætextu Valentini, falsò appellatæ Scientiæ hæresis producta est, quæ suos sectatores Gnosticos nominavit, ex qua sunt Gnostici jam à me declarati, idest cognitores, ac scientes, condemnabiles potiùs his moribus appellandi*: Et hæres. 31. quæ est Valentini, dicit: *Valentinus igitur succedit his, qui ante positi sunt, Basilidi & Saturnilo, Ebionique ac Cerintho & Merintho, & Sodales ejus. Hi enim omnes uno tempore in vitam exorti sunt; modico autem tempore præcesserunt Cerinthus & Merin-*

rinthus & Ebion. Patet ergo, Patres in Catalogis Hæreticorum ordinem ætatis non servasse.

III. Carpocratianos magicas artes publicè professos fuisse, colligitur ex Epistola Hadriani (apud Baron. ad ann. 132. n. 12.) in qua ad Servianum scribit: *Ægyptum, quam mihi laudabas, Serviane carissime, totam didici levem, pandulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi, qui Serapim colunt, Christiani sunt, & devoti sunt Serapi qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogas Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex*: Quibus apparet, Hæreticorum criminibus universos Christianos, ut dixi, à Gentibus de more onerari. Porrò Carpocratianos præstigiis deditos fuisse, confirmat Eusebius L.4. Hist. cap.2., ubi de eis agens: *Hi*, inquit, *magicas Simonis præstigias, non clam ut ille, sed palam ac publicè tradendas esse censebant: & philtris arte magicâ curiosè elaboratis, paredris quoque, & somniorum immissoribus quibusdam spiritibus, aliisque hujusmodi maleficis, tanquam maximis ac pulcherrimis rebus gloriabantur*. Philtra verò erant pocula amatoria ex rebus fœdissimis, nempè ex cineribus ranarum, bufonum, serpentium formata ad turpes amores incitantia: ad quæ allusisse creditur S. Joannes in Apoc. c. 17. v. 4., dum describens mulierem illam insignem meretricem ad turpes amores incautos allicientem, ait, quòd habebat quoque: *Poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis*. Eodem modo philtrum accepit S. Jo: Chrysost. in c. 13. ad Rom. Homil. 154., ubi loquens de feminis allicientibus ad turpia, ait: *Multa siquidem ad hoc ut amentur, & incantationes & libamina & philtra innumeraque alia machinantur*. Paredri autem ideft Assessores, sunt Dæmones Mago assistentes. Ita Tertullianus L. de Anima cap. 28.: *Scimus*, inquit, *etiam Magos elicere explorandis occultis per catabolicos* (ideft demissos) *& paredros & pythonicos* (divinatorios) *spiritus*. Hoc & Epiphanius confirmat hæref. 27., maximè de Spiritibus Assessoribus, quibus utebantur, ut quibus vellent dominarentur.

IV. His addit, quòd Carpocratiani suorum discipulorum auriculam cauterio signare solebant: *Cæterùm*, inquit, *signaculum per cauterium aut novaculam aut subulam immittunt, ac incutiunt Carpocratiani in dextram inferiorem auriculam his, qui ab ipsis decepti sunt*. Idem dicit Irenæus L. 1. cap. 25. (aliàs 24.) *Alii verò ex ipsis signant cauteriantes discipulos in posterioribus partibus extantiæ dextræ auris*: nimirùm (notat Fevardentius) ut primo occursu ejusdem secum factionis asseclas agnoscerent, consilia communicarent, & promiscuo concubitu miscerentur. Quod & Nicetas con-

confirmat in Thesauro Orthodoxæ Fidei L.4. cap.3. his verbis: *Insuper & sigillum cauterio, vel novaculá vel subulá cartilagini auris eorum imprimebant, quos deceperunt, ut hoc indicio esset, suam ab illis hæresim comprobari*: & hinc fortè nata fuit apud Gentiles opinio de Christianis, quasi occultis notis ac signis invicem se noscerent: quam opinionem Minutius Felix in Octavio sic refutat: *Nos non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facilè dignoscimus*.

V. Carpocratiani cum Gnosticis, quorum sectam profitebantur, in moribus conveniebant, ideòque omnis generis turpitudines exercebant: *Carpocratiani* (inquit S. Augustinus L. de Hæref. c.7.) *sunt à Carpocrate, qui docebat omnem turpem operationem, omnemque adinventionem peccati; nec aliter evadi atque transiri Principatus & Potestates, quibus hæc placent, ut possit ad cœlum superius perveniri*. Vide cæcitatem! ea quæ à Regno Cœlorum retrahunt, ponebant ut media per se necessaria, ut ad illud perveniretur. Hoc idem referunt Irenæus L.1. cap.25. (aliàs 24.) Epiphanius hær.27. his verbis: *Sunt autem ex Satana subornati ac producti in opprobrium ac scandalum Ecclesiæ Dei. Indiderunt enim sibi ipsis cognomen Christianorum, ad hoc ut Gentes per ipsos offendantur, & Sanctæ Ecclesiæ Dei utilitatem & veram prædicationem, propter illorum nefaria facta & incomparabilem improbitatem, aversentur: & ut Gentes ipsorum assiduè nefaria opera considerantes, putent etiam Sanctas Dei Ecclesias tales esse; & avertant, velut dixi, aures à Deo, ac veritatis doctriná; vel ubi vident saltem aliquos similiter blasphemias proferre. Et hac de causa plures ex Gentibus ubicumque viderint tales, ne accedunt quidem ad nos ob communionem accipiendæ doctrinæ, audiendi Verbi divini, & neque aures admovent, improbis eorum factis consternati. Degunt autem hi in luxu, & omnia ad corporum voluptatem operantur: ad nos autem omnino non accedunt, nisi fortè ad inescandas animas instabiles malignâ suâ doctriná: in nulla enim re nobis similes sunt, sed nomine solum appellari gloriantur, quo per confictum nomen improbitatem suam operentur*. Hactenùs Epiphanius. Ex his colligitur, magis nocuisse Ecclesiæ hanc fraudolentam Diaboli per hos Hæreticos persecutionem, quàm violentam per tyrannos; ubi enim in illa patientia & fortitudo Martyrum Gentes attrahebat ad Christum, in ista obsceni aliquorum, qui se Christianos dictitabant, mores & turpia facta Gentiles ipsos à Christo avertebant: de utraque tamen, ut videbimus Christiana Veritas victoriam reportavit.

VI. Ita Eusebius L.4. Hist. cap. 7. ad rem præsentem: *His igitur ministris*, inquit, *usus malignus ille Dæmon, primum effecit, ut*

ex Fidelibus, quicumque ab illis decepti essent, ad miserabile exitium tanquam captivi abducerentur: deinde Gentibus à Fide nostra alienis amplam obtrectandi & calumniandi Evangelii materiam subministravit; dum ab illis primùm orta infamia ad totius Christiani nominis opprobrium diffunderetur. Atque hinc factum est, ut absurda quædam & impia de nobis opinio apud Infideles tunc temporis spargeretur, quasi nefario concubitu cum sororibus & matribus misceri, & exsecrandis dapibus vesci soleremus. Sed hæ Dæmonis artes nequaquàm in diuturnum tempus ei processere; quippè cùm veritas ipsa se ipsam adstrueret & commendaret, progressuque temporis clariùs in dies elucesceret: & Adversariorum quidem inventa à semetipsis confutata confestim extincta sunt, aliis super alias exorientibus sectis, cum priores assiduè diffluerent, & in multiplices ac multiformes errorum species vario quoque modo evanescerent. Catholica autem Ecclesia, quæ sola vera est, semperque sui similis & constans, novis quotidiè incrementis augebatur: gravitate, sinceritate ac libertate, modestiâ denique & sanctitate vitæ cujusdam, philosophiæque divinæ, omnium oculos, non Græcorum modò, verùm etiam Barbarorum perstringens. Simul etiam extincta est temporis lapsu calumnia illa, quæ universæ Religioni nostræ afficta fuerat; mansitque tandem disciplina nostra sola omnium consensu superior & victrix: ac præ reliquis sectis modestiâ, gravitate, divinæque sapientiæ præceptis excellere ab omnibus judicata; adeò ut exinde ad nostra usque tempora nemo sit ausus ullam infamiæ labem Fidei nostræ aspergere, aut aliquam ejusmodi calumniam inferre, qualem Veteres illi nostræ Religionis hostes jactare consueverunt. Hæc Eusebius: quæ per extensum exscribere volui; valdè enim conferunt ad præsentis Operis argumentum.

§. II.

Carpocratis errores de Christo, Mundo, & Lege.

I. QUos hactenùs recensuimus, Hæretici, Christum secundùm apparentiam & ostensionem tantùm descendisse, ac proindè veram carnem non assumsisse, dixerunt. Carpocras verò Christum verè hominem fuisse admittebat, sed purum hominem ex concubitu Mariæ & Joseph, sicut cæteros, progenitum. Animam tamen in eum talem fuisse immissam, quæ priùs cum Patre ingenito fuisset, & ab eo omni scientiâ ac virtute ornata, quæ licèt inter Judæos nutrita, eos tamen comtemsit, & superiores potestates vicit, & ideò pœnas quibus addicti erant homines evacuavit, & ad patrem tandem reversa est.

II. Ita

II. Ita SS. Patres, Irenæus lib. 1. cap. 25. (aliàs 24.) his verbis: *Jesum autem* (dicunt) *è Joseph natum, & cùm similis reliquis hominibus fuerit, distasse à reliquis secundùm id, quòd anima ejus firma & munda cùm esset, commemorata fuerat, quæ visa essent sibi in ea circumlatione* (seu conversatione) *quæ fuisset ingenito Deo: & propter hoc ab eo missam esse ei virtutem, uti mundi fabricatores effugere posset, & per omnes transgressa, & in omnibus liberata, ascenderet ad eum, & eas* (animas) *quæ similia ei amplecterentur, similiter. Jesu autem dicunt animam in Judæorum consuetudine nutritam contemsisse eos, & propter hoc virtutes accepisse, per quas evacuavit, quæ fuerunt in pœnis passiones, quæ inerant hominibus:*

Epiphanius item hæres. 27. his verbis: *Jesum verò Dominum nostrum ex Joseph generatum esse dicit, quemadmodum omnes homines ex semine viri ac mulieris geniti sunt. Esse autem ipsum similem omnibus, verùm vitâ præcelluisse, temperantiâque ac virtute & justitiâ. Quandoquidem verò, inquit, validam præ cæteris hominibus habebat animam, & memoriâ tenebat ea, quæ visa erant ab ipsa supernè, quando in circumferentia ignoti illius Patris erat: demissæ sunt, inquit, ab eodem Patre in animam ipsius virtutes, quo visorum ab ipsa recordata, & potentiâ corroborata, Angelos mundi fabricatores effugeret, in eo quòd per omnia mundi negotia procederet, & actiones, quæ ab hominibus fiunt, & opera absurda ac nefaria, quæ in occulto fiunt: & quo per omnes actiones liberata eadem, inquit, anima Jesu ascenderet ac reverteretur ad eundem patrem ignotum, qui virtutes ipsi ex supernis demisit, ut per omnes actiones procedens & liberata sursùm ad ipsum penetraret. Quin & similes ipsi animas æqualia ipsi amplexas eodem modo liberatas sursùm volasse ad ignotum patrem, in eo quòd omnes actiones perfecerunt, similiter ab omnibus semotas, de cætero liberatas esse. At Jesu animam in Judæorum moribus educatam, ipsos contemsisse, & propterea virtutes accepisse, per quas potens exigere affectus, qui hominibus in supplicium adsunt, mundi fabricatores transcendere valuit. Non solùm autem ipsam Jesu animam hoc potuisse, sed etiam ea, quæ potest per actiones progressa Mundi factores Angelos transgredi, & ipsa si acceperit virtutes & similia fecerit, quemadmodum anima Jesu.* Hæc Epiphanius.

Philaster de Carpocrate hæc habet: *Christum autem dicit non de Virgine Maria, & Divino Spiritu natum, sed de semine Joseph hominem natum arbitratur, deque eo natum carnaliter sicut omnes homines suspicatur. Qui post passionem, inquit, melior inter Judæos vitâ integrâ & conversatione inventus est, cujus animam in Cælum susceptam prædicat, carnem verò in terram dimissam æstimat, animique salutem solùm, carnis autem non fieri salutem opinatur.* Ita Phila-

ster hæres. 35. similia S. Augustinus dicit L. de Hæres. cap. 7.

III. Ex quibus apparet, quàm blasphemus fuerit contra Christum Carpocrates. Primò enim ipsum purum hominem fecit contra Fidem Catholicam, quæ illum verum hominem & verum Deum, ac Filium Dei naturalem confitetur. Quod ex Scripturis utriusque Test. ostendi Tom. 1. in 3. p. q. 6. Dub. 1. §. 2., & Tom. 1. Verit. Relig. Christ. cap. 10. §. 6. &c. Secundò Christum posuit natum ex concubitu Mariæ cum Joseph contra Fidem, quæ illum asserit conceptum de Spiritu Sancto sinè opera viri, ut probavi dicto Tom. 1. in 3. p. quæst. 5. dub. 3. & 4. Tertiò asseruit, animam Christi priùs fuisse cum ingenito Patre in Cœlis, deinde ornatam scientiâ & virtutibus missam in corpus: cùm Fides doceat, animam Christi non præextitisse ad unionem cum corpore, sed in eodem momento unionis cum corpore fuisse creatam omnibus virtutibus ornatam, & à Verbo assumtam. Quartò dicebat, Christum ascendisse in Cœlum secundùm animam tantùm, carnem verò dimisisse in terram. Quem errorem aliqui ex Modernis Hæreticis amplexi sunt, contra quos egi Tom. 4. Ver. Rel. Christ. parte 2. cap. 38. §. 2. & 3. Quintò asserebat, aliquorum aliorum hominum animas similes & pares esse in virtutibus & donis animæ Christi, & pertransitus Mundi potestatibus ascendere & ipsas ad ingenitum Patrem.

IV. Hâc falsa opinione imbuti Carpocratiani (inquit Irenæus loco citato) *ad tantum elationis provecti sunt, ut quidam quidem similes sese dicant Jesu: quidam autem adhuc, & secundùm aliquid illo fortiores, qui sunt præstantiores, quàm illius discipuli, ut puta quàm Petrus & Paulus, & reliqui Apostoli*. Epiphanius item: *Unde*, inquit, *ad magnum fastum progressi hi, qui ab impostore hoc decepti sunt, se ipsos etiam ipsi Jesu præferendos putant. Alii verò ex ipsis, non Jesu, inquiunt, sed Petro Andræa & Paulo & aliis Apostolis se præstantiores esse ob excellentiam cognitionis, & propter ampliorem peractionem diversorum transituum. Alii verò ex ipsis dicunt, se nihil differre à Christo Jesu Domino nostro. Animæ enim ex eadem circumferentia sunt, & similiter velut anima Jesu omnia contemserunt. Et omnes animæ, inquiunt, eádem virtute dignæ factæ sunt, quâ etiam Jesu Christi anima digna facta est. Quapropter etiam has per omnem actionem procedere, velut ipsa Jesu anima pertransiit. Si verò quis rursùs possit supra Jesum contemnere, excellentior ipso erit*. Idem fatetur etiam Theodoritus L. 1. Hær. Fab. Vides Lector, ad quantam devenerunt impudentiam, seu insaniam, homines cujusvis generis Magiæ ac impudicitiis dediti, ut se nedum Apostolis præstantiores, sed Jesu Christo pares, imo & digniores jactitarint! Hæc de Christo.

V. De

V. De Mundo autem ſenſit Carpocrates, ipſum & ea, quæ in eo ſunt, non à Deo, ſed ab Angelis ingenito Patre multò inferioribus proceſſiſſe. Ita Irenæus. Epiphanius quoque de Carpocrate: *Is*, inquit, *ſupremum quidem Principum unum aſſerit, eundemque Parentem omnium & incognitum, nec ullo nomine ſignificatum, perinde ut cæteri ſtudet aſſerere. Mundum verò, & quæ Mundo continentur, ab Angelis eſſe facta, qui incognito illo parente longè inferiorem dignitatis ordinem tenent. Eos verò ſtatuit ab ſuprema virtute deficientes, Mundum iſtum fabricaſſe*. Idem Philaſter hæreſ. 35., & Auguſt. tum L. de Hæreſ. cap.7., tum L.2. contra Adv. Legis & Proph. cap. 12., ubi recenſitis prioribus Hæreticis: *Poſt iſtos*, inquit, *fuit quidam etiam Carpocrates, qui negavit, iſtum viſibilem Mundum à ſummo Deo creatum, ſed à quibuſdam virtutibus Dæmoniorum*. Ex quibus apparet (& ex ſupradictis etiam) omnes priorum ſeculorum, in eripienda Deo creatione Mundi & horum inferiorum, ut eam tribuerent Angelis ſeu Poteſtatibus, invicem conjuraſſe.

VI. De Lege ſimiliter Carpocratiani cum aliis conſenſere dicentes, Legem Moyſis à Deo non eſſe, & proindè abjiciendam. Ita S. Auguſtinus citatis locis. Qui error ex antecedente ſequitur. Qui enim dicit, Mundum & hæc inferiora, non à Deo, ſed ab Angelis à Deo deficientibus condita eſſe, dicere conſequenter tenetur, Legem à Moyſe promulgatam eſſe ab Angelis Mundi conditoribus latam, non à Deo. Ad hos ex parte acceſſiſſe viſus eſt Lutherus: *In Concione: quomodo libri Moſis legendi ſint*: ubi Legem Moyſis datam fuiſſe dicit Judæis, non Chriſtianis: ideòque omnem mentionem de Moyſe à concionibus abjiciendam eſſe, ne obſcuretur beneficium Chriſti. Quoad præcepta verò Decalogi dicit, ea eſſe quidem obſervanda, at non quia per Moyſen tradita, ſed quia cordibus hominum inſita. De hoc egi in Vera Eccleſia Tom. 1. cap. 13. §. 4.

§. III.

Carpocratis de Animabus, de Operibus &c. errores.

I. Reſurrectionem carnis negaſſe Carpocratem, conſtat ex dictis de Chriſto, cujus animam ad ingenitum Patrem aſcendiſſe dicebat, carnem verò in terra reliquiſſe. Unde S. Auguſtinus L. de Hæreſ. cap. 7. *Reſurrectionem*, inquit, *corporis cum Lege abjiciebat*.

II Cæterùm animas de uno in aliud corpus tranſire, donec cur-

cursum suum compleverint, asserebat; ideòque earum transmigrationem statuebat, opposito tamen motivo, quo illam ponebat Pythagoras. *Cum enim*, inquit Theodoritus, Carpocratiani *Pythagoricas à corporibus in corpora trajectiones admisissent, quod ei connexum à Pythagora dicebatur, non admiserunt. Pythagoras enim dicebat, animas, quæ peccarant, mitti in corpora, ut & pœnas darent, & ritè expiarentur. Hi autem causam afferunt illius in corpora transitus, quæ Pythagoricæ ex diametro repugnat. Dicunt enim, animas mitti in corpora, ut omne genus libidinis & petulantiæ peragant. Eas ergo, quæ in uno descensu impleverint, non egere alia missione. Quæ autem parum peccarunt, & bis mitti, & ter & sæpiùs, donec omnia vitiorum genera impleverint*. hæc Theodoritus, qui, ne aliquis putet, se adversùs eos hæc finxisse, Irenæi viri Apostolici testimonium profert, qui ex eorum scriptis se accepisse dicit.

III. Addit ergo Irenæus L.1. c.25., eos ad hoc infame dogma confirmandum ipsius Christi dicto Lucæ 12. v. 58. abusos fuisse: *Propter hoc dicunt Jesum hanc dixisse parabolam* „ Cùm es cum adversario tuo in via, da operam, ut libereris ab eo: ne fortè te det „ judici, & judex ministro, & mittat te in carcerem. Amen dico „ tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem„. *Et Adversarium dicunt unum ex Angelis, qui sunt in mundo, quem diabolum vocant, dicentes, factum eum ad id, ut ducat eas, quæ perierunt, animas à mundo ad Principem: (& hunc dicunt esse primum ex Mundi fabricatoribus) & illum alteri Angelo, qui ministrat ei, tradere tales animas, ut in alia corpora includat, corpus enim dicunt esse carcerem. Et id quod ait*: non exies indè, quoadusque novissimum quadrantem reddas, *interpretantur, quasi non exeat quis à potestate Angelorum eorum, qui Mundum fabricaverunt; sed sit transcorporatus semper, quoadusque in omni omnino operatione, quæ in Mundo est, fiat, & quum nihil defuerit ei, tunc liberatam eius animam elevari ad illum Deum, qui est supra Angelos Mundi fabricatores, sic quoque salvari & omnes animas, sive ipsæ præoccupantes in uno adventu in omnibus misceantur operationibus, sive de corpore in corpus transmigrantes, vel immissæ, in unaquaque specie vitæ adimplentes & reddentes debita, liberari, uti jam non faciant in corpore*. Hactenùs Irenæus.

IV. Operationes autem, quas peragere in corpore debere dicebant, ut ad supremum Deum pertransire posset, & si non omnes in uno corpore absoluisset, in aliud vel alia corpora transmigrare debebat, donec omnibus absolutis liberaretur à carcere corporis, non aliæ erant, quàm cujusvis generis turpitudines ac impudicitiæ. Et ad tantam devenerunt blasphemiam, ut non puderet doce-

cere; quòd cùm Anima Christi has omnes turpitudines in suo corpore secretò perpetrasset, confestim reversa fuit ad Patrem. Ita S. Epiphanius hæres. 27. (ex Interpretatione Petavii) ubi de Anima Christi loquens ait: *Hoc ipso, quòd per omnia rerum, quæ in mundo sunt, actionumque quæ ab hominibus suscipiuntur, genera transiret, adeòque scelesta execrandaque clanculum facinora perpetraret: ut ita demum actionibus omnibus perfuncta liberaque eadem Jesu anima incognitum ad parentem evolaret.* Unde, ut dixi, supra inferebant, quòd quæ ejus similes essent animæ, & iisdem addictæ studiis, in libertatem adducerentur. Si ergo talia de Christo impiè & sacrilegè evomebant, ne mireris Lector, si eorum aliqui se Christo pares, alii eo superiores se jactitabant.

V. Porrò ut à tot nefandis actionibus horrorem abstergerent, dicebant, Christum suis Apostolis revelasse, per solam fidem & caritatem homines salvari, operationes autem solâ hominum opinione dici bonas vel malas, cæterùm nullam naturâ suâ esse malam. Ita Irenæus citato L. 1. cap. 25., aliàs 24., dicit: *In conscriptionibus autem illorum sic conscriptum est, & ipsi ita exponunt; Jesum dicentes in mysterio discipulis suis & Apostolis seorsùm locutum, & illos expostulasse, ut dignis & assentientibus seorsùm hæc traderent. Per fidem enim & caritatem salvari: reliqua verò indifferentia cùm sint, secundùm opinionem hominum, quædam quidem bona, quædam autem mala vocari, cùm nihil naturâ malum sit.* Hæc Irenæus, ex quo Theodoritus L. 1. hær. Fab. de Carpocr.

Epiphanius etiam hæres. 27. *Ita enim*, inquit, *disputant: quæ ab hominibus mala judicantur, ea minimè mala esse sed honesta naturâ. Nihil enim naturâ malum est, sed ab hominibus dumtaxat prava censentur. Quæ si quis omnia in hac una præsenti vita perfecerit, ejus anima non ampliùs in alia corpora transfunditur, ut in hanc lucem denuò procreetur: sed omni actionum genere perfuncta, libera atque immunis abscedet, cùm nullius adhuc in hoc mundo debito actionis obligetur. Cujusmodi verò actionem intelligant, rursùm explicare vereor, ne velut opertum cœnum, ita graveolentem hanc cloacam aperiam, ac pestiferæ cujusdam exhalationis ac fœtoris occasionem quibusdam videar præbuisse.* Ex supradictis tamen constat, eas operationes fuisse cujusvis generis flagitia, turpissimos etiam masculorum concubitus, magicas, cultus Idolorum &c. Horum omnium malitiam (quod nec ipse diabolus excogitasset) hoc velamine artificiosè tegebant dicentes, ea naturâ suâ mala non esse, sed solâ hominum opinione, & hoc esse mysterium à Christo Apostolis secretò traditum: ad salutem enim sufficere fidem & caritatem.

VI. Hujus impiæ doctrinæ prima jecit fundamenta Simon Magus,

gus; qui ut supra cap. 1. §. 5. n. 2. adverti, docuit, homines secundùm suam gratiam salvari, & non secundùm opera justa: *Nec enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti; quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt Angeli, per hujusmodi præcepta in servitutem deducentes homines*. Carpocrates autem vitiis laxare magis volens habenas, statuit ex sola hominum opinione operationes malas dici, nec officere saluti, dummodo adsit fides & caritas. Quem errorem seculo 4. reviviscere fecit Eunomius, de quo S. August. L. de Hæres. cap. 54. ait: *Fertur etiam usque adeò fuisse bonis moribus inimicus, ut assevearet, quòd nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset*. Et sæculo 16. Lutherus præfatos Hæreticos secutus L. de Captivit. Babyl. cap. de Bapt. ait: *Ita vides, quàm dives sit homo Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cætera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem, imo veritatem Dei, quia seipsum negare non potest, si tu eum confessus fueris, & promittenti fideliter adhæseris*. Et post multa, omnia præcepta in conscientia obligantia à Christianis abjiciens: *Neque Papa*, inquit, *neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu. Quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit*. Et infra ait, Christianis nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus sive ab Angelis, nisi quantum volunt: liberi enim sumus ab omnibus: quæ Carpocratianæ doctrinæ mirè consonant.

VII. Sed hæc omnia doctrinis Dæmoniorum annumeranda sunt. Dari enim opera naturâ & specie mala, quæ Deus odit, & ea facientes pœnâ plectit, constat ex utriusque Testamenti Scripturis, & in eis perseverantes à salute & Regno Dei excludi testatur Paulus 1. Cor. 6. v. 9.: inter quos recenset fornicarios, idolis servientes, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces: nemo enim istorum Regnum Dei possidebit: quæ repetit ad Galat. cap. 5. v. 19. Cùm ergo Carpocratiani vice versâ hisce solis, qui hæc omnia peregissent, salutem & transitum ad Regnum Dei pollicerentur, patet eos impiè, & contra Deum fuisse locutos.

Fidem autem sine operibus nihil juvare ad salutem, ostendit idem Paulus ad Galatas (quorum aliqui fortè errore opposito decepti tenebantur) cap. 6. v. 7. his verbis: *Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui*

se-

seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Porrò cum tempore Apostolorum apud aliquos hic error invaluisset, ideò plures ex iis contra eum scripserunt, teste S. August. L. de Fide & Operibus cap. 14. ubi ait: *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, Fidem sine operibus non prodesse: sicut etiam ipse Paulus, non qualemlibet Fidem, quâ in Deum creditur, sed eam salubrem planèque evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt*: ,, Et Fides, *inquit*, (Galat. 5. 6.) quæ per dilectionem operatur ,,. *Unde illam Fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat* (1. Cor. 13. 10.) ,, Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum ,,. *Ubi autem fidelis caritas operatur, sine dubio benè vivitur.* Caritas tamen, quæ operatur ea, quæ Deus per Fidem facienda proponit, non est, quæ operatur contra Deum & Fidem ad libidinem exsaturandam, qualem Carpocratiani intelligebant, dum dicebant hominem solâ Fide & Caritate salvari: hæc enim non erat caritas Dei, sed diaboli instigantis eos ad omnem turpem operationem. Hinc Cyrillus Jerosol. Catechef. 15. n. 26. ait: *Ne fiduciæ plenus esto, quòd lampadem solummodo teneas, sed illam ardentem conserva. Luceat tua lux bonorum operum coram hominibus, nec blasphemetur propter te Christus.* De hoc plura dixi in Vera Ecclesia Tom. 2. P. 1. A. 8.

Ut omnem libidini viam aperirent, dicebant, uxores debere esse communes. In hoc errore cum Simonianis Basilidianis, & Nicolaitis Carpocratiani conveniebant. Quia tamen specialem hujus Hæresis promulgatorem Clemens Alexandr. L. 3. Strom. facit Epiphanem Carpocratis filium; idcircò de isto aliqua, & de hac Hæresi dicam.

§. IV.

De Epiphane & Marcellina.

I. EPiphanes, ut supra ex Clemente Alex. citato loco dixi L. 3. Strom., Carpocratis filius fuit. *Vixit autem* (inquit Clemens) *solum septendecim annis, & Samæ, quæ est urbs Cephaleniæ, ut Deus est honore affectus. Quo in loco Templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, museum ædificatum est & consecratum: &*

cum est nova luna, convenientes Cephalenæi, tempore quo natus, & in Deos relatus est Epiphanes, sacrificant, libantque & convivantur & hymnos canunt. Ita Clemens. Quamvis autem tam brevi ætate vixerit, à patre tamen omnis generis Philosophiam, & Platonis maximè didicit, & libros scripsit, in quibus cùm inter alias doceret, oportere uxores esse communes, indè contra Nomen Christi maximum emanavit probrum. Dicebat ergo (in libro de Justitia) quòd sicut Cœlum commune est toti terræ, Sol æqualiter respicit omnes, communia sunt omnibus animantibus nutrimenta, omnibus omnia communia fecit Deus: ita & uxores debere omnibus esse communes; alias violata esset justitia Dei, quæ consistit in æqualitate communionis, & se ostendit in eo, quòd omnia omnibus communia fecerit.

II. Subinde dicebat, leges humanas vetantes hanc communionem destruxisse justitiam Dei. Nam (prosequitur Clemens) *Ex æquo communiter omnibus oculum ad videndum creator & pater omnium suâ justitiâ legem ferens præbuit, non discernens feminam à masculo, non id quod est rationis particeps ab experte rationis: & ut semel dicam, nullum à nullo; æqualitate autem & communitate visum similiter dividens, uno jussu omnibus est largitus. Leges autem*, inquit, *hominum, cùm ignorationem castigare non possent, contra leges facere docuerunt: Legum enim proprietas dissecuit divinæ Legis communionem, & arrodit, non intelligens dictum Apostoli dicentis*. „ Per legem peccatum cognovi „. *Et meum & tuum dicit subiisse per leges, ut quæ non ampliùs communiter fruantur (sunt enim communia) neque terrâ, neque possessionibus, neque matrimonio. Fecit enim vites communiter omnibus, quæ neque passerem neque furem abnegant, & frumentum similiter, & alios fructus. Violata autem communio & æqualitas genuit furem pecorum & fructuum. Cùm ergo Deus communiter omnia fecisset homini, & feminam cum masculo communiter conjunxisset, & omnia similiter animantia conglutinasset, pronuntiavit justitiam, communionem cum æqualitate*. Itaque nefarius iste volebat, quòd Deus sicut volucribus & aliis animantibus omnia dedit communia, ita ut quocumque uti cibo, & cum quacumque coire in sua specie sinè alterius injuria liberè possent, sic & homini omnia dederit communia, tum cibos & alia bona, tum etiam feminas, & proinde damnabat leges humanas contrarium statuentes, tanquam inducentes meum & tuum, & proinde peccata contra voluntatem Dei: addens, propterea intensum, & vehementiorem Deum ingenerasse masculis cupiditatem ad propagationem, *quam nec lex, nec mos, nec aliquid aliud potest abolere: est enim Dei decretum*.

III. Epi-

III. Epiphanis tamen brutalem insaniam corripit Clemens ostendendo, hoc esse à Deo vetitum in Lege illis verbis *Non mœchaberis: non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus.* Ne autem diceret, Legem esse latam à Deo Judæorum, & pro solis Judæis, probat, hanc Legem confirmari in Evangelio Matth. 5. v. 27. & 28. à Christo dicente: *Audistis quia dictum est antiquis: non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*: quibus apparet, unum esse Deum, qui prædicatur per Legem & Prophetas & Evangelium. Nec solis Judæis datam illam Legem, sed omnibus, etiam Gentibus ostendit verbum illud *proximi tui*, quo indicantur non Judæi, qui *Fratres* vocantur, sed etiam Gentes, quæ sub nomine proximi comprehenduntur: *Proximus autem non est Judæus Judæo, frater enim est, & eundem habet spiritum: restat ergo, ut propinquum dicat eum, qui est alterius gentis. Quomodo autem non propinquus, qui potest Spiritus esse particeps? Non solùm enim Hebræorum, sed etiam Gentium pater est Abraham.* Ita Clemens.

IV. At quia volens suam sectam porcorum, suum, & hircorum more instituere, Platonis etiam, cujus doctrinâ imbutus erat, auctoritate Epiphanes utebatur, ostendit Clemens, nec Platonem in Lib. de Republica voluisse, mulieres desponsatas esse communes, sed eas tantùm quæ nondum nupserant, & malè audiisse in Republica: *Mihi autem videtur Platonem quoque malè intellexisse in Republica dicentem, oportere esse communes omnium uxores: ut qui diceret, eas quidem, quæ nondum nupserant, esse communes eorum, qui essent petituri, quemadmodum Theatrum quoque est commune spectatorum: esse autem unamquamque uniuscujusque, qui præoccupasset, & non ampliùs communem esse eam, quæ nupsisset*: quia verò se muniebat etiam auctoritate Xanthi, dicit: *Xanthus autem in iis, quæ inscribuntur Magica: Coeunt autem, inquit, Magi cum matribus & filiabus, & fas esse ajunt coire cum sororibus, & communes esse uxores, non vi & clam, sed utrisque consentientibus, cum velit alter ducere uxorem alterius*: nempè cùm vir uxorem suam consentit tradere alteri tanquam rem suam. Quibus ostendit Clemens, nec Platonem, nec Xanthum Epiphanis errori favere.

V. Carpocratis sectæ fuisse quandam mulierem nomine Marcellinam, scribit S. Augustinus L. de Hæres. cap. 7. *Sectæ ipsius fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu, & Pauli & Homeri, & Pythagoræ, adorando incensumque ponendo.* Ejusdem meminit S. Irenæus L. 1. Hæres. 25. *Unde & Marcellina, quæ Romam sub Aniceto venit, cùm esset hujus doctrinæ, multos exterminavit.*

vit. Epiphanius item Hæref. 27. *Ex horum factione*, inquit, *Marcellina quædam ad nos venit, quæ Aniceti Romani Episcopi tempore multos labefactavit*. Sic diabolus, qui ad decipiendum ac seducendum Adamum feminâ ab initio usus fuit, videns hanc artem sibi profuisse, eandem ad incautos fallendos successivis temporibus adhibere consuevit. Et cum vidisset Apostolos in primitiva Ecclesia piarum mulierum ope, tum ad ministerium quotidianum exemplo Christi, tum ad mulieres infideles privatim erudiendas, aliaque pia officia semotâ omni turpitione usos fuisse, ideòque Diaconissas instituisse; æmulatione raptus, idem ad errores contra Fidem faciliùs insinuandos exequi plerumque statuit.

VI. Hoc detestatur S. Hieronymus Epist. modo 43. ad Ctesiphontem, dicens: *Quid volunt miseræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes: & cæteri muliercularum socii prurientes auribus, & ignorantes quid audiant, quid loquantur, qui vetustissimum cœnum, quasi novam suscipiunt temperaturam: qui juxta Ezechielem liniunt parietem absque temperamento, & superveniente veritatis pluviâ dissipantur? Simon Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immundiciarum repertor, choros duxit femineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Appelles Philumenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas feminas, primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora trascendam. Arius, ut orbem deciperet, sororem principis* (Constantini Magni) *ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit Zoroastris Magi studiosissimum, & ex Mago Episcopum, cui juncta Galla non gente sed nomine, germanam huc illucque currentem, alterius & vicinæ hæreseos reliquit hæredem. Nunc quoque mysterium iniquitatis operatur*. Hactenùs Hieronymus. Unde non mirum, si Marcellina Romam adveniens Carpocratianâ hæresi, quam ipsa ebiberat, non paucos inquinarit.

VII. Marcellina ergo hæc Carpocratis discipula Romam sub Aniceto adveniens circa ann. 160. vel ultra, ut aliqui putant, inter alios errores supra relatos, quibus plures obcæcavit, hoc singulare habebat, ut ex Augustino retuli, quòd colebat imagines Jesu & Pauli & Homeri & Pythagoræ, adorando incensumque eis adolendo. Quæ clariùs exponunt Irenæus his verbis: *Gnosticos* (Carpo-

pocratiani) *se vocant, & imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato, illo in tempore, quo fuit Jesus cum hominibus. Et has coronant & proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ & Platonis & Aristotelis & reliquorum: & reliquam observationem circa eas, similiter ut Gentes faciunt.* Epiphanius etiam: *Habent porrò*, inquit, *Carpocratiani depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas esse Jesu effigies affirmant; easdemque à Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Sed hujusmodi imagines occultas habent; nec non & Philosophorum quorundam, ut Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas, quas dixi Christi effigies miscent, & erectas simul omnes adorant, ad easque Gentilium ritus instituunt. Collocatis enim simulacris istis, quæ à Gentilibus fieri solent deinceps perficiunt. Quinam verò sunt Gentiles ii ritus alii, quàm sacrificia cæteraque generis ejusdem?* Ita Epiphanius.

VIII. Hæc per extensum transcribere volui, ut appareat, quàm inscitè, ne dicam impudenter, calumnientur nobis Lambertus Danæus, Centuriatores, aliique Recentiores Acatholici, quasi morem sacras venerandi Imagines à Carpocratianis Ecclesia Romana didicerit. Apparet, inquam, nam Carpocratiani miscebant simul Imaginem Christi cum imaginibus profanis Philosophorum, & omnes eodem cultu adorabant. Faciebant quod olim Cives Azoti 1. Reg. 5., qui collocaverant Arcam Dei juxta statuam Dagon, & unâ manu incensum adolebant Arcæ, alterâ Dagon. Ecclesia autem Catholica Imaginem quidem Christi, seu Christum in sua imagine veneratur & colit; sed cum ea imagines profanas non veneratur. Sicut ergo licèt Deo odibile esset Arcam una cum Dagone eodem cultu venerari, Arcam tamen solam cultu sacro prosequi gratum Deo erat: ita Imaginem Christi cum imaginibus profanis eodem cultu venerari prohibetur quidem: *Quæ enim conventio Christi ad Belial?* (2. Cor. 6. v. 15.) eam tamen seorsim venerari pium est. Rursùs Carpocratiani imagines Christi & Philosophorum Gentilium ritu tanquam Idola, sacrificia scilicet eis offerendo colebant, & alia quæ Idolis suis Gentiles faciunt erga eas peragendo. Numquid hoc erga sacras Imagines Catholica Ecclesia facit? Vide ergo fallaciam, seu veriùs calumniam. Sed de hoc egi in Vera Ecclesia Tom. 2. p. 2. art. 16. per totum, præsertim §. 3., & in Theol. Tom. 16. q. 7. Dub. 5. §. 3. num. 16.

CAPUT VI.

De Cerintho ejusque Hæresibus.

§. I.

Quis & qualis fuerit Cerinthus.

I. CErinthus & Ebion, de quo infra, Gnosticis & Carpocrate ætate anteriores fuerunt, quia Apostolis coævi: nos verò eos postponimus, ut Irenæi Epiphanii Augustini & aliorum ordinem teneamus. Cerinthi patria ignoratur, natione tamen & religione Judæum fuisse fatentur omnes. Dum juvenilem adhuc ageret ætatem, in Ægyptum profectus ibi Philosophicis studiis operam dedit: in Judæam demum reversus, & Apostolorum prædicatione ad Fidem conversus, sacrum Baptisma suscepit; sed cum Baptismo Circumcisionem jungere volens, varias inter Discipulos Domini excitavit contentiones. Is fuit unus ex illis, qui Antiochiæ propter Gentium circumcisionem turbas moverunt, ut habetur Act. 15. Is etiam unus ex illis fuit, qui Petro se opposuerant, ne iret ad Cornelium Act. 10., & contra eum revertentem commoverant Jerosolymam Act. 11.; & qui ut habetur ad Galat. 2. seditionem commoverunt contra Paulum, quòd Titum incircumcisum secum duceret.

II. Hæc narrat Epiphanius Hæres. 28., dicens: *Idem ille, carissimi, fuit qui Apostolorum tempore tumultum illum excitavit, cùm Jacobus cæterique Apostoli literas Antiochiam scripserunt his verbis*,, Quoniam cognovimus, quosdam à nobis ad vos esse profectos, fuisque vos perturbasse sermonibus, quibus non mandavimus,, &c. *Idem quoque eorum unus est, qui se Petro opposuerant, cum ad Sanctum Cornelium ivisset, à quo post oblatum per visum Angelum erat accersitus. Quo tempore dubitante Petro linteum illud cum iis, quæ continebat, objectum est, & à Domino istud ipsum audiit, ne quid commune vel impurum appellaret. Igitur Cerinthus circumcisorum gregem adversùs Petrum revertentem commovit Jerosolymis, dicens*: ,, Ingressus est ad viros præputium habentes,,. *Quod quidem ab eo factum est, antequam suum in Asia dogma prædicaret, seque in exitii sui gurgitem profundiùs immitteret. Nam cùm circumcisus hic esset, ut eos, qui retento præputio fideles erant, ulcisceretur, occasionem è circumcisione nactus est*. Et post multa addit: *Quemadmodum aliàs Jerosolymis cum suis idem ille* (Cerinthus) *tumultus concivit: quando sci-*

scilicet cum Tito Paulus advenit, atque ita ille locutus est: Viros præputium habentes secum induxit: *Quibus de Tito significabat*; Locum, *inquit*, sanctum profanum fecit. Hactenùs Epiphanius. Quibus apparet, Cerinthum vixisse simul cum Apostolis, & cum illis post Christi Ascensionem conversatum fuisse: & licèt Christum etiam Baptismo exteriùs profiteretur, doctrinæ tamen Apostolorum initio restitisse; ac ducem fuisse eorum, qui volebant, Circumcisionem in Evangelio esse servandam. Et hi erant, quos Paulus Galat. 2. v. 4. vocat *Subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent*: dicentes, Act. 15. v. 1., *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari*. At Paulus ne infirmi seducerentur Galat. 5. v. 1. *State*, inquit, *& nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis: si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Ut enim ait Epiphanius, *Circumcisio tandiù suum tempus habuit, donec major circumcisio ejus est loco substituta, nempe illa lotionis iterata generatio*.

III. Non tamen in solis servandis Judaicis Ritibus Cerinthi pertinacia hæsit; sed relictâ Judæâ in Asiam profectus turpissimos alios errores evomuit, ac plurimos seducens sectam sui nominis instituit. Sic ergo à duplici hoste Ecclesia adhuc infans impetebatur, & contra utrumque Apostolis pugnandum fuit; Idololatriam nempe & errorem. Iste tamen illo ferior erat: nam ille vitam corporis tormentis aggrediebatur, iste vitam animæ veritatem impetendo turpi dolo adimere conabatur. Utrumque tamen veritas superavit. Simonis errorem cum suo Auctore prostravit Petrus. Contra Cerinthum Paulus, ut dicebam, & Joannes Apostoli arma sumsere. Quin tanto horrore S. Joannes Cerinthum aversabatur, ut vel locum ubi ille erat, effugeret. Hoc tanquam à Polycarpo acceptum refert S. Irenæus L. 3. cap. 3. his verbis: *Et sunt, qui audierunt eum* (Polycarpum) *dicentem, quoniam Joannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cùm vidisset intùs Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus, dicens, quòd timeat, ne balneum concidat, cum intùs esset Cerinthus inimicus veritatis*. Quod ex Irenæo desumsit Eusebius L. 3. Hist. cap. 28., & L. 4. cap. 14., & ex utroque Agobardus L. de Judaicis superstitionibus. Ex quo conjicitur, S. Joannem in Asiam à Spiritu Sancto fuisse missum, ut Cerintho & Ebioni ejus discipulo se opponeret; unde contra hos suum Evangelium scripsit, ut S. Hieronymus L. de Script. Eccl. cap. 9. testatur dicens: *Novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis adversùs Cerinthum aliosque Hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non*

non fuisse. Unde & compulsus est Divinam ejus Nativitatem edicere.

IV. Ex fuga Joannis à balneo, dum scivit, ibi esse Cerinthum, apparet, hunc ab Ecclesia ejectum in Asiam transiisse, ideòque veluti notorium hæreticum eum vitandum Joannem declarasse. Nescio tamen, quomodo hunc, quem ut vitaret Joannes è balneo fugit, Cerinthum fuisse hactenùs ex Polycarpo dixi, fuisse Ebionem dicat Epiphanius Hæres. 30. n.24.: nisi fortè dicatur cum Baronio ad ann. 74. n.9., utrumque simul in balneis, Cerinthum & Ebionem repertum à Joanne fuisse; cùm magna necessitudo, ex impietatis similitudine comparata, inter utrumque intercederet. Ex dictis patet, quòd licet Cerinthi nomen in sacris Litteris expressum non legatur, ejus tamen errores à Sanctis Apostolis & Evangelistis passim referuntur & confutantur.

V. Ad quot annos vitam Cerinthus produxerit, non liquet. Prateolus in L. de Vitis & Sectis Hæret. putat, quod Cerinthus post Joannis egressum è balnei domo, ruinâ statim oppressus, ut Joannes prædixerat, interierit. Sed hoc de suo Prateolus dicit, cùm nec Irenæus, nec Epiphanius, nec Veteres alii Scriptores hujus ruinæ meminerint. Censent propterea alii, Cerinthum ad diuturnum tempus vitam protraxisse, nempe ad Pii I. ætatem circa medium Seculi II., quod ex eo se colligere arbitrantur, quia Pius in Epist. 1. ad Justum Viennensem id significat inquiens, *Cerinthus primarcha Satanæ multos à Fide avertit*. Nec inverisimile putat Baronius ad ann. 166., quòd Cerinthus Apostolis coævus ad tantum tempus vitam produxerit: nam & Polycarpus, quem familiaritate conjunctum Apostolis nuper ex Irenæo & Eusebio dixi, adhuc his temporibus superstes erat: quin imo & viribus validus sub Aniceto Pii successore Romam venit: Hermam etiam Pauli discipulum his diebus supervixisse traditur. Dici tamen potest, & fortè tutius, Pium, dum dicit, Cerinthum primarcham Satanæ multos à Fide avertisse, non viventem Cerinthum, sed ejus hæresim adhuc tunc multos à Fide avertentem indicare voluisse: sicut si dicerem Lutherus & Calvinus modò avertunt multos à Fide. Hæc dixi, ne præfatam Pii epistolam ut spuriam & apocrypham rejiciam; quemadmodum Recentiores Critici faciunt, qui Epistolas Romanorum Pontificum usque ad Siricium pro suppositítiis habent.

VI. At quia Cerinthus modò etiam *Merinthus*, & Cerinthiani etiam *Merinthiani* appellantur, dubium suboritur, an idem sint Cerinthus ac Merinthus, & Cerinthiani ac Merinthiani. S. Epiphanius Hæres. 28. n.8., eosdem fuisse, qui Cerinthiani & Merinthia-

thiani appellati sunt, existimat; an verò idem fuerit Cerinthus & Merinthus, dubitat: *Ceterum*, inquit, *iidem illi Merinthiani, sic enim accepimus, appellantur. Utrum verò Cerinthus ipse Merinthus alio nomine sit dictus, liquidò nescire me fateor: an prater hunc alter eo nomine appellatus extiterit adjutor illius & socius, id quidem soli Deo compertum est. Hoc enim sæpe jam diximus, non ipsum solum Jerosolymis frequenter Apostolis restitisse, sed qui eum in Asia sunt secuti*. Deinde concludit, quòd utcumque sit, certum est, Cerinthi ac Merinthi eadem dogmata esse: *Atque*, ait, *ut unus idemque sit, aut alius ejusdem cum illo opinionis & partium fautor, nihil admodum refert. Forma quidem nequissima illorum doctrinæ, ac velut nota quædam ejusmodi est, qualem descripsimus. Et Cerinthianos simul & Merinthianos appellari constat*. Ita Epiphanius. Consentit S. Augustinus L. de Hæres. cap.8. dicens: *Cerinthiani à Cerintho, iidemque Merinthiani à Merintho*. An verò idem fuerit Cerinthus & Merinthus, non dicit; ideòque & ipse hoc suspensum relinquit.

§. II.

Cerinthi errores de Mundo, Lege & Legalibus.

I. IN multis erravit Cerinthus. Primò circa Mundum: nam ut ait Irenæus L.1. cap. 26. (aliàs 25.) *Non à primo Deo factum esse mundum docuit, sed à virtute quadam separata & distante ab ea principalitate, quæ est supra universa, & ignorante eum, qui est super omnia, Deum*. Idem dicit Epiphanius Hæres. 28. n.1. Hic error à Simone Mago exortus omnes ferè primi seculi Hæreses pervasit, ut hactenùs vidimus: duos tamen Deos non admisit, sed unum, à quo eripuit mundifactionem. Ita Theodoritus L.2. Hæret. Fabul. *Is autem docuit esse quidem unum Deum: eum autem non esse mundi creatorem, sed separatas quasdam potestates, & eum omnino nescientes*. Has Epiphanius vocat *Angelos*. At quales sunt istæ potestates mundi conditrices? an à se ipsis existentes, an ab alio factæ? Si à seipsis sunt: ergo & ipsæ Deus vel dii sunt, & sic non est unus Deus. Si ab alio factæ, à quo sunt factæ; an à Deo, qui est super omnia, an ab alio aliquo? Si à Deo factæ: ergo ab eo acceperunt virtutem mundum faciendi, ergo à Mundi creatione Deus, qui est super omnia, non excluditur. Si dicas eo vel inscio, vel nolente eas mundum fecisse: dicam ego. Quis est iste Deus, qui vel nescit quid ejus creatura factura sit, vel si sciat & nolit, non valet impedire, ne faciat? Rursùs dum dicitur, has summas potestates Deum omnino ignorasse, petam: quales potestates istæ

sunt, quæ cognitionem habuerunt, ut conderent Mundum, eique Leges darent, & ea caruerunt, ut cognoscerent summum Deum?

II. Errabat secundò: quia Legem Moysi non à primo Deo, sed ab Angelis Mundi conditoribus, vel à supremo eorum, quem Deum Judæorum asserebat, latam existimabat, ideòque non à vero & bono Deo; & consequenter Legem non esse bonam. Hanc hæresim hauserat à Simone, quam ut vidimus alii ejusdem furfuris amplexati sunt. Cerinthus tamen in hoc sibi ipsi adversabatur: nam ex una parte dicebat, Legem Moysi summum Deum non habere autorem, sed potestatem Mundi formatricem à Deo distantem, imo & Dei ignaram, & consequenter Legem illam esse malam, & à malo auctore: ex alia verò volebat, Legem etiam post Christum, quem à summo Deo missum fatebatur, esse ad salutem necessariam, & etiam à Christianis, ut dixi & dicam, observandam. Si enim bona non est, cur observanda? Si observanda, cur non bona?

Propterea sic eum redarguit Epiphanius Hær. 28. n.2. *Eum à quo Lex tradita sit bonum negat esse, cujus tamen legi utique tanquam bonæ obtemperare videtur. Qui verò convenit, ut qui malus sit bonam Legem præscripserit? Si enim non adulterari, vel non occidere est honestum, quantò melior is est, qui ista præcepit; si is, qui ea non commisit confessione omnium bonus habetur? Quonam pacto mali cujusdam facinoris accusari potest, qui bona consuluit, ac tam bonam Legem hominibus descripsit? Enim verò furiosus & amens est, qui ea jactare non est veritus.* Hæc Epiphanius.

III. Errabat tertiò Cerinthus, quia volebat, Circumcisionem & Legalia à Christifidelibus esse necessariò observanda. Ita ipse & ejus gregales ajebant Act. 15. v.1. *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari*: & propter hoc, ut §. præcedente dixi, turbas multas contra Apostolos, & præsertim contra Paulum, oppositum sentientes excitarunt, tum Hierosolymis, tum Antiochiæ, tum alibi: & propterea, ut dicam, Pauli Epistolas Cerinthus refutabat. Sunt tamen qui putant, Cerinthum non zelo & amore Legis, quam despiciebat ut malam, adactum fuisse ad Circumcisionis & Legalium observantiam ut necessariam asserendam; sed potiùs, ut persecutiones, quibus à Judæis Christiani vexabantur, eluderet: unde ex ejus discipulis plures Circumcisionem aliis observandam prædicabant, qui tamen circumcisi non erant. Testatur enim S. Ignatius Epist. ad Philadelph., plures fuisse qui Judaismum alios docebant, cùm ipsi essent incircumcisi: & hi fortè erant ex illis, *Qui* (Apocal. 2. v.9.) *se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ.*

IV. Ob-

IV. Observandum hic censeo, Apostolos non ideò rejecisse Cerinthum & alios, quia Circumcisionem & Legalia adhuc observare vellent; sed quia ea contendebant adhuc necessaria esse ad salutem, & jungenda cum præceptis Evangelii etiam præcepta Legis cæremonialia: dicebant enim Act. 15. *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari*. Ceterùm etsi cæremoniæ legales post Christi mortem vim obligandi amiserint, & factæ sint mortuæ, non tamen illicò evaserunt mortiferæ; ita ut non possent ampliùs sine peccato exerceri: sed aliquo tempore earum usus iis, qui ex Judaismo veniebant ad Christum, fuit permissus, dummodo in eis non ponerent spem salutis. Imo Apostoli ipsi eas aliquando observarunt: S. Paulus Timotheum circumcidit, Sabbatum observavit, & ut obsecundaret multis Judæorum millibus, qui Jerosolymis ad Christum conversi, adhuc Legalia retinebant; Votum Nazareatus implevit (Act.21.). SS. Petrus Jacobus & Joannes teste S. Irenæo L.3. cap.12. cæremonias secundùm dispositionem Legis religiosè observabant. Imo temporibus S. Justini circa ann. 160. Legalium observatio nondum erat ab Ecclesia totaliter deleta, sed ob aliquorum imbecillitatem adhuc permittebatur, ut scribit ipse in Dial. cum Tryphone. Quod confirmat Sulpitius Severus, dum L. 2. Hist. num. 44. dicit, sub Hadriano anno 136. fuisse Judæis interdictum ingressum Jerosolymam. *Quod quidem Christianæ Fidei proficiebat: quia tum penè omnes Christum Deum Legis observatione credebant: nimirùm id à Domino ordinante dispositum, ut Legis servitus à libertate Fidei atque Ecclesiæ tolleretur*. Plura de hoc dixi in Theologia Tom.2. in 1. 2. q. 4., quæ est de Lege Veteri Dub. 5. 6. & 7. quò Studiosum remitto.

V. Solùm concludam cum S. Augustino Epist. 82. aliàs 19. ad Hieron. cap.2., ubi hæc habet: *Dico ergo, Circumcisionem Præputii, & cætera hujusmodi, priori Populo per Testamentum, quod Vetus dicitur, divinitùs data ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri: quibus advenientibus remansisse illa Christianis legenda tantùm, ad intelligentiam præmissæ Prophetiæ, non autem necessariò facienda, quasi adhuc expectandum esset, ut veniret Fidei revelatio, quæ his significabatur esse ventura. Sed quamvis Gentibus imponenda non essent, non tamen sic debuisse auferri à consuetudine Judæorum tanquam detestanda atque damnanda. Sensim proinde atque paulatim fervente sanâ prædicatione Gratiæ Christi, quâ solâ nossent credentes se justificari salvosque fieri, non illis umbris rerum antea futurarum, nunc jam venientium atque præsentium; ut in illorum Judæorum vocatione, quos præsentia carnis Domini & Apostolica tempora sic invenerant, omnis illa actio consumeretur um-*

brarum, hoc eis suffecisse ad commendationem, ut non tanquam detestanda, & similis idololatriæ vetaretur: ultra verò non haberet progressum; ne putaretur necessaria, tanquam vel ab illa salus esset, vel sine illa esse non posset. Quod putaverunt Hæretici, qui dum volunt & Judæi esse & Christiani, nec Judæi nec Christiani esse potuerunt. Hactenùs ad rem præsentem Augustinus.

§. III.

Cerinthi errores de Jesu & Christo.

I. PRimus Cerinthi error de Jesu, quem, ut dicam, distinguebat à Christo, fuit, quòd dicebat, eum non de Virgine natum, sed ex corrupta sicut cæteri homines. Hoc errore eum notant Patres: Irenæus L. 1. cap. 25. modò 26., Epiphanius Hæres. 28., Augustinus L. de Hæres. cap. 8., Theodoritus L. 2. Hæret. Fabul., & Philaster Hæres. 26. dicens, in hoc Cerinthum convenire cum Carpocrate, de quo egi supra cap. præcedente §. 2. Quia verò huic blasphemiæ apertè resistunt Lucas in Evangelio cap. 1., & Matthæus itidem cap. 1., ideo Evangelium Lucæ integrum respuebat, Matthæi verò quoad ea, quæ refert de generatione carnali Jesu admittebat quidem; quoad alia verò, maximè quòd Maria inventa fuerit à Joseph habens in utero de Spiritu Sancto, respuebat. Sed de hoc infra. Quòd si nolunt Evangelia recipere, audiant Isaiam cap. 7. v. 14. dicentem: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Ubi Hieronymus in illud Caput: *Quando autem*, inquit, *dicitur*: Dabit Dominus ipse vobis signum, *novum debet esse atque mirabile. Sin autem juvencula vel puella, ut Judæi volunt, & non Virgo pariat, quale signum poterit appellari, quum hoc nomen ætatis sit, non integritatis?*

II. Pro hac veritate stant omnes Veteres: Ignatius Epist. ad Smyrnæos, Tertullianus in Apolog. cap. 21., ubi dixit, Verbum Dei Filium esse à Patre prolatum, sicut è sole radium, & lumen de lumine, subjungit: *Iste igitur radius ut retrò semper prædicabatur, delapsus in Virginem quandam, & in utero ejus Caro figurata nascitur homo Deo mixtus. Caro Spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, & Christus est.* Cyprianus Ep. 73. de Marcione loquens: *Numquid*, inquit, *eundem unum Filium Christum de Maria Virgine natum, qui sermo caro factus sit* &c. tenet? S. August. Epist. 162., aliàs 101. ad Evodium; & in Enchiridio cap. 38. &c., ubi fusè ostendit, Christum de Maria Virgine na-

natum, & de Spiritu Sancto esse, & Mariam esse Matrem, Spiritum Sanctum verò non esse Patrem, & ait: *Hic ergo, cùm confiteamur natum de Spiritu Sancto & Virgine Maria, quomodo non sit Filius Spiritus Sancti, & sit Filius Virginis Mariæ, cùm & de illo & de illa sit natus, explicare difficile est*: ibi tamen ostendit non omne quod de aliquo nascitur dici Filium, sicut nec capillus, qui de homine nascitur dicitur Filius hominis, & rationem dat S. Thomas 3. p. q. 32. a. 3. ad 1. *Quòd Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei, & ideò Filius ejus est. Christus autem secundùm quod homo conceptus est de Spiritu Sancto, sicut de principio activo; non tamen secundùm similitudinem speciei, sicut homo nascitur de Patre suo: & ideo Christus non dicitur Filius Spiritus Sancti* (sicut nec totius Trinitatis)

III. Conveniens autem fuisse, quòd Christus de Virgine conciperetur, demonstrat idem S. Thomas 3.p.q.28. a.1. propter quatuor. *Primò propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Cùm enim Christus sit verus & naturalis Dei Filius, non fuit conveniens, quòd alium Patrem haberet, quàm Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. Secundò hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: quin immo cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur. Quia ergo Caro sic fuit à Verbo Dei assumta, ut esset Caro Verbi Dei, conveniens fuit, ut etiam ipsa sine corruptione Matris conciperetur. Tertiò hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundùm illud Joan.* 1. „ Ecce Agnus Dei, *scilicet innocens*, qui tollit peccatum mundi„. *Non poterat autem esse, quòd in natura jam corrupta ex concubitu caro nasceretur sine infectione originalis peccati. Unde Augustinus dicit in Lib.* 1. *de Nuptiis & Concupiscentia (cap.* 12.) „ solus nuptialis concubitus ibi non fuit „ *scilicet in matrimonio Mariæ & Joseph*„ quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato„. *Quartò propter ipsum finem Incarnationis Christi, quæ ad hoc fuit, ut homines renascerentur in Filios Dei* „ non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo„ *idest ex ipsa Dei virtute: cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde Augustinus dicit in Libro de sancta Virginitate c.6.*„ Oportebat Caput nostrum insigni miraculo secundùm carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundùm Spiritum nascitura „.

IV. Non fuisse autem hoc impossibile Deo, idem S. Thomas osten-

oſtendit ibidem ad quartum, quod intendebat probare; Chriſtum, cùm eſſet ejuſdem ſpeciei ac cæteri homines, debuiſſe eodem modo concipi, per maris nempè & feminæ commixtionem: reſpondet: *Dicendum, quòd ratio illa habet locum in his, quæ procedunt in eſſe per viam naturæ: eò quòd natura ſicut eſt determinata ad unum effectum, ita etiam eſt determinata ad unum modum producendi illum. Sed virtus ſupernaturalis divina cùm ſit infinita; ſicut non eſt determinata ad unum effectum, ita non eſt determinata ad modum producendi quemcumque effectum. Et ideo ſicut virtute divinâ fieri potuit, ut primus homo de limo terræ formaretur: ita etiam fieri potuit, ut divina virtute Corpus Chriſti formaretur de Virgine abſque virili ſemine*. Ita S. Thomas. Et hoc eſt, quod Gabriel Lucæ 1. v. 37. dixit Mariæ: *Quia non eſt impoſſibile apud Deum omne Verbum*.

V. Hanc veritatem urget Origenes L. 1. contra Celſum n. 17. Poſtquam enim contra Judæos Chriſtum de Virgine naſciturum ex Prophetis probaverat, ait: *Id etiam dicendum Græcis, qui nolunt credere Jeſum eſſe natum ex Virgine; Conditorem in variorum animalium generatione declaraſſe, hanc ſibi fuiſſe poteſtatem, ut ſi libuiſſet, quod erga unum fecit, id in cætera atque etiam erga hominem faceret. At inter animantes quædam feminæ ſunt, quæ tametſi cum maſculis non jungantur, ſui tamen generis ſucceſſionem ſervant, ſicut produnt de vulturibus ii, qui de animalibus ſcripſere. Quid igitur incredibile eſt, à Deo, qui divinum quemdam Magiſtrum ad humanum genus mittere volebat, proviſum fuiſſe, ut naſciturus Chriſtus aliâ ratione in lucem prodiret, ac cæteri homines, qui ex viri cum femina conſortio naſcuntur?* Hæc Origenes.

Eodem diſcurſu utens Lactantius L. 4. Inſt. cap. 12. ait: *Deſcendens itaque de Cælo Spiritus ille Dei Sanctam Virginem, cujus utero ſe inſinuaret, elegit. At illa Divino Spiritu hauſto repleta concepit, & ſine ullo attactu viri repentè virginalis uterus intumuit. Quòd ſi animalia quædam vento & aurâ concipere ſolere, omnibus notum eſt, cur quiſquam mirum putet, cùm Spiritu Dei, cui eſt facile quidquid velit, gravatam eſſe Virginem dicimus?*

VI. Non ſatis fuit Cerintho Jeſu Conceptionem ſimilem conceptioni aliorum hominum ponere: auſus fuit etiam blaſphemare, eum fuiſſe purum hominem. Teſtes ſunt Irenæus, Epiphanius, Auguſtinus & alii. Hanc hæreſim adoptarunt, ac ſuam fecerunt Ebionæi, de quibus infra. Interim videantur, quæ contra eam ſcripſi tum Tom. 1. in 3. p. qu. 6. de Perſona aſſumente Dub. 1.; tum Tomo 1. de Verit. Rel. Chriſt. cap. 10. §. 6. & 7. Quibus aliqua addam, dum contra Ebionæos egero. Nunc ſcire ſufficiat ex S. Hieronymo L. de Script. Eccl. cap. 9., unam ex cauſis, quæ ad ſcri-

ſcribendum ſuum Evangelium S. Joannem impulit, fuiſſe, ut Cerinthi & Ebionitarum dogma tunc conſurgens confutaret, ideoque æternâ divini Verbi, per quod facta ſunt omnia, generatione, quam alii tres Evangeliſtæ prætermiſerant, enarratâ, ſubjungit cap. 1. v.14. *Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus quaſi Unigeniti à Patre* &c. Et cap.20. v.32. Hanc fuiſſe mentem ſuam declarat his verbis: *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei*. Sed hæc ad præſens ſufficiant.

VII. Negatâ Jeſu Divinitate, ut aliquid ſupra cæteros homines ei tribueret, dicebat tertiò Cerinthus, Epiphanio referente hæreſ. 28. *Poſtquam ille Jeſus adolevit, qui ex Joſephi Mariæque ſemine natus eſt, in hunc delapſum à ſummo illo Deo eſſe Chriſtum, hoc eſt Spiritum Sanctum columbæ ſpecie ad Jordanem, ac tum ei incognitum parentem, & per illum poſteris pateſeciſſe. Ob idque mox ut in ipſum cœleſtis illa ſeſe virtus infudit, portenta ac miracula patraſſe: ac demum poſtea quàm paſſus eſt, quod è Cœlo venerat, eodem relicto Jeſu revolaſſe. Jeſum porrò & obiiſſe mortem; & ad vitam excitatum eſſe. Chriſtum verò qui deſcenderat pœnæ omnis expertem eò unde venerat reverſum, qui idem ille eſt, qui Columbæ ſpecie delapſus fuerat: ita Jeſum minimè eſſe Chriſtum*. Ita Epiphanius.

Eadem parum mutatis terminis refert Irenæus L.1. cap. 26., ſeu 25., nimirum Jeſum natum ex Maria & Joſeph (ut cæteri homines) *Plus potuiſſe juſtitiâ & prudentiâ & ſapientiâ ab* (ſeu *præ*) *hominibus. Et poſt baptiſmum deſcendiſſe in eum ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia, Chriſtum figurâ Columbæ, tunc annuntiaſſe incognitum Patrem, & virtutes perfeciſſe: in finem autem revolaſſe iterum Chriſtum de Jeſu, & Jeſum paſſum eſſe & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe exiſtentem ſpiritalem*. Eadem habet Theodoritus L.2. Hær. Fab. Inter hos Patres ſola differentia apparet, quòd Epiphanius dicit, Chriſtum receſſiſſe à Jeſu ſolùm poſt paſſionem, Irenæus & Theodoritus verò ante paſſionem, ſeu tempore paſſionis.

VIII. Ex hactenùs relatis apparet 1., Cerinthum diſtinxiſſe Jeſum à Chriſto contra Evangelia, quæ Jeſum Chriſtum proponunt tanquam unam perſonam. Sic Matthæus cap.1. inchoat genealogiam temporalem Jeſu his verbis *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David*: quòd ſi Chriſtus eſſet alius à Jeſu, ſolùm dixiſſet Evangeliſta *Liber generationis Jeſu*: nam Chriſtus nec eſſet Filius David, nec temporaliter genitus; nec Gabriel Lucæ 1. v.31. poſt illa verba *Vocabis Nomen ejus Jeſum*, dixiſſet, *hic erit Magnus & Filius Altiſſimi vocabitur*: nec Angelus ad Paſtores Lucæ 2. v. 11.

hæc

hæc verba pronunciasset: *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*: nam tunc natus quidem fuisset Jesus, sed non Christus.

IX. Apparet secundò, Cerinthum voluisse, Jesum ab initio non fuisse Christum, sed solùm cùm suscepto Baptismo descendit in eum Christus, seu Spiritus Sanctus, in specie Columbæ. Sed hoc ex dictis refutatur, ubi vix natus Jesus, Christus appellatur. Deinde si Jesus dictus est Christus, non quia ipse sit Christus, sed quia in eum Spiritus Dei, qui est Christus, descendit: cùm Spiritus Dei descenderit super omnes congregatos in die Pentecostes, quilibet eorum erit Christus, & sic non solus Jesus. Solus ergo Jesus est verus Christus, quia verus Messias, & Verbum Dei à Patre in carne missum ad salvandum hominem. Sic Irenæus L.3. cap. 19. (modò 17.) *Spiritu itaque descendente super prædictam dispositionem, & Filio Dei unigenito, qui & Verbum est Patris, veniente plenitudine temporis, incarnato in homine propter hominem, & omnem secundùm hominem dispositionem implente Jesu Christo Domino nostro, uno & eodem existente, sicut & ipse Dominus testatur, & Apostoli confitentur, & Prophetæ annuntiant: mendaces ostensæ sunt universæ doctrinæ eorum, qui octonationes & quaternationes putativas adinvenerunt, & subdivisiones excogitaverunt, qui Spiritum quidem interimunt, alium autem Christum & alium Jesum intelligunt, & non unum Christum, sed plures fuisse docent: & si unitos eos dixerint, iterum ostendunt, eum quidem participasse passionem, hunc autem impassibilem perseverasse, & hunc quidem ascendisse in Pheroma* (idest in plenitudinem & sublimem sedem) *hunc autem in medietate remansisse: & hunc quidem in invisibilibus & innominabilibus epulari & oblectari, hunc autem assidere Demiurgo* (idest Creatori) *evacuantem eum virtute* &c. His detestatur Irenæus Cerinthi mendaces Fabulas, ad quas fugiendas Lectores monet.

X. Ex dictis etiam ab Irenæo apparet tertiò, Cerinthum docuisse, solum Jesum fuisse passum & resurrexisse, Christum verò utpote impassibilem, Jesu relicto, eò unde venerat revolasse. Ab hoc errore totius Christianæ Religionis eversivo cavere monet Irenæus L.3. c.16., aliàs 17., dicens: *Nolite errare. Unus & idem est Christus Jesus Filius Dei, qui per passionem reconciliavit nos Deo, & resurrexit à mortuis, qui est in dextera Patris & perfectus in omnibus: qui cùm vapularet non repercutiebat*,, qui cùm pateretur non est minitatus,, (1.Petri 2. v.25.) *& cum tyrannidem pateretur, rogabat Patrem, ut ignosceret his, qui se crucifixerant. Ipse enim verè salvavit: ipse est Verbum Dei, ipse Unigenitus à Patre, Christus Jesus Dominus noster*. Hæc Irenæus, qui toto illo Capite probat, eum-

eumdem esse Jesum & Christum, qui ex Maria natus, passus, mortuus fuit, & resurrexit; & ipsius Christi utitur testimonio Lucæ 24. v. 25. dicentis post Resurrectionem Discipulis: *O insensati & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne oportebat pati Christum & introire in claritatem suam* (aliàs *intrare in gloriam suam*)? Quod repetit ibidem v. 46. dicens: *Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me*: nimirùm. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die*.

Hinc prosequitur Irenæus: *Non ergo alterum Filium hominis novit Evangelium, nisi hunc, qui ex Maria, qui & passus est, sed neque Christum avolantem ante passionem ab Jesu: sed hunc qui natus est Jesum Christum novit Dei Filium, & eundem hunc passum resurrexisse, quemadmodum Joannes Domini discipulus confirmat, dicens* (Joan. 20. v. 31.) „ Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quoniam Jesus est Filius Dei, & ut credentes vitam æternam habeatis in Nomine ejus „ *Prævidens has blasphemas regulas, quæ dividunt Dominum, quantùm ex ipsis attinet, ex altera & altera substantia dicentes eum factum. Propter quod & in Epistola sua sic testificatus est* (1. c. 2. v. 22.) „ Quis est mendax, nisi qui negat, quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus „. Quæ contra Cerinthum Joannem scripsisse credibile est.

§. IV.

Quid senserit de Resurrectione, de Baptismo, de Martyrio: de Juda, de Evangeliis.

I. Circa Resurrectionem Christi seu Jesu (ut ipse ajebat) vel sibi contradixit, vel varius fuit Cerinthus: seu Cerinthiani. Quòd enim Cerinthus docuerit, suum Jesum jam à mortuis surrexisse, scribunt Irenæus L. 1. cap. 25., & Epiphanius Hæref. 28. n. 1. At num. 6. oppositum videtur dicere his verbis: *Ad hæc Cerinthus homo stolidus ac stolidorum Magister dicere nihil est veritus; passum quidem & crucifixum esse Christum, nondum tamen à mortuis excitatum, ac tum demum cùm mortui resurgent omnes excitandum*. Quod & Philaster Hæref. 36. tradit: *Christum*, inquit, *nondum resurrexisse à mortuis, sed surrecturum annuntiat*. Sunt qui hæc componere velint dicendo, Cerinthum in priori loco locutum fuisse de Jesu, dum dixit eum surrexisse à mortuis; in secundo autem dum dicit, eum non surrexisse, sed surrecturum cum omnibus, intellexisse de Christo, quem ipse à Jesu separabat. Ita inter alios di-

 scur-

scurrit Fabricius in Notis ad Philastrum. At cùm Cerinthus separaret Jesum à Christo, diceretque Jesum quidem passum & mortuum, Christum verò nec passum nec mortuum, imo impatibilem, & mortis nescium ad superna evolasse: quomodo credi potest, Cerinthum, cùm dixit eum non surrexisse sed surrecturum cum aliis, intellexisse de Christo ut distincto à Jesu, quem ponebat non esse mortuum, cùm resurrectio à mortuis supponat in resurgente mortem? Verius ergo puto, verba illa intelligenda esse de Jesu, quem licèt Cerinthus dixerit jam surrexisse, ex ejus Sectariis multi in hoc, ejurato Magistro, dixerint eum non surrexisse, sed surrecturum cùm omnes resurgent: cui expositioni favere videtur S. Augustinus L. de Hæres. cap.8., ubi de Cerinthianis ait: *Jesum hominem tantummodò fuisse, nec resurrexisse, sed resurrecturum affirmantes.*

II. Quomodocumque tamen sit, negare Jesum Christum jam resurrexisse, est destruere Fidem nostram: ita enim discurrit Paulus 1. Cor. 15. v.17. *Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris*: & v. 20. *Nunc autem*, inquit, *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur.* At Jesum Christum verè jam surrexisse, abundè ostendi Tom. 4. hujus Operis Parte 2. cap. 34.: & ejus Resurrectionem fuisse causam nostræ resurrectionis, tum ad vitam corporis, tum ad vitam animæ cap. 35., demonstravi: quæ huc revocari possunt.

III. Quia verò error sibi ipsi inconstans est; ideo ex illis, qui Christum nondum surrexisse, sed surrecturum cum aliis asserebant, aliqui surrecturum quidem Christum affirmabant; sed cæteros homines surrecturos, & consequenter generalem omnium resurrectionem, negabant. Hunc errorem Tomo 16. Theologiæ Quæst. 3. de Gen. Resurr. Dub.1. & 2., iterum rejeci supra cap. 4. in Gnosticis §. 6., & antea in Simone §. 1. & c. 2., in Basilide §. 5. n. 11. Quoad præsens autem, Cerinthianorum inconstantiam ita redarguit S. Epiphanius Hær. 28. n. 6. *Itaque ejusmodi illorum & dicta & dogmata cohærere nullo modo possunt. Indidemque Paulus sic eos, qui resurrecturos mortuos diffiderent, redarguit* „ Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit „. *Eòdemque pertinet illud*: edamus & bibamus, cras enim moriemur. *Tum istud*: nolite errare, corrumpunt bonos mores colloquia prava„. *Ac rursùm eos, qui Christum adhuc resurrexisse negarent, hoc modo convincit*. „ Si Christus non resurrexit vana est Prædicatio nostra, inanis est & Fi-

Fides veſtra : . invenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam ſuſcitavit Chriſtum, quem non ſuſcitavit. *Quibus indicat, Chriſtum à mortuis excitatum prædicaſſe quidem Apoſtolos, quaſdam verò hæreſes, tametſi ſurrexiſſe Chriſtum aſſererent, Mortuorum tamen reſurrectionem negaſſe.*

IV. Qui tamen ex Cerinthianis futuram reſurrectionem admittebant, ſaltem aliqui, Epiphanio teſte ibidem in alium errorem labebantur; putabant enim eos, qui in infidelitate mortui erant, adhuc per Baptiſmum à vivis ſuſceptum pro ipſis poſſe ſalvari, moti ex illo Apoſtoli 1. Cor. 15. v. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* De his Epiphanius refert: *Etenim in hac ipſa regione Aſiæ, nec non & in Galatia illorum ejuſmodi ſchola, cum primis à diſciplina floruit, de quo iſtud à majoribus traditum accepimus, nonnullos ex eo genere citra baptiſmum exceſſiſſe, ac pro iis alios baptiſmum eorumdem ſuſcepiſſe nomine, ne cùm extremâ demum reſurrectione revocati ad vitam eſſent, prætermiſſi Baptiſmi pœnas dependerent, atque ejus qui mundum condidit dominationi ſubeſſent. Cujus rei gratiâ uſurpatum illud ab Apoſtolo eâdem ad nos auditione perlatum eſt*:,, Si omnino mortui non reſurgunt, quid eſt quòd baptizantur pro ipſis? ,,

Verùm Apoſtoli verba non eſſe in eo ſenſu intelligenda, quo ea accipiebant Cerinthiani, nimirùm quòd pro mortuo non baptizato poſſit alius nomine illius baptizari, & talis Baptiſmus mortuo prodeſſet, eumque à pœna ipſi debita liberaret: Sed in alio ſenſu, nempe de catechumenis, qui mox morituri petunt ablui Baptiſmo, dicit Epiphanius his verbis: *Verùm alii commodè hoc Apoſtoli dictum interpretantur de iis, qui inſtante morte, ſi quidem catechumeni ſint, eâ ſpe freti ſacrâ lavatione purgantur, ac mortuos ſurrecturos eſſe demonſtrant*; ob idque condonatione *illâ ſcelerum, quæ per Baptiſmum obtinetur, indigere*: unde verba illa, *quid facient qui baptizantur pro mortuis*, intelligi debent, pro fide & ſpe reſurrectionis Mortuorum, quam ante Baptiſmum in Symbolo profitentur, & Baptiſmum ſuſcipiunt. Quam expoſitionem dat Chryſoſt. Homil. 40. dicens: *Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens reſurrectionem, nempè quòd non maneat mortuum.* Nec ſpernenda aliorum expoſitio eſt, qui baptizari pro mortuis idem eſſe volunt, ac pro mortuis affligi, & ſatisfactoria opera Deo in eorum expiatione offerre, quod non fit niſi ſpe futuræ reſurrectionis. Baptiſmum enim pro pœnitentia afflictione & paſſione uſurpari interdum, conſtat Lucæ 12. v. 50. *Baptiſmo habeo baptizari*, ideſt ſanguinis proprii tinctione perfundi (ut ajunt Beda & Ambro-

brosius) quo Christus testatur studium suæ passionis maturandæ, quod expressit etiam Marci 10. v.39.

V. Agit rem hanc S. Thom. in cap. 15. 1. ad Cor. Lect. 4. ubi ait: *Quidam tunc temporis volebant, quòd homines possent primò baptizari, ut sibi ipsis remissionem peccatorum consequerentur; & iterum baptizabantur pro aliquo consanguineo suo defuncto, ut etiam post mortem dimitterentur ei peccata; & secundùm hoc fit littera*,, quid facient qui baptizantur pro mortuis,, *scilicet consanguineis, pro quorum salute baptizantur, si non sit resurrectio Mortuorum? Sed isti in aliquo commendari possunt, scilicet in hoc quòd fidem resurrectionis videbantur habere: sed in aliquo possunt reprehendi, in hoc scilicet, quòd unum credebant posse pro alio baptizari.*

Sed tunc est quæstio: si oratio unius prodest, quare non etiam Baptismus? Ad quod est duplex responsio. Una est, quòd opera, quæ faciunt vivi prosunt mortuis per unionem caritatis & fidei; & non prosunt nisi illis, qui decedunt cum caritate & fide. Unde infidelibus nec Oratio, nec Baptismus vivorum prosunt; tamen Oratio prodest illis, qui sunt in Purgatorio. Alia responsio & melior est: quia bona opera valent mortuis, non solùm ex vi caritatis; sed etiam ex intentione facientis. Sicut ergo si dicerem psalterium pro aliquo, qui est in Purgatorio, qui tenebatur dicere, ut satisfaciam pro eo, valet quidem quantum ad satisfactionem solùm illi, pro quo dico. Dicendum est ergo secundum hoc, quòd Baptismus non habet virtutem ex intentione nostra, sed ex intentione Christi: intentio autem Christi est, ut illis proficiat, qui in Christi Fide baptizantur. Hactenùs S. Thomas.

VI. Addendum existimo, errorem hunc adeò inolevisse, ut non solùm baptizarentur pro mortuis, sed aliqui etiam baptizarent mortuos, eisque Eucharistiam præberent, & hoc adultâ jam Ecclesiâ. Constat ex Concilio Carthaginensi III. Can. 6. *Placuit, ut corporibus Defunctorum Eucharistia non detur: dictum est enim à Domino: accipite & edite. Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat.*

VII. Martyrium insuper Cerinthus contemnebat. Ita refert Philaster Hæres. 36. his verbis: *Beatos Martyres blasphemat.* Hunc tamen errorem nec Irenæus, nec Epiphanius, nec Theodoritus, nec Augustinus ei tribuunt. Si tamen eo laboravit, imitatus fuit Simonem, Basilidem, & Gnosticos, de quibus supra. Fortè autem de Martyribus malè sensit, vel quia negabat carnis resurrectionem, & ideò stultum putabat tradere corpus, quod quis non esset recuperaturus. Vel quia cùm juxta ipsum Christus non esset mortuus, sed solus Jesus, ineptum existimabat dare vitam pro eo,

eo, qui suam non dedit. Contra hunc errorem præter ea, quæ supra dixi maximè de Gnosticis §.6., pugnat S.Irenæus L. 3. cap. 20. (modò 18.) ubi priùs ostendit, Christum ipsum, quem Petrus confessus fuerat esse Filium Dei, postea dixisse, oportere se multa pati & crucifigi; quod cum Petrus aversaretur, idcircò eum increpasse dicendo: *Si quis vult post me venire, abneget se, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: & qui eam perdiderit propter me, salvabit illam.* Deinde Cerinthi errorem improbans Irenæus: *Si autem*, inquit, *ipse non erat passurus, sed avolaret à Jesu, quid & adhortabatur discipulos tollere crucem, & sequi se, quam ipse non tollebat secundùm ipsos, sed relinquebat dispositionem passionis?* Et post multa subjicit: *Et cum hæc ita se habeant, ad tantam temeritatem progressi sunt quidam* (Basilides, Cerinthus &c.) *ut etiam Martyres spernant, & vituperent eos, qui propter Domini confessionem occiduntur & sustinent omnia à Domino prædicta.* His & aliis confutat Irenæus Cerinthum & alios, Martyres despicientes. Conferantur ea, quæ de hoc supra locis citatis dixi.

VIII. Porrò Cerinthus, qui Sanctos Martyres improperiis onerabat, proditorem Judam summis encomiis extollebat. Hoc ei delirium impingit Philaster citata Hæref. 36. dicens: *Judam traditorem honorat.* Hanc tamen blasphemiam Cajanis tribuunt S.Irenæus L.1. cap.35. (modò 31.), Theodoritus L.1. Hæret. Fab., & S. Augustinus L. de Hæref. cap.18. Improbabile tamen non est, eam à Cerintho priùs excogitatam Cajanos adoptasse, & celebriorem effecisse. Unde cum de Cajanis egero, eam pro merito detestabor.

IX. Qui tamen Judam toto orbe exsecrandum honore prosequebatur, vice versâ Apostolica Scripta & Evangelia uno excepto Matthæi repudiabat. Ita Philaster his verbis: *Apostolum Paulum non accipit ... Evangelium secundùm Matthæum solùm accipit, tria Evangelia spernit, Actus Apostolorum abjicit.* Paulum etiam penitùs rejiciebat, nec Matthæi Evangelio integro parebat, sed in eo solùm, quo sibi favere arbitrabatur. Ita Epiphanius Hæref. 28. num. 5. his verbis: *Matthæi enim Evangelio, non integro, sed ex parte dumtaxat utuntur, nimirùm propter genealogiam, quæ ejus est carnis propria, quod quidem Evangelii testimonium afferunt, atque ita prædicant*: sufficit discipulo, si sit sicut Magister ejus (Matth. 10.) *Quid igitur, inquiunt? Circumcisus est Jesus: tu quoque ipse circumcidere. Christus ex Legis præcepto vitam instituit: tu igitur eadem facito.... Quod ad Paulum attinet, hunc penitùs explodunt, propterea quòd circumcisionem abdicarit, & eundem idcircò reji-*

rejiciunt, quod istud usurpaverit, „ Quicumque in lege justificamini, à gratia excidistis „ *Et* „ Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit: Galat. 5.. Ita Cerinthus Apostolica Scripta, quæ & ubi ipse putabat suo errori favere, admittebat, quæ verò & ubi videbat sibi adversari, ceu falsa vel falsata nec divino, sed humano dictata Spiritu rejiciebat. Evangelium Matthæi ea in parte, qua describit generationem carnalem Jesu per Josephum, quia putabat suo favere errori, quo dicebat, cum ex semine Joseph esse genitum, admittebat: ea verò in parte, quâ dicit, quòd Maria inventa fuit habens de Spiritu Sancto, rejiciebat: quâ ratione totum Lucam in hoc mysterio explicando sollicitum integrè respuebat: sicut & Joannem, qui ejus generationem æternam, ut Filii Dei enarrat, & passim ejus Divinitatem ostendit, reprobabat. Paulum quia Circumcisionis & Legis usum, quem ipse volebat esse in Evangelio servandum, reprobabat, ceu apostatam proscribebat, & eâdem ratione etiam Actis Apostolorum, in quibus decretum de abrogando Circumcisionis & Legis usu pronuntiatum legitur, omnem Fidem adimebat.

X. Hæc fuit & adhuc est Hæreticorum indoles, admittendi vel rejiciendi Scripturas, prout viderint sibi favere vel adversari: quam Manichæi postea induerunt, & ad hæc nostra tempora induunt Acatholici. Si ita est, nulli nisi sibi ipsis credere volunt, ait S. Augustinus L. 33. contra Faustum Manichæum cap. 19.: *Videtis ergo id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scriptura probet quid improbet, idest ut non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad Fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat: non ut ideò illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur; sed ideò rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit.* An cum his conveniant moderni Hæretici, qui pro libito Scripturas aliquas recipiunt, aliquas respuunt, & quas recipiunt, suo privato spiritu ad sensum, qui sibi favet, trahere volunt, judicet pius; ego enim sæpiùs alibi de hoc locutus fuit. Jure subdit S. Augustinus: *Quò te committis, anima misera, infirma, carnalibus nebulis involuta, quò te committis?*

XI. Eos proinde cap. 16. ejusdem Libri 33. contra Faustum ita interrogat: *Vos ergo jam dicite, quare non accipiatis omnia ex Libris Novi Testamenti, utrum quia non sunt Apostolorum Christi, an quia pravi aliquid docuerunt Apostoli Christi? Respondetis, quia non sunt Apostolorum Christi. Nam illa vox altera Paganorum est, qui dicunt, Apostolos Christi non recta docuisse* (erat tamen Cerinthianorum vox, maximè de Paulo Luca & Joanne ex supradictis) *Vos*

Vos ergo quid dicitis, unde ostenditis, Scripturas illas non ab Apostolis ministratas? Quia verò dicebant, ex Paracleto, quem Christus promiserat, & in Manichæo (Luthero Calvino &c.) miserat, se hoc didicisse, ait: *Respondetur vobis: omnino istum Christus nec promisit nec misit, & simul ostenditur, quando miserit quem promisit. Quòd ergo eum Christus miserit, hoc probate. Unde asseritis personam vestri auctoris, vel potiùs deceptoris? Respondetis, ex Evangelio vos probare. Ex quo Evangelio? quod non totum accipitis, quod falsatum esse vos dicitis? Quis ergo testem suum priùs ipse dicat falsitate corruptum, & tunc producat ad testimonium? Si enim quod vultis ei credimus, & quod non vultis ei non credimus, jam non illi, sed vobis credimus. Si autem vobis credere vellemus, testem à vobis non exigeremus*. Hæc & alia contra Manichæos exerit Augustinus, quæ tum Cerinthianos feriunt, tum & modernos Acatholicos, ut ostendi in Vera Ecclesia.

§. V.

Quid de Mortuis post resurrectionem, & de Angelorum Invocatione senserit Cerinthus.

I. Licèt, ut §.præcedente indicavi, aliqui ex Schola Cerinthi resurrectionem corporum prorsùs negarent, Cerinthus tamen ipse eam admisit, ut ibi adnotavi; Jesum enim modò jam surrexisse, modò eum surrecturum quando omnes alii resurgerent dicebat: imò addebat, eum post resurrectionem cum suis electis regnaturum per mille annos in hoc mundo, & tunc omnigenis voluptatibus homines fore saturandos. Unde de Cerinthianis dicit Augustinus L. de Hæref. cap.8. *Mille quoque annos post resurrectionem in terreno Regno Christi secundùm carnales ventris & libidinis voluptates, futuros fabulantur: unde etiam Chiliastæ sunt appellati*. Idem asserunt Cajus antiquus Scriptor apud Eusebium L. 3. Hist. cap. 28. his verbis: *Sed & Cerinthus per revelationes quasdam à se tanquam à magno quodam Apostolo conscriptas portenta quædam quasi ab Angelis sibi ostensa commentus nobis introducit, affirmans, post Resurrectionem Regnum Christi in terris futurum, ac rursùs homines Jerosolymis degentes cupiditatibus & voluptati corporis obnoxios fore. Additque hostis ille Divinarum Scripturarum, mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri, quò faciliùs imperitos homines decipiat*. Et ut his Fidem conciliaret, scribit Dionysius Alexandrinus (apud eundem Eusebium ibi), Cerinthum Librum Revelationum sub Joannis Evangelistæ nomine composuisse, *Hæc*

enim

enim fuit illius opinio, Regnum Christi terrenum futurum: & quarum rerum cupiditate ipse flagrabat, utpote voluptatibus corporis obnoxius carnique addictus, in iis Regnum Dei situm fore somniavit; in ventris & earum quæ infra ventrem sunt partium, explendá libidine, hoc est, in cibo & potu ac nuptiis, atque ut honestiori vocabulo ejusmodi voluptates velaret, in Festis & sacrificiis & hostiarum mactationibus. Hæc Dionysius. Ex quibus inferunt multi, hominem legalibus cæremoniis addictum voluisse tunc instaurandam fore Jerosolymam, mactandas victimas, Sabbata observanda & Circumcisionem repetendam. Quia verò hæc sub S. Joannis nomine promulgaverat, propterea Sanctus Evangelista, ut supradixi, fugit à balneo, in quo scivit esse Cerinthum: & hac de causa Librum Apocalypsis antiquitùs non pauci rejecerunt, quia, ut ait Eusebius Lib. 7. Hist. cap. 25., ejus auctorem putabant fuisse, non Joannem, aut aliquem Ecclesiasticum Virum, sed Cerinthum; moti ex eo, quòd Regni millenarii in eo mentio fiat.

II. Hunc errorem Nepos quidam Episcopus Ægyptii excitavit, ut refert Eusebius eodem Lib. 7. cap. 24.: *Qui promissiones sanctis hominibus factas in Divinis voluminibus Judaico sensu exhibendas docebat, & nescio quid mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirmabat. Cùmque ex Joannis Revelatione opinionem suam stabilire se posse existimaret, Librum, quem de hac quæstione composuerat, confutationem Allegoristarum inscripsit*. Quo Libro cùm in suam opinionem multos traxisset, motus fuit Dionysius Alexandrinus, ad duos Libros *de Promissionibus* scribendos, in quorum secundo opinionem Nepotis de Regno millenario Christi in terris aggreditur, nec scripto solùm sed etiam voce ac disputatione adeò elaboravit, ut ejus rationibns persuasi & convicti, qui eam, Nepote jam mortuo, tuebantur, ab ea recederent. unde concludit Dionysius: *Tandem denique Coracio, qui hujus doctrinæ auctor & signifer fuerat, audientibus cunctis qui aderant fratribus, pollicitus nobis & contestatus est, se imposterùm hanc opinionem amplexurum non esse, nec de ea disputaturum nec locuturum, nec Populo prædicaturum, quippe qui argumentis oppositis satìs superque convictus fuisset: Fratribus autem qui aderant, hæc disputatio, & omnium inter se reconciliatio atque consensio non mediocrem attulit voluptatem*. Hæc Dionysius apud Eusebium citato loco.

III. Porrò opinio hæc de Millenario Christi in terris Regno, ab obscenitatibus tamen, quibus eam Cerinthus fœdaverat, repurgata primis Ecclesiæ seculis apud multos Orthodoxos piosque Scriptores obtinuit, ut & isti post universalem Resurrectionem Sanctos & electos Dei assererent mille annis regnaturos cum

Chri-

Christo in terris ac fruituros deliciis etiam corporalibus, honestis tamen, vel solùm spiritualibus. Ex quibus fuere Papias apud Eusebium Lib. 3. cap. 39., & apud S. Hieronymum Catal. de Script. Eccles. in Papia., S. Justinus Martyr in Dial. cum Thryphone, S. Irenæus Lib. 5. cap. 33., Tertullianus Lib. 3. adversùs Marcionem cap. 24., qui tamen in solis bonis spiritualibus illud collocat: Lactantius quoque Lib. 7. Divin. Instit. cap. 24. & 26.. Hanc opinionem ex affectu erga Judaismum ortam asserit S. Hieronymus in cap. 11. Isaiæ, qui licèt eam detestetur, ut à Cerintho ponebatur, & aliis Hæreticis, eam tamen, ut à Patribus admittebatur, damnare non audet: in Caput enim 19. Jeremiæ statutâ ruinâ Jerusalem sub Tito & Vespasiano usque in finem seculi permansurâ, addit: *Quamquam sibi Judæi auream atque gemmatam Jerusalem restituendam putent, rursùmque victimas & sacrificia & conjugia Sanctorum, & Regnum in terris Domini Salvatoris: quæ licèt non sequamur, tamen damnare non possumus; quia multi Ecclesiasticorum Virorum & Martyres ista dixerunt. Et unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio reserventur.* Subsequentium tamen seculorum Patres sensu Scripturarum accuratiùs perpenso, & Ecclesia ipsa hanc de Regno Millenario opinionem nedum in sensu Cerinthi & Hæreticorum, sed in sensu etiam Veterum Patrum, à Scholis Catholicis ablegarunt, ut qui hodie eam tueri vellet, erroris aut etiam Hæresis insimularetur. De hoc egi in Theologia Tom. 2. in 1. par. quæst. 2. de Exist. Visionis Dei Dub. 2., ubi Millenariorum errorem recensui, & eorum fundamenta inania esse pro viribus demonstravi: quæ Lector adire poterit. Moderni tamen Hæretici, qui omnes errores extumularunt, hunc etiam reviviscere fecerunt in Anglia omnium errorum agro fertilissimo anno 1641., teste Bruodino Lib. 4. cap. 10. num. 39.

IV. Reticere non possum, aliquos Cerintho aliam hæresim affingere, nempè quòd docuerit, Angelos esse adorandos & invocandos: ajunt respexisse Paulum, cùm Epist. ad Colofs. cap. 2. v. 18. dum ait: *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà inflatus sensu carnis suæ*: afferuntque Theodoritum, qui in hunc locum asserere non dubitat, Paulum respexisse Hæreticos, qui cultum Angelorum admittebant, etsi quinam fuerint hi Hæretici non exprimat; addens, præfatum Angelorum cultum à Concilio Laodiceno damnatum. Verba ergo Theodoriti sunt hæc: *Qui Legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant dicentes, fuisse Legem per eos datam. Mansit autem diù hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quo circa Synodus quoque quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ Metropolis, Le-*

ge prohibuit, ne precarentur Angelos: & in hodiernum usque diem licet videre apud illos & eorum finitimos Templa Sancti Michaelis. Illi ergo hoc consulebant utique humilitate utentes, dicentes universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri & oportere per Angelos Divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc Pauli textu & Theodoriti expositione moderni Acatholici maximè utuntur ad omnem Angelorum cultum eripiendum, & Catholicos qui cultu eis debito venerantur, injuriosis calumniis onerant.

V. Immeritò tamen, ut de more. Nam Religio Angelorum, à qua Paulus monet caveri, non est cultus venerationis, quem eis religiosè exhibent Catholici; sed ille superstitiosus, qualem eis impendebant Philosophi, maximè Platonici, qui Angelos ut genios seu Deos minores vel mediatores unicos apud supremum Deum asserebant, & sub hoc nomine venerabantur. Quo ex fonte sua de Angelorum Religione deliria hausere illorum temporum Hæretici Simon Magus, Menander, Cerinthus & alii, qui ponebant Angelos Mundi conditores inscio supremo Deo, & inter eos supremum, quem Deum Judæorum vocabant, Legem Moysi dedisse. Unde eos ut unicos ac supremos, relicto Christo; mediatores invocabant & adorabant: & ideò ante proposuerat Colossensibus summam Christi excellentiam & virtutem, qui *expolians Principatus & Potestates traduxit illos confidenter, palàm triumphans in semetipso*. Ex quo deducit Hieronymus in Epist. ad Algasiam qu.10., Religionem Angelorum vocasse Paulum Judaicas omnes observantias à Christo destructas, unde quascumque Judæi post Christum offerunt victimas, *non Deo offerunt, sed Angelis refugis & spiritibus immundis*.

Porrò quamvis hæc Hieronymi interpretatio despicienda non sit; prior tamen menti Pauli proximior videtur. Quasi dicat, teste Chrysostomo Hom.7. in dictam Epist., *Sunt quidam qui dicunt non oportere per Christum adduci, sed per Angelos: illud enim est majus, quàm ut possimus assequi. Propterea susque deque versat* (Apostolus) *quæ facta sunt à Christo per Sanguinem Crucis ejus. Propterea dicit, eum pro nobis esse perpessum, & dilexisse nos: & rursus nos in eo ipso esse confixos*. Neque ab hoc Theodoritus laudato loco recedit; dicit enim: *Qui Legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes Legem fuisse per eos datam.... Illi ergo hæc consulebant utique humilitate utentes, dicentes universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri: & oportere per Angelos Divinam sibi benevolentiam conciliare*. Hæc erat superstitio, quâ ne seducantur monet Colossenses Paulus, & quâ seductos fuisse Christianos Phrygiæ & Pisidiæ dicit Theodoritus, & quam

& quam Laodicena Synodus damnavit, nimirùm, abjecto Christo, in Angelis unicam spem ponere, utpotè Mundi conditoribus, Legis latoribus & primariis apud summum Deum mediatoribus, ad quem sinè illis nemo possit accedere, & sub hoc falso titulo S. Michaeli ceu Angelorum Principi Templum erexerunt. Et quòd hæc fuerit Theodoriti mens, declarat ipse ad Caput 3. ejusdem Epistolæ, ubi hæc Pauli verba v. 17.: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum*: ita interpretatur: *Quoniam enim illi Angelos jubebant adorare, ipse contrarium præcipit, ut & dicta & facta exornent recordatione Christi Domini: & Deo, inquit, & Patri gratiarum actionem emittite per ipsum, non per Angelos. Hanc enim Legem sequens Laodicena Synodus, & volens veteri illi morbo mederi, Lege cavit, ne precarentur Angelos, & ne relinquerent Dominum nostrum Jesum Christum.*

VI. Quid igitur ad hæc dicent Protestantes? Numquid quòd nos Catholici derelicto Domino Jesu Christo, tanquam primarios mediatores Angelos adoremus, & per ipsos unicè accedamus ad Deum? Legant si placent Breviaria, Missalia & Oraria nostra: & ibi videbunt, omnes nostras preces dirigi primariò ad Deum per Jesum Christum, per quem eas concludimus omnia sperantes per ipsum. Quòd si interdum in eis Angelos memoramus, hoc facimus orantes, ut ipsi, qui Throno Dei continuò adstant, quique sunt ministratorii spiritus, preces nostras coram Deo & Christo adjuvent ac præsentent. In eo planè sensu, quo Joannes in Apoc. cap. 8. v. 3. & 4. dicit: *Et alius Angelus venit & stetit ante Altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante Thronum Dei, & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Tales nos consideramus bonos Angelos. Sed cum S. Augustino L. de vera Religione cap. 55., *honoramus eos caritate non servitute: nec eis Templa construimus; nolunt enim se sic honorari à nobis....* Rectè itaque scribitur (Apoc. 22. v. 9.) hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret sed unum Dominum, sub quo ei esset & ille conservus. De quo locutus sum in Vera Ecclesia tom. 2. par. 2. art. 14. §. 3. num. 15., ubi ostendi, Angelos aliquando passos fuisse se adorari, & aliquando non: & causam dedi: quod S. Augustinus pluribus aliis locis repetit præcipuè in Psal. 96. num, 12. in Psal. 135. num. 3. & Lib. 1. qu. in Genes. qu. 61., ubi semper dicit Angelos non esse adorandos, nec velle se adorari tanquam Deos, & eo latriæ cultu qui soli Deo debetur.

 VII. Ni-

VII. Nihilominùs quamquam hactenùs dicta, Angelorum cultum, quem nos Catholici profitemur, diversum esse ab eo, quem in Cerinthianis & aliis pseudo-Apostolis damnat Paulus, ad evidentiam demonstrent; Ittigius ex Acatholicis unus Dissert. de Hæresiarchis sect. 1. cap. 5. num. 5. dicit, quòd inepta est distinctio, quâ Papæam Angelolatriam à Paulino interdicto eximere conamur. Nam Apostolus religiosum Angelorum cultum, quocumque respectu fiat, simpliciter damnavit. Quare operæ pretium erit in hac dissipanda calumnia aliquantùm immorari. Quod modò nobis Ittigius, imponebat olim Celsus Paganus omnibus Christianis (apud Origenem Lib. 8. contra Celsum num. 13.) nempè *ex eo quòd cum Deo Filium ejus colamus, consequens esse, ut non Deum solùm, sed etiam ejus Ministros colendos esse sentiamus*. Quibus apparet, tunc apud Ethnicos fuisse opinionem, quòd Christiani Angelos colerent. Audiamus quid respondeat Origenes: *Si intellexisset*, inquit, *quinam sint post Dei Unigenitum verè Ministri Dei, ut Gabriel, Michael, & alii Angeli atque Archangeli, & eos colendos esse dixisset, fortasse repurgatis cum significatione illius vocis* colere, *tum ejus qui colit officiis, hoc loco pro rei momento attulissem ea, quæ de hoc argumento assequi intellectu potui. Cùm autem ministros existimet Dæmones illos, qui adorantur à Gentibus, non rerum consequentia nos cogit eorum admittere cultum, quos Scriptura docet esse ministros mali illius & principis hujus seculi, qui à Deo avertit quoscumque potest*. Sic ergo Origenes reprobat quidèm malorum Angelorum & Dæmonum cultum; bonorum tamen, moderatâ significatione cultus, ideſt non ut tanquam Dii sacrificiis ac Templis & victimis colantur, cultum non reprobat sed admittit.

VIII. Audiat modò Ittigius Grotium hominem non Papæum aut Pontificium (ut ipse dicit) sed de Protestantium Schola, quid de Angelorum cultu sentiat. Is in Caput 20. Exodi Decalogum exponens, reprobato animalium cultu, quæ ad preces surda & libertate carentia sunt, ait: *Non potest idem dici de Angelis, qui & intelligere preces possunt, & beneficia ex animi quâdam libertate præstare. Hos ergo qui honore prosequitur aliquo, qui etiam aliquid eorum beneficio se sperat posse consequi, non peccat in hanc Legem, sed is demum qui eis ea tribuit, quæ summo Deo sunt propria. Nam vox Dei in hoc præcepto in summitatis sensu sumenda est. Exempla rem illustrabunt. Non peccarunt qui Angelos quotiès ipsi conspicui apparuerunt, venerati sunt procumbendo, ut Josue 5. v. 15.: quippè cùm & Prophetis idem honos exhibitus sit sine peccato, ut ei qui putabatur Samuel 1. Reg. 28. v. 15., Eliæ 2. Reg. 1. v. 13., Danieli cap. 2. v. 46.: qui munus & libamina vetat, reverentiæ signum non vetat, ut ibi nota-*

tatum est ab Josepho Jachiade. Nam quòd in Apocalypsi Angelus eum honorem à se amovet, non inde venit, quòd in eo esset quid illiciti, sed Apostolum sibi æquat Angelus, quòd ambo Christi, jam Angelorum Capitis, ministri essent (vide locum Coloss. 1. *v.* 16.18.) *& Apostolica legatio ad hominum salutem comparata nullâ parte Angelicâ esset inferior. Non solent autem pares inter se ista submissionis signa usurpare. Est autem hæc illius loci explicatio non nova, sed ab Ambrosio & Gregorio Magno tradita. Origenes* 8. *adversùs Celsum concedit veneratione honorari posse Angelos, si modò repurgetur ejus vocis significatio*. Subjungit tamen in hoc posse peccari, vel malis Angelis cultum exhibendo, *qui aut à veri Dei cultu homines avocant, aut ei se æquant*. Secundò, si etiam bonis Angelis *ea venerationis signa, quæ consensus Gentium Divini cultus propria esse voluit, puta sacrificium, libamen, suffitus*. Deinde si *per eos vota aut juramenta faciamus, ab eis poscamus quæ à Deo solo, aut in novo fœdere à Deo & Christo ex Dei mandato peti debent, qualia sunt remissio peccatorum, Spiritus Sanctus, Vita æterna*. Hæc & alia Grotius, quibus mentem Ecclesiæ Catholicæ circa modum colendi vel non colendi Angelos, licèt non Catholicus, exponit.

IX. Hoc idem Grotius ipse repetit in discussione Riveriani Apologetici, his verbis: *Si per invocare intelligit* (Rivetus) *in Angelis tanquam omnipotentibus fiduciam suam collocare, aut etiam sacrificia ipsis offerre, habet pro se Augustinum & bonos omnes: sin verò invocare dicitur is qui orat Angelos, ut preces suas ad Deum deferant, eique eas commendent, habet contra se Veteres, & illum ipsum quem citat Augustinum. Is enim Annot. ad Jobum* 19.: „ Misseremini mei, Angelos videtur postulare, ut pro se deprecentur „. *Idem Lib.* 1. *Locutionum de Genesi ait, non solùm exauditionem, sed etiam invocationem aliquandò dici, quæ non Dei sed hominum sit. Nempè Angelis non servimus: sunt enim conservi nostri, sed nobis majores meliores & apud Deum gratiosiores: ideò ab eis commendari non defugimus. Itaque & Episcopi & Presbyteri in metallo constitati Cypriano scribunt Epistola* 78. „ Rogamus, sicut mandasti, ut Deum & Christum & Angelos in omnibus actibus nostris habeamus fautores„. *Ambrosius in Lib. de Viduis* „ Observandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt, peccata laverunt: isti enim sunt Dei Martyres, nostri Præsides, Speculatores vitæ actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere „. *Nec aliter sensit Origenes, quem pro se esse vult D. Rivetus: nam is in*

Li-

Libro contra Celsum octavo, & preces nostras ab Angelis dicit ad Deum deferri, & Angelos dicit coli posse, si vox cultus accipiatur commodo sensu: & ipse in Libro ad Jobum orat & Jobum & Abrahamum, ut pro se orent.

X. Ex his ita infert Grotius: *Planè apparet ex tanto consensu probatum hunc morem ab illorum temporum Ecclesiis. Quòd si is mos est idololatricus, jam illa Ecclesia vocabulo fuit, non re, ac proinde nulla tum fuit usquam Ecclesia. Absolvunt ab idololatria morem invocandi Sanctos ab hac vita liberatos, ut pro nobis orent, Lutherus in Epistola ad Georgium Spalatinum & ad Erfordienses, Œcolampadius in Annotationibus ad Chrysostomum; neque eum morem damnat Bucerus: Sanctos autem ab hac vita absolutos orare pro Ecclesia, statuit Melanchton, imò & Perkinsus & ejus gregis alii.* His & aliis Grotius non Pontificius non Papæus, ut ait Ittigius, probat cultum, quem Ecclesia Angelis quovis seculo præstitit & modò præstat, esse ab omni idololatrica superstitione immunem & semper fuisse. Quæ per extensum transcribere placuit, ut Lector hujus Catholicæ Veritatis vim agnoscat, dum vel ab ipsis inimicis obtinet testimonium. Aliud ergo est, abjecto Christo, unicos & primarios mediatores agnoscere & colere Angelos: aliud statuto Christo primario mediatore, Angelos etiam venerari, ut nobis sint adjutores & preces nostras ad Deum per Christum ejusque merita deferant. Primum semper reprobavit Ecclesia, secundum ut valdè pium semper admisit.

CAPUT VII.

De Nazaræis eorumque erroribus.

§. I.

Nazaræatus Votum: Christiani primò Nazareni seu Jessæi dicti.

I. Cerinthianos inter & Ebionitas, medios S. Epiphanius Hæref. 29. ponit Nazaræos. *Qui*, inquit, *sive priores illis sive æquales sive posteriores extiterint, in idem ferè tempus incurrunt. Neque enim affirmare certò possumus utri utris successerint, eâdem enim ut diximus ætate vixerunt*. Ut tamen omnis, quæ circa Nazaræi nomen exoriri posset, tollatur æquivocatio.

Sciendum primò: in Veteri Lege extitisse Viros quamplures, & etiam Mulieres, qui præcipuam sanctitatem profiteri volentes Na-

Nazaræatus Voto vel ad tempus vel in perpetuum se adstringebant. Lex autem Nazaræatus, ut legitur num. 6. v. 1. &c., erat à vino & omni, quod inebriare posset, abstinere; capillos nunquam tondere; domum in qua mortui cadaver esset etsi patris aut matris aut sororis non ingredi; et si forte coram ipsis aliquis occubuisset, cæremonias sui Nazaræatus ab initio repetere. Qui Nazaræatum solùm ad tempus profitebantur, ut plurimùm ad dies octo, aliquandò ad mensem protrahebant cæremonias. Cùm dies sui Nazaræatus quis complesset, à Sacerdote ad ostium Tabernaculi fœderis ductus, oblationem Domino, agnum nempè anniculum in holocaustum, ovem pro peccato & arietem pro hostia pacifica offerebat: panem quoque & lagana & vinum libamini necessàrium. Ubi hæc omnia immolata Domino fuerant, vel Sacerdos vel alius quivis caput Nazaræi radebat ante ostium Tabernaculi fœderis, & crines igni Altaris comburendos tradebat. Sacerdos deinde armum coctum arietis, & panem & laganum in Nazaræi manibus posita, & rursùm omnia ex eodem suscepta coram Domino offerebat. Quibus peractis Nazaræatus Voto absolvebatur, ac vinum bibere poterat.

Qui verò perpetuò Nazaræatui obstricti forent, totius vitæ tempore Nazaræorum præfatis Legibus tenebantur, ideòque nec vinum bibere, nec comam tondere poterant. Hi fortè à propriis parentibus Nazaræatui addicebantur. Ex horum numero fuit Samson, de quo Judicum 13. v. 7. prædixit Angelus matri ejus: *Ecce concipies & paries filium: cave, ne vinum bibas nec siceram nec aliquo vescaris immundo, erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ.* Eodem modo fuisse Nazaræum etiam S. Joannem Baptistam, indicant verba Angeli ad Zachariam patrem Lucæ 1. v.15. *Vinum & siceram non bibet.* Idem putant aliqui de Samuele, quem, ut habetur 1. Reg.cap.1., mater ejus obtulit Domino.

II. Si quis extra Palæstinam Nazaræatum vovisset, nec sub dierum sui Voti finem ad Templum Jerosolymis pervenire potuisset, ei satis erat, ut durante Voti tempore juxta Leges abstineret; quo elapso, ubi tunc morabatur, comas vel per se vel per alios sibi radere poterat, & ut commodè licebat, oblationes & victimas à Moyse præscriptas Domino offerendas ad Templum deferre. Hoc fecit Paulus, qui cùm esset Corinthi, & Nazaræatum vovisset, Cenchris Corinthiorum portu comam sibi totondit, ut habetur Act. 18. v. 18.: *Paulus verò cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam .... qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim Votum;* reservans cætera implere cùm Jerosolymam pervenisset, ut dicam.

III.Si

III. Si quis verò aut Nazaræatum vovere aut omnes illius cæremonias servare non potuisset, satis erat, si quid in oblationes & sacrificia impendisset, quæ Domino offerenda essent ab altero, qui idem Nazaræatus Votum absolvisset: ita enim fiebat ut meriti alterius particeps fieret. Hoc, ut habetur Act.21. v.23. &c., hortatu Jacobi Minoris & Seniorum, fecit Paulus. Cùm enim anno Christi 58. Jerosolymam pervenisset, ei suaserunt rem quàm maximè gratam Judæis ad Fidem conversis se facturum, si quatuor Fidelibus Nazaræatus Voto obstrictis se adjungeret, & in eorum tonsuræ cæremonias pecuniam erogaret: sic enim fore, ut ab eis conceptam de ipso opinionem deleret; quòd doceret, à Lege penitùs esse recedendum. Quibus acquiescens, v. 26., *Paulus assumtis Viris, purificatus cum illis intravit in Templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*. Et hæc erat religiosa observatio à Deo per Moysen Judæis tradita. Inde fiebat, ut Nazaræi dicerentur à voce Hebraica *Nazir*, idest separatus: Nazar enim significat se à deliciis Mundi & Populi frequentia segregare, ut magis sanctimoniæ incumbat.

IV. Nazaræus etiam seu Nazarenus dicebatur Civis Nazareth quicumque ille esset. Hoc nomine præsignatus dicitur à Matthæo Jesus cap. 2. v. 23., ubi dicit quòd Joseph ex Ægypto redux, *Habitavit in Civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*. Quia autem à nullo ex Prophetis legitur vocatus hoc nomine; dicit Hieronymus in cap. 2. Matth., Evangelistam plurali numero Prophetas citantem ostendere, se non verba de Scripturis sumsisse, sed sensum; *Nazaræus enim Sanctus interpretatur; Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat*: verbum quippè *Nazir*, ut nuper dicebam, segregatum & sanctimoniæ vacantem significat. De hoc plura Eusebius Lib.7. Demonstr.Evang. cap.1.: & in hoc sensu Joseph. Genes. 49. v. 26. benedicitur in *Vertice Nazaræi* super fratres suos; quia ut habet Versio Chaldaica, in multis segregatus erat à fratribus suis. Regulariter tamen Jesus in Evangeliis Nazarenus vocatur à Civitate Nazareth, in qua conceptus fuerat & educatus ac domicilium habebat.

V. Fideles quoque post Christi Ascensionem antequam Antiochiæ primò appellarentur Christiani, dicebantur Nazaræi, sive à Jesu, qui Nazarenus vocabatur, sive quia segregati à mortuis, nempè ab Idolis, quæ *Mortui* appellabantur. Dicti etiam fuere *Jessæi* vel à Jesu, vel à Jesse de cujus stirpe Jesus erat. Hinc Epiphanius Hæres. 29. num. 1.: *Christiani*, inquit, *tum omnes Nazaræi vocabantur. Quamquam pro exiguo tempore Jessæorum penès illos no-*

nomen resedit antequam Christiani Antiochiæ nominari cœperint. Ac Jessæi, ut opinor, ab Jesse vocati sunt; David enim Jesse filius erat, à quo generis continuatâ serie Maria prodiit. Et num. 4. ait: *Aut ab illo igitur Jesse, aut à Jesu Christi Domini nostri appellatione Jessæorum nomen obtinuerunt, quòd ab Jesu disciplina profecti, ejusdemque Discipuli forent: aut illud denique ex notatione ipsa nominis, quo Dominus vocatus est, originem accepit; Jesus enim hebraicè Curatorem, hoc est Medicum ac Servatorem significat. Quidquid sit, constat eo nomine priusquam Christiani vocarentur, appellatos fuisse.*

VI. Prosequitur Epiphanius num. 5. de Jessæis Philonem Commentaria scripsisse, quibus *illorum vitæ disciplinam ac præconia celebrans, eorumque Monasteria, quæ ad Marianam* (seu Mariaticam) *paludem circumquaque posita sunt describens, non de aliis ullis, quàm de Christianis ista narravit. Nam cùm eam Regionem lustrasset (Mareotes hic vulgò locus dicitur) atque ad ipsos eorumque Monasteria divertisset, magnam ab illis utilitatem accepit. Etenim cum ipsis Paschalibus feriis illuc accessisset, omnem eorum vitæ rationem diligenter inspexit, observavitque nonnullos totam illam Sacrosanctam Hebdomadam sine ullo cibo transigere; alios alternis illum diebus capere; quosdam verò sub Vesperam. Quamobrem quæcumque toto illo Opere à Philone tractata sunt, ea Christianorum ad Fidem vivendique rationem omninò pertinent.* Jessæos istos, de quibus Epiphanius ex Philone, puto diversos fuisse à Therapeutis, de quibus idem Philo agit in Libro de Vita Contemplativa. An verò fuerint utrique Christiani, & non Judæi, Epiphanius asserit, alii tamen negant. Res in incerto est. Ex Jessæis dicit Epiphanius: *Paulò post Ascensum Christi Domini postquam Marcus in Ægypto Divinum Verbum prædicavit, nonnulli tunc prodierunt Apostolorum Asseclæ, Nazaræi videlicet isti, de quibus est sermo*, nempè Hæretici.

VII. Hoc tamen certò ex dictis tenendum est, ab initio omnes Fideles Nazaræorum nomine fuisse nuncupatos, à Jesu scilicet, quem Nazarenum nuncupabant Judæi, qui Religionem Christianam Sectam Nazaræorum vocabant: & liquet Act. 24. v. 5., ubi Paulum coram Felice Præside accusantes: *Invenimus*, inquiunt, *hunc hominem pestiferum & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo Orbe, & auctorem seditionis Sectæ Nazarenorum.* Ubi Epiphanius num. 6. advertit, quòd licèt Paulus à Nazaræorum Hæresi, quæ ut dicam apud Judæos tunc vigebat, abhorreret, Nazareni tamen nomen non ejurat. Neque verò mirum est, Apostolum semetipsum Nazarenum confiteri. Nam licèt ab improbitate adversariorum sub nomine Sectæ ei imponeretur, quia tamen propter Christum ei impositum erat vocabulum, illud libenter admisit. Ita ex Epiphanio.

§. II.

Nazaræorum Hæresis tum apud Judæos, tum apud Christianos.

I. HÆretici dicti Nazaræi, & ante Christum apud Judæos, & post Christum apud Christianos extitere. De primis Philaster hæresi 8.: *Nazaræorum*, inquit, *Hæresis est, quæ Legem & Prophetas accipit, carnaliter tamen vivendum affirmat, omnemque justificationem in carnali observantia consistere suspicatur. Crines etiam nutrientes capitis, omnemque virtutem justitiæ in eo putantes consistere, quasi à Sampsone illo sibi hoc præsumentes judicii, quia Nazaræi vocabantur, à quo postea Pagani fortes viros ex illius figura usurpantes Hercules nuncuparunt.*

II. S. Epiphanius verò Hæres. 18. de Nazaræis apud Judæos & eorum erroribus adeò diversè loquitur, ut an iidem sint, de quibus Philaster, meritò dubitandi locum relinquat. Nam illi Legem & Prophetas accipiebant, & totam justitiam in carnali observantia vano quodam tumore collocabant: isti autem aliqua Legis observabant quidèm, sed alia respuebant, ac Volumina Legis conficta esse asserebant. Genere Judæi erant è Galaatide & Basanitide ac reliquis ultra Jordanem Regionibus oriundi, nec ab aliis Judæorum cæremoniis Secta hæc dissidebat. *Nam* (inquit Epiphanius) & *Circumcisionem perinde atque alii retinet, & idem Sabbatum observat, eademque Festa celebrat: sed neque fatum, nec astronomiam admittit: Ac cùm veteres illos Patriarchas, de quibus in Pentateucho mentio est, approbet, qui ab Adamo ad Moysen usque insigni pietate floruerunt: nimirùm Adam, Seth, Enoch, Mathusalem, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Levi, Aaron, ac Jesum Nave filium, Pentateuchum nihilominus ipsum repudiat. Nec Moysen quidèm abjicit, neque oblatam huic à Deo Legem esse diffitetur, sed aliam fuisse dicit, quàm quæ vulgò circumfertur. Ex quo factum est, ut Judæorum cæremonias reliquas observent, utpotè Judæi: à sacrificiis* (tamen) *abhorreant, neque animatâ re ullâ vescantur. Itaque carnes in cibum adhibere vel sacrificare nefas esse dicebant: conficta enim hæc esse Volumina, neque eorum quidquam à Majoribus profectum. Ejusmodi Nazaræorum discrimen à reliquis fuit.*

III. Eos tamen Epiphanius ita perstringit. Unde norunt, veteres Patriarchas fuisse viros pietate insignes, & Moysen à Deo acceptam Legem tradidisse? Non aliundè, quam ex Pentateucho, cùm de eis nulla alia Scriptura meminerit. Rursùs unde hauserunt, Circumcisionem, Sabbatum & alia legalia esse servanda, quæ ipsi observant, nisi quia hæc legunt à Moyse in Lege, quam Pentateu-
chus

chus exhibet, esse præscripta. Cur ergo cùm in eodem Libro Genes. 8. v. 20. legatur, quod Noe *ædificavit Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super Altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis*; & cap. 9. v. 13.: *Et omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum*: Cùm insuper Exodi 12. v. 6. adsit Divinum præceptum de Agno Paschali immolando & comedendo, & alibi sæpè animalium sacrificia, & carnium usus in Pentateucho commendentur: cur inquam ipsi, qui in reliquis illum suscipiunt, in hoc illum rejiciunt? Cur cùm omnia ut præcepta Dei proponat, cætera tanquam talia venerantur, hæc verò ceu conficta contemnunt? An qui in cæteris Liber Divinus est ac verax, in his diabolicus ac mendax erit? Dicent, aliam fuisse Legem à Deo Moysi oblatam ab ea quæ vulgò circumfertur. Sed cur alia est in iis, quæ animalium sacrificia, & eorum carnium esum concernunt, alia verò non est in iis, quæ Circumcisionem, Sabbatum cæterasque cæremonias tangunt? Deinde ostendant hanc aliam Legem. Eam sanè alibi non invenient, quam ab eorum insana mente confictam. His propterea per contemtum dimissis,

IV. Ad Nazaræorum hæresim post Christum gradum faciam. Nazaræi seu Nazareni, ut supra dixi, ab initio appellabantur omnes, qui Christi Fidem amplectebantur, à Jesu ex Vico Nazareth Nazareno dicto, à quo etiam Jessæi nuncupabantur. Horum tamen aliqui specie quidèm Christum confitentes, & propterea Nazaræos se dictitantes, Legem & Legis cæremonias observandas esse contendebant. De his Epiphanius Hæres. 29. num. 7. ait: *Hoc igitur uno tam à Judæis quàm à Christianis differunt: ab illis quidèm quòd in Christum credant, à Christianis verò, quòd Judaicis adhuc Ritibus implicentur, velut Circumcisione, Sabbato, aliisque cæremoniis. De Christo verò certò illud affirmare nequeo, utrùm Cerinthi vel Merinthi impietate illâ decepti simplicem illum hominem asseverent, an, uti se se res habet, per Spiritum Sanctum de Maria Virgine genitum esse fateantur*. Quibus in ambiguo relinquit, an Nazareni senserint, Christum esse Filium Dei de Spiritu Sancto genitum, an purum hominem. Theodoritus Lib. 2. Hæret. Fab. in hoc secundum propendere videtur, dum ait: *Nazaræi autem sunt Judæi, qui Christum tanquam justum hominem venerantur*.

V. At S. Augustinus Lib. de Hæres. cap. 9. non alium eis tribuit errorem, nisi quòd cum Evangelio Legalia observanda esse volebant: *Nazaræi*, inquit, *cùm Dei Filium confiteantur esse Christum, omnia tamen Veteris Legis observant, quæ Christiani per Apostolicam Traditionem, non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerunt*. Idem sentit S. Hieronymus Epist. 74. aliàs 78.

 ad

ad Augustinum, infra referendus; quibus subscribit S. Thomas in 4. contra Gentes cap. 47.: in uno ergo errabant Nazaræi, quòd cùm profiterentur omnia mysteria Christi, Legem esse adhuc observandam contendebant: *Magis autem* (inquit S. Thomas) *irrationabilis est Nazaræorum & Helonitarum error, qui Sacramenta legalia simul cum Evangelio dicebant esse servanda: quia hujusmodi error quasi contraria implicat; dum enim servant Evangelica Sacramenta, profitentur Incarnationem & alia Christi mysteria jam esse perfecta: dum autem etiam Sacramenta legalia servant, profitentur ea esse futura.*

Illos etiam ita confutat Epiphanius num.8.: *Verùm & isti nihilominùs aberrant, cùm de Circumcisione glorientur, ex execratione etiam nunc obstricti sunt, quòd Legem penitùs observare nequeant. Quomodò enim Legis observare mandatum istud poterunt*,, Ter quotannis apparebis coram Domino Deo tuo per azymorum dies, & scenopegiam, &Pentecosten in Hierosolymorum loco?,, (Exod.23. v.17.): *Cùm enim Lex interclusa sit, & quæ ab ea præscribuntur perfrui ampliùs non possint, cuilibet prudenti perspicuum est, advenisse Christum, non ut Legem everteret, sed ut eam ipsam impleret, & eam execrationem solveret, quæ contra violatæ Legis crimen fuerat constituta.*

VI. Quo Evangelio uterentur Nazaræi incertum est. Theodoritus citato loco sentit eos usus fuisse Evangelio, quod dicitur *secundùm Petrum*: quod nedum ullius unquam in Ecclesia auctoritatis fuit, sed tanquam ab Hereticis confictum semper repudiatum, ut ostendi Tom. 1. Ver. Relig. Christ. cap. 5. de Lib. suppositis ab Hæreticis §. 1.: at Epiphanius num. 9. Evangelium secundùm Matthæum eos adhibuisse putat: ait enim: *Est verò penès illos Evangelium secundùm Matthæum hebraicè scriptum, & quidem absolutissimum. Hoc enim certissimè prout hebraicis litteris initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant. Verùm illud nescio, num genealogias illas amputarint, quæ ab Abrahamo ad Christum usque perductæ sunt.* At S. Hieronymus passim Evangelium Hebraicum secundùm Matthæum, quò Nazaræi utebantur, quod vocat secundùm Hebræos, & à se translatum dicit, purum & integrum videtur asserere: mutilationes verò genealogiarum & aliorum factas esse ab Ebionitis, Encraticis, aliisque Hæreticis. Sed hanc rem fusè peregi Tom.1.Ver.Relig.Christ. tract. de Auct. Lib. cap. 1. §. 2., ubi de Evangelio Matthæi, quâ linguâ primitùs conscriptum fuerit, & de Evangelio Nazaræorum multa dixi, quæ Lector adire poterit.

VII. Nazaræorum Hæresis Ecclesiam per aliquot secula infecit.

cit. S.Epiphanius num.7. de suo tempore ait: *Cæterùm hæc Nazaræorum Secta in Berœensi Civitate potissimùm viget, ac Cœlen-Syriam atque etiam in Decapoli juxta Pellam, & in Basanitide, in ea quæ vulgò Cocabe, hebraicè Chochabe dicitur. Hinc enim post illam ab Jerosolymis secessionem, illorum initia profecta sunt, cùm Pellæ Discipuli omnes habitarent, à Christo de relinquenda Jerosolymorum Urbe migrandoque præmoniti, quòd ejus immineret obsidio. Quâ quidèm occasione factum est, ut in Berœa iis quibus diximus locis degerent. Indeque Nazaræorum Hæresis sunt deducta primordia*. Ex his deducitur, Hæresis hujus initia fuisse ante obsidionem ac desolationem Jerosolymorum. Cùm enim postquam cœptum fuerit Judaicum bellum anno solùm 70. per Azymorum dies Urbs ipsa obsessa sit, & Kalend. Septembris ejusdem anni in totum capta fit, fit, ut juxta Epiphanium Hæresis hæc, vel Imperio Neronis desinente, vel Vespasiani ineunte, exordia sumserit. Sed quidquid sit de exordiis.

VIII. De illius continuatione ad sua tempora testes sunt S.Hieronymus Epist. supra citat. ad August. his verbis: *Usque hodie per totas Orientis Synagogas inter Judæos hæresis est, quæ dicitur Minæorum, & à Pharisæis nunc usque damnatur, quos vulgò Nazaræos nuncupant, qui credunt in Christum Filium Dei, natum de Virgine Maria, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est & resurrexit, in quem nos credimus. Sed cùm volunt & Judæi esse & Christiani, nec Judæi sunt nec Christiani*. Imò à Judæis summo odio habiti; ut enim S. Epiphanius refert num. 9.: *Neque Judæorum Posteri solùm capitali illos odio prosequuntur, sed & mane ac meridie & ad vesperam, ter de die, cùm in Synagogis suis ad orandum conveniunt, diris illos devovent, ac solemni imprecatione proscribunt: ac Nazaræos, inquiunt, Deus execretur*. Continuasse etiam ad tempora S. Augustini, affirmat ipse tum Lib. 1. contra Cresconium cap. 31. dicens: *Et nunc sunt quidam Hæretici, qui se Nazarenos vocant, à nonnullis autem Symmachiani appellantur, & Circumcisionem habent Judæorum & Baptismum Christianorum*: tum Lib. 19. contra Faustum cap. 18.: *Ii sunt quos Faustus Symmachianorum vel Nazaræorum nomine commemoravit, qui usque ad nostra tempora, jam quidèm in exigua, sed adhuc tamen vel in ipsa paucitate perdurant*. Quo fit, ut quinto seculo Hæresis hæc nondum plenè esset extincta.

* * *

CA-

CAPUT VIII.

De Ebione & Ebionitis eorumque erroribus.

§. I.

An & quis fuerit Ebion, & quando Hæresim fuderit.

I. EBionæos seu Ebionitas non à quadam singulari Persona, cui nomen *Ebion*, nuncupatos fuisse censent aliqui; nullus enim unquam Ebion extitit; sed ab ipsa etymologia nominis, quod hæbraicè idem reddit ac *pauperem & mendicum*, Ebionæos dictos, quià vel de paupertate gloriarentur, vel nimis humiliter & abjectè de Christo sentirent. Hoc enim nomine per contemtum à Judæis appellatos fuisse colligere se putant, tum ex Irenæo, qui Lib. 1. cap. 25. (modò 26.) ubi agit de Cerintho, non dicit *de Ebione*, sed semper *de Ebionitis*, & Ebionæis: tum ex Origene L. 2. contra Celsum circa initium dicente, eos à Judæis per contemtum Ebionæos seu pauperes dictos fuisse, qui credebant in Christum. *Nam Ebion apud Judæos pauperem sonat, & Ebionæi illi vocantur, qui è Judæis Jesum pro Christo receperunt.* Quibus adhærere videtur Eusebius Lib. 3. Hist. cap. 27., ubi: *Hi*, inquit, *ab Antiquis cognominati sunt Ebionæi, quippè qui humiliter admodùm atque abjectè de Christo sentirent.* Et infra eorum erroribus recensitis, ait: *Cujus rei causâ Ebionæorum cognomen sortiti sunt, quo intelligentiæ illorum inopia satìs indicatur. Sic enim mendici apud Hebræos vocantur.*

II. Communior tamen & probabilior sententia est, Ebionæos dictos fuisse ab Ebione eorum Sectæ auctore, sicut Cerinthianos à Cerintho, Carpocratianos à Carpocrate & sic de aliis. Ita Tertullianus Lib. de Præscript. cap. 33., ubi dicit, quòd observatio Legis & Circumcisionis *Hebionis hæresis est*. Et Lib. de Carne Christi cap. 14., ubi de iis, qui ex Psalm. 8. faciebant Jesum minorem Angelis: *Poterit*, inquit, *hæc opinio Hebioni convenire, qui nudum hominem, & tantùm ex semine David natum, non item & Dei Filium constituit Jesum.* S. Hieronymus in cap. 1. ad Galatas Ebionem cum Photino recenset, & cap. 3. cum inter Hæresiarchas ponit dicens: *Ebion ille hæresiarches semichristianus & semijudæus.* Idem S. Hilarius L. 2. de Trinit. num. 4. infra referendus. Theodoritus Lib. 2. Hæret. Fabul. de Ebione ait: *Hujus autem catervæ princeps fuit Ebion. Hebræi autem mendicum ita vocant*: Pacianus Epist. 1. ad Sym-

Sympronianum enumerans Hæreticos, qui post ævum Apostolicum Fidem corruperunt, primò Ebionem statuit dicens, *Ebion & Apelles & Marcion & Valentinus & Cerdon*. Philaster quoque Hæres. 37.: *Hebion*, inquit, *Discipulus Cerinthi in multis ei similibus errans* &c.

III. His patet, Ebionitas ab Ebione quodam particulari homine, non à pura significatione mendici appellatos fuisse. Non diffiteor tamen, quòd sicut quibusdam personis Divino nutu imposita fuere nomina significantia munus vel sortem, cui destinabantur, quorum multa in Scripturis habemus exempla: ita Divino permissu factum fuerit, ut hujus abjectæ ac vilis Sectæ auctori Ebionis nomen mendicitatem exprimens imponeretur. Ita S. Epiphanius hæres. 30. num. 17., ubi de Ebionæis dicit: *Isti de ea re gloriantur, seque mendicos prædicant, quòd Apostolorum tempore mos esset bona sua distrahere & ad illorum pedes abjicere. Itaque se illorum exemplo ad mendicitatem redigi, ac bonis omnibus abdicare, proindeque passim mendicos appellari*. Sed hoc ab illorum ingenio confictum esse subjicit Epiphanius: *Nam Ebioni proprium hoc erat nomen, non sinè vaticinio tamen aliquo, quo mendicus infelixque fore significaretur, cùm à parentibus id nominis accepisset*. Proinde superiùs dixerat: *Est autem Hæreticus iste re verâ mente, spe, factisque mendicus, utpotè qui Christum merum esse hominem existimet, in eoque spem cum quadam Fidei mendicitate collocet*. Nec obest, quòd per contemtum Ebionæi, idest mendici vocarentur: potuerunt enim sic dici à nomine Auctoris idem exprimente, sicut primi Christiani Jessæi & Nazareni à Jesu qui erat è Nazareth, quæ Urbs cùm in Galilæa sita esset, à Juliano Apostata Jesus Galilæus & Christiani Galilæi per contemtum vocabantur.

IV. Posito ergo quòd Sectæ Ebionitarum reverà fuerit Ebion auctor: occurrit primò quærendum, unde & quis fuerit Ebion, de quo nil certè statui potest. Samaritanum eum facit Epiphanius Hæres. 30. num. 1., sed an nativitate, an solùm nequitiâ Samaritanus fuerit, non exprimit: dicit enim, quòd *Samaritanorum impuram superstitionem affectavit. A Judæis porrò nomen accepit. Ab Ossæis Nazaræis & Nasaræis dogmata. Cerinthianorum deinde formam, Carpocratianorum nequitiam, Christianorum denique appellationem usurpare contendit .... Igitur cùm re verâ Samaritanus ob exsecrandam nequitiam sit; istiusmodi tamen appellationem rejicit: & cùm se idem Judæum faciat, Judæis refragatur: quamquam cùm eis aliqua ex parte consentit*. Ebionem fuisse potiùs Philosophum Stoicum, putat Marius Mercator in Nestorium §. 13.. Discipulum factum Cerinthi ei successisse, scribunt S. Hieronymus in Dial.advers. Luci-

ciferianos ; & Philaster Hæref. 37. ; qui tamen ait, non in omnibus similiter cum Cerintho erraffe: quod ante Tertullianus Lib. de Præfcr. cap. 48. dixerat: *Hujus* (Cerinthi) *fucceffor Ebion fuit, Cerintho non in omni parte confentiens*; de quo infra. E Nazaræorum Schola aliqua etiam percepiffe Ebionem, fcribit Epiphanius n. 1.; imò ex omnibus unam peftiferam hærefim conflaffe: *Ut enim*, inquit, *fi quis variis ex lapillis ornatum fibi aliquem conficiat, aut variegatam coloribus veftem induat, atque exquifitam quandam elegantiam adhibeat: fic ille contra, omnibus undique perniciofis ac peftiferis dogmatibus accerfitis, quidquid unaquæque hærefis horrendum imprimis & exitiabile ac deteftandum afferit, turpe inquam & abfonum, abfurditatifque plenum & odiofum è fingulis dogma concinnans, omnium in fe formas fpeciefque tranftulit*. Ita Epiphanius.

V. Quando & ubi fuæ hærefis virus evomere cœperit Ebion, fi eundem Epiphanium confulimus, dicet num. 2.: *Hujus factionis exordium poft Jerofolymitanæ Urbis excidium cœpit*, nempè paulò poft annum 70., & quidèm in Urbe Pella, feu pago Cocabe: fic enim profequitur: *Quo tempore Chriftiani omnes, cùm in Peræa degerent, atque in Urbe Pella potiffimùm, quæ in Decapolitana Provincia eft, cujus extat in Evangelio mentio* (Matth. 4. v. 25. Marci 5. v. 20.) *propè Batanæam ac Bafanitidem. Cum illic, inquam, domicilium collocaffent, hinc Ebioni data eft propagandi erroris occafio. Qui in pago quodam Cocabe in Regione Carnaimorum, Arnemi & Aftarotharum & Bafanitidis tractu habitare cœpit, quemadmodùm vetus ad nos ufque fama pertulit. Indè igitur peffimi prædicandi dogmatis initium fumfit, unde & impios Nazarenos cœpiffe docuimus*.

Hoc pofito verificatur, vivente adhuc S. Joanne Evangelifta hanc hærefim propagatam fuiffe, ideòque ad eam confundendam Sanctum Apoftolum (ficut & hærefim Cerinthi) Evangelium fuum fcribere potuiffe anno 97., & teftatur S. Hieronymus Lib. de Script. Ecclef. cap. 9. dicens, quòd S. Joannes fcripfit Evangelium fuum adversùs *maximè tunc Ebionitarum dogma confurgens, qui afferunt, Chriftum ante Mariam non fuiffe*. Nec obeft quòd Irenæus Lib. 3. cap. 24. (modò 21.) dicat: *Non ergo vera eft quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam* (Ifaiæ 7. v. 14.) „ Ecce adolefcentula in ventre habebit, & pariet filium „ *quemadmodùm Theodotion Ephefius eft interpretatus, & Aquila Ponticus, utrique Judæi profelyti, quos fectati Ebionæi, ex Jofeph generatum eum* (Chriftum) *dicunt*: ex quo Eufebius Lib. 5. Hift. cap. 8.: quafi folùm poft verfiones Theodotionis & Aquilæ, quæ poft annum 182. vel 186. prodierunt, & ex eis hærefis Ebionis ortum habuerit. Nam ex hoc fequitur quidèm, etiam poft Theodo-

dotionem & Aquilam, Ebionitarum hæresim perdurasse, & ex eorum Versionibus argumentum pro sui erroris confirmatione traxisse, non verò quòd ante Ebionis hæresis non extiterit. Imò teste S. Hieronymo in Apol. adversùs Ruffinum, Theodotion, Aquila, & Symmachus Ebionitarum hæresim profitebantur. Quo fit, ut hæresis ab Ebione ævo Apostolico evulgata, continuaverit postea in suis Discipulis usque post Symmachum, Theodotionem, & Aquilam, editasque ab eis Versiones; & ex Asia Romam & Cyprum penetraverit, teste Epiphanio. num 18.

VI. Quo tempore & anno Ebion obierit, incertum est. S. Epiphanius num. 24. putat eum ruinâ balnei sepultum interiisse, cùm S. Joannes ad illud accedens, ac quærens quis intus esset, audiissetque Ebionem ibi adesse, ingemiscens ait: *Properate fratres, abeamus hinc, ne balneæ concidant, & cum Ebione, qui intus est, ob ejus impietatem obruamur*. Quibus dictis, & Joanne egresso, balnea conciderunt. Cerinthum tamen, non Ebionem intùs in balneis fuisse, ex S. Polycarpo referunt Irenæus Lib. 3. cap. 3., & Eusebius Lib. 3. Hist. cap. 20.; nisi fortè dicatur unà cum Cerintho fuisse & Ebionem: sed adhuc dubium est, ut supra dixi, an balneum illud corruerit. Sed quidquid sit de vita Ebionis, certum est, ejus hæresim diù perdurasse: unde Epiphanius hæres. 40. num. 1. refert, Eutactum sive Atactum Sectæ Archonticorum auctorem, inter alias, hæresi Ebionæorum fuisse infectum, quem sub Constantino asserit prodiisse. Ex hac velut ex infecta radice aliæ Sectæ mutato priori nomine pullularunt, ut Samsæi, & Elcesaitæ, licèt in aliquibus differentes. Ita ex Epiphanio S. Augustinus Lib. de Hæres. cap. 10. ubi de Ebionæis: *Huic hæresi*, inquit, *Epiphanius Samsæos & Elcesæos ita copulat, ut sub eodem numero tanquam una sit hæresis ponat, aliquid tamen interesse significans: quamvis & in consequentibus loquatur de illis, ponens eos sub numero suo*.

§. II.

Ebionæorum errores de Christo.

I. Ebionæi in neganda Jesu Christi Divinitate, eique Filiatione naturali Dei auferenda omnes conveniebant, eum purum hominem esse existimantes. In modo tamen generationis ejus dissidebant. Alii quippe fatebantur, eum è Virgine natum esse, sed negabant, ante hanc nativitatem extitisse Deum ac Dei Verbum. Alii cum Ebione dicebant, eum ex Josephi & Mariæ consortio more cæterorum hominum esse genitum, & sanctitatem bo-

nis operibus acquisivisse sibi. Et hæc communior erat Ebionæorum sententia, quam ab Ebione Magistro didicerant; & quam eis tribuunt Irenæus L. 3. cap. 21., aliàs 24. 25., Tertullianus L. de Carne Christi cap. 14., Epiphanius, Eusebius, Theodoritus infra referendi.

II. Hujus duplicis Ebionæorum sectæ meminerunt Origenes L. 5. contra Celsum n. 61., Eusebius L. 3. Hist. cap. 27. his verbis: *Hi ab antiquis cognominati sunt Ebionæi, quippe qui humiliter admodum atque abjectè de Christo sentirent. Eum enim simplicem ac vulgarem, nec aliud quàm hominem esse censebant, qui profectu virtutis justus factus fuisset; cæterùm ex viri cum Maria concubitu procreatum... Alii ab his eodem nomine nuncupati, absurdam priorum sententiam refugientes, Christum quidem ex Virgine & Spiritu Sancto genitum esse non negant; sed iidem nihilominùs, cùm Christum utpotè Deum Verbum ac Sapientiam Patris ante omnia substitisse minimè fateantur, in eandem cum prioribus impietatem delapsi sunt*. Epiphanius Hæres. 30. num. 3. dicit, quòd *principio Ebion Christum è viri semine, nimirùm Josephi, genitum affirmabat. Verùm aliquantò abhinc tempore in hodiernum usque diem, qui ejus errorem secuti sunt, animis eorum in absurda ac perplexa quædam abjectis, alii aliter de Christo pronuntiant. At suspicari sanè licèt, ab eo tempore, quo se illis Elxæus adjunxit falsus quidam Propheta, qui apud Sampsæos & Orsenos atque Elcessæos extitit, ab eodem edoctos, confictum de Christo & Spiritu Sancto nescio quid effutire cœpisse*. Theodoritus etiam Lib. 2. Hæret. Fab. Ebionæos in duo genera distinguit, alios ab Ebione edoctos, qui *Dominum Jesum Christum dicebat ex Joseph & Maria esse natum; qui homo quidèm erat, sed virtute vitæque innocentiâ & integritate aliis antecellebat; ex Lege autem Mosaica vitam instituebat*: alios à Symmacho postea instructos, *qui in aliis quidèm omnibus cum prioribus conveniebant, nisi quòd Servatorem & Dominum dicunt natum esse de Virgine*.

III. Ex his conficitur, hæresim hanc, ut primò ab Ebione prodiit, non solùm negasse Christum esse Deum, sed etiam ex Virgine sinè opera Viri genitum. Sic Philaster hæref. 37. *Hebion*, inquit, *errans, Salvatorem nostrum hominem de Joseph natum carnaliter æstimabat, nihilque in eo Divinitatis fuisse docebat* &c.. Processu tamen temporis ejus discipuli, fortè ut declinarent horrorem, quo ab omnibus habebantur; eam ex parte emollire curarunt dicentes, eum de Virgine natum. In quo discedebant à Carpocratianis & Cerinthianis, qui Jesum ex concubitu Mariæ & Joseph natum constanter asserebant. Discedebant etiam Ebionæi omnes à Cerintho & Carpocrate, quòd ubi isti distinguentes Jesum à Christo dicebant,

Chri-

Christum sub Columbæ specie in Jesum descendisse, eique sanctitatem & vim etiam aliis eam communicandi & miracula edendi largitum fuisse; Ebionæi (non tamen Ebion ut infra ex Epiphanio dicam) nil tale cogitantes, nec Christum illum fictitium desuper accersentes, dicebant Jesum merum hominem unâ præ cæteris prærogativâ fuisse donatum, ut bonis operibus studiosiùs incumbens majorem sibi sanctitatem comparaverit: undè meritò scripserit Irenæus Lib. 1. cap. 26. Ebionæi *ea quæ sunt erga Dominum, non similiter ut Cerinthus & Carpocrates, opinantur*: & Philaster hæref. 31., quòd Ebion *in multis* cum Cerintho fuit similiter errans (non in omnibus).

IV. Ebionis error de Jesu conceptu ex concubitu Mariæ & Joseph rejectus est supra cap. 6. §. 3. in Cerintho, & Tom. 1. in 3. p. qu. 5. de Natura assumta Dub. 3.: ubi etiam alium errorem asserentem Jesum purum hominem fuisse, nec verum Deum ac filium naturalem Dei, & proinde ante Mariam non fuisse, abundè refutavi qu. 3. de Persona assumente Dub. 1. §. 2. &c.; quæ Lector adire poterit. Quia tamen nimis apertis Scripturæ testimoniis cogebatur Ebion admittere Jesum Christum esse Dei Filium, negabat tamen eum esse Dei filium naturalem & æternum, & asserebat esse filium Dei in tempore factum, & Verbum non æternum & ante Mariam subsistens, sed merum vocis sonum. Ita refert Hilarius Lib. 2. de Trin. num. 4. dicens: *Ut Ebion omne initium filio Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine Deum proferat, neque subsistens antea, quòd in principio apud Deum erat Deus Verbum Virgo susceperit, sed carnem genuerit per Verbum, quia in Verbo antea non existentis Unigeniti Dei naturam dicat, sed sonum vocis elatam*. Quibus vult Hilarius, Ebionem *Verbi* nomine, antequam Maria genuerit, intelligere externum vocis sonum, non existentis seu subsistentis Unigeniti Dei naturam.

V. Hanc blasphemiam apertè damnat S. Joannes sui Evangelii initio, ubi illud idem Verbum, quod erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia &c., dicit: *Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre*. Quod Christus ipse palam testatus fuit, cùm ait Jo: 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Et Jo. 17. v. 1. &c. *Pater*, inquit, *venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te .... Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te*. Quod Pater ipse testimonio suo confirmavit, tum Matth. 3. v. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi com-*

placui, tum Matth. 17. v. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite*, quibus S. Petrus Ep. 2. cap. 1. a v. 16. suum adjungens testimonium: *Non enim* (inquit) *doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnifica gloria. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in Monte Sancto*. Ita S. Petrus, quo nemo certior testis, quia de auditu proprio. Quæ omnia Jo. 3. v. 16. confirmantur: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Quis autem esset iste Unigenitus dixerat cap. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*.

VI. Cùm (notat Hilarius L. 6. de Trin. n. 39.) nomine *Filii* non satis explicaretur Christum esse Filium naturalem Dei Patris, præter *Filium* vocat *Unigenitum*, idest non de adoptivorum grege, qui numéro plures sunt, sed naturalem & unicum: ideoque Pater vocat eum Filium suum dilectum, idest proprium. Hinc Augustinus Collat. cum Maximino n. 14., ait: *Si Filius est, verus Filius est, quia Unigenitus est. Nam & nos dicti sumus Filii: sed numquid Unigeniti sumus tot Filii? Aliter ille Filius Unigenitus: ille naturâ Filius: nos gratiâ Filii: ille Unigenitus de Patre natus, hoc est, quod Pater secundùm naturam, secundùm substantiam*. Ex eodem Joannis loco Faustinus quarti sæculi Scriptor Lib. ad Flavillam Imperatricem de Fide Trinit. cap. 2. concludit sic: *Ergo Unigenitus Filius non est creatura, qui Deum videt, quem nulla creatura videt. Et ne fortè unum de adoptivis filiis crederes, amputavit sensus impii occasionem, cùm eum dixit, non solùm filium, sed etiam Unigenitum filium: hoc nomen non habet socios, Filii adoptivi in sinu Abrahæ sunt: qui autem verus & Unigenitus Filius est, in sinu Patris est*, idest ut exponit S. Thomas in cap. 1. Joann. Lect. 11.: *In occultissimo paternæ naturæ & essentiæ, quæ excedit omnem virtutem creaturæ, est Unigenitus Filius, & ideò consubstantialis est Patri. Et quod Evangelista hic significavit* per Sinum, *hoc David expressit* per Uterum *dicens*: Ex Utero ante Luciferum, *idest ex intimo & occulto meæ essentiæ incomprehensibili omni intellectu creato*, genui te, *& consubstantialem mihi & ejusdem naturæ, & virtutis & potestatis & cognitionis*.

VII. Non ergo, ut impiè desipuerunt Ebionitæ & cum eis alii, ante & post Christus Jesus factus fuit Filius Dei bonorum operum merito, sed naturâ Filius fuit Unigenitus Patris, dum Ver-

bum

bum quod erat à principio, & per quod facta sunt omnia, in ipso caro factum fuit, ideft carnem assumsit. Nec dicant, Verbum hoc temporale ac prolatitium fuisse, eo modo quo Verbum Dei factum fuit super Prophetas. Nam ut ait S.Cyrillus Jerosol. Catechesi 11. num. 10.: *Genuit Pater Filium, non sicut in homine mens generat Verbum. In nobis enim mens subsistens quidèm est: Verbum verò enuntiatum & in aera diffusum disperditur. Nos autem novimus Christum natum esse Verbum, non prolatitium, sed Verbum subsistens & vivens, non labiis prolatum & diffusum, sed ex Patre sempiterno, & ineffabiliter & in solida hypostasi genitum*: „ In principio *enim* erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum „ *illud in dextera sedens: Verbum intelligens Patris voluntatem, & ejus nutu omnia moliens: Verbum, quod descendit & ascendit: Verbum enim prolatitium dum loquendo profertur, non descendit nec ascendit. Verbum quod loquitur & dicit* „ Quæ vidi apud Patrem, hæc loquor „: *Verbum potestate plenum, & in omnia Regnum exercens, omnia enim Filio tradidit Pater*. Hoc expresserat Clemens Alex. in Admonit. ad Gentes pag. 5. his verbis: *Hic ergo Verbum Christus, & ut nos olim essemus, erat enim in Deo, & ut benè essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus & homo: & est nobis omnium causa bonorum, quo edocti rectè vivere, ad vitam æternam transmittimur*.

VIII. Aliud de Christo figmentum, auctore quodam Elxæo falso apud Samsenos Orsenos & Elcessæos Prophetâ, Ebionæos hausisse refert Epiphanius Hæres. 30. num. 3.: *Nonnulli enim ex iis, Adamum fuisse Christum prædicant, illum inquam Adamum, qui primus à Deo formatus ejusdem est animatus afflatu. Alii è Cælo Christum esse confitentur, sed ante omnia creatum, ac spiritum esse quemdam, Angelisque præstare, atque omnium rerum dominatum tenere, appellari porrò Christum. Qui cùm perpetuam illic habitationem sortitus sit, quoties libuerit, in hæc infima delabitur, quemadmodùm in Adamo descendit, & Patriarchis corpore circumfusus apparuit, velut cùm ad Abrahamum Isaacum & Jacobum adiit. Idem denique postremis temporibus venit Adami corpore contectus, & homo visus est, in Crucem sublatus resurrexit, & ascendit in Cælum. Rursùs ubi libuerit, ita sese rem habere negant: in eumque dumtaxat se se Sanctum infudisse Spiritum, qui est ipse Christus, eumque qui Jesus vocatus est induisse*. Vide quantâ vertigine laborant, qui veritati oculos claudunt.

* * *

§.III.

§. III.

Errores de Circumcisione circa Castitatem & Nuptias.

I. Circumcisionem & cætera Legalia adhuc post Christum servanda esse, cum Cerintho & aliis prænarratis Hæreticis, Ebionitæ contendebant. *Circumcisionem* (inquit Epiphanius Hæres. 30. num. 26.) *præseferunt; eâque re plurimùm gloriantur, utpotè quam Patriarcharum, aliorumque qui Legis tempore vixere justorum, notam ac signum extitisse putent, quo etiam nomine se cum illis adæquari arbitrantur: adeòque Christi exemplum ad illam comprobandam accommodant, ut & Cerinthiani faciunt. Quorum ineptissimè accommodatam illam sententiam usurpant* (Matth. 10. v. 25.), „ Sufficit discipulo si sit sicut Magister ejus „. *Christus enim, ajunt, circumcisus est: tu igitur circumciditor.*

II. Sed hoc ex Ebionis sententia retundit Epiphanius. Cùm enim ipse ponat Jesum merum hominem, & ideò cùm octavo die ab aliis circumcisus est, rationis usu carentem; quomodò dicere potest, in hoc actu se gessisse ut magistrum, & ut exemplar? *Si enim Deum illum esse, cælitùsque delapsum assereret, octavoque die à Maria circumcisum, tum quidèm quatenùs & Deus foret, & id ultrò ac voluntate permisisset, speciosum quiddam ac probabile ad Circumcisionis commendationem circumforaneo isti præbuisset. Jam verò cùm merum illum hominem esse, atque ab hominibus circumcisum fuisse sentiat, nequaquam puero illi velut auctori tribuendum est, quòd octavâ sit luce circumcisus. Neque enim semetipsum præcidit, sed id ab aliis passus est: quod sibi ipsis pueri non faciunt, neque Circumcisionis auctores ipsi, sed eorum potiùs parentes habendi sunt. Etenim pusiones illi præ infantia, quod sibi à parentibus fiat, ignorant.*

III. Quòd si à nobis petant Ebionitæ, cur igitur voluit circumcidi, si Circumcisio non erat futura nobis in exemplum? Respondebit Epiphanius citatus n. 28. *Multis id de causis sustinuit. Primùm ut se carnem re verâ induisse monstraret propter Manichæum, cæterosque qui similitudine quadam, ac specie dumtaxat apparuisse docuerunt. Deinde ut corpus Divinitati consubstantiale non esse demonstraret, ut Apollinaris existimat, nec è cælo delatum in terras, qui Valentini error fuit. Tum ut cujus olim Circumcisionis Auctor fuerat, eam ad adventum usque suum observatam fuisse meritò comprobaret, atque ut omnem Judæis excusationem eriperet. Nisi enim circumcisus foret, hoc ad sui purgationem afferre potuissent. Nos Christum præputio præditum probare nequivimus.* Hæc Epiphanius: quæ

quæ attuli etiam Tom.4. p.1. Verit.Relig. Christ. cap.9. §.2. n.5., ubi etiam alias rationes dedi ex S. Thom. 3. p. q.37. a.1.

IV. Cur autem adveniente & circumciso Christo, consummatum fuerit & cessaverit præceptum Circumcisionis, duas causas exhibet S. Ambrosius. Unam L. 5. de Abraham cap. 4. Quia Circumcisio corporalis erat signum Circumcisionis spiritualis dandæ per Christum: adveniente autem veritate cessat signum: *Abraham*, inquit, *signum accepit Circumcisionis: utique signum, non ipsa res; sed alterius rei est, hoc est, non veritas, sed indicium veritatis. Denique ipse exposuit & expressit dicens*,, Quia Abraham signum accepit Circumcisionis (Rom.4.) signaculum Justitiæ & Fidei ,,. *Unde non incongruè intelligimus, quia Circumcisio corporalis signum Circumcisionis est spiritalis. Ergo signum mansit, donec veniret veritas: advenit Dominus Jesus, qui ait*:,, Ego sum via, veritas, & vita ,, (Joann. 14.) *qui non partem exiguam corporis in signo, sed totum circumcidit hominem in veritate, signum destruxit, veritatem induxit: quia postea quam venit quod perfectum est, quod ex parte erat evacuatum est: & ideò cessavit Circumcisio partis, ubi refulsit Ciecumcisio universitatis. Jam enim non ex parte, sed totus homo salvatur, in corpore scilicet & anima*.

Alteram causam idem S. Ambrosius exhibet Lib. 9. Epist. Ep. 77. ad Constantium: quia nimirùm nondum soluto Redemtionis humanæ pretio, singulorum sanguis in Circumcisione fundendus erat; ubi verò Christi Sanguine universorum Circumcisio peracta est, jam singulorum sanguis non requiritur. Verba S. Doctoris sunt: *Pretium nostræ liberationis erat Sanguis Domini Jesu, quod necessariò solvendum erat ei, cui peccatis nostris venditi eramus. Donec igitur hoc pretium pro omnibus solveretur hominibus, quod Dominici Sanguinis effusione pro omnium fuit solvendum absolutione, opus fuit singulorum sanguine, qui Lege & consuetudinis ritu sacræ præcepta sequerentur Religionis. Sed quia pretium pro omnibus solutum est, posteaquam passus est Christus Dominus, jam non opus est, ut viritim sanguis singulorum circumcisione fundatur, cùm in sanguine Christi Circumcisio universorum celebrata sit, & in illius Cruce omnes simul crucifixi sumus cum eo & consepulti in ejus sepulcro, complantati similitudini mortis ejus, ut ultra non serviamus peccato*. Hactenùs Ambrosius. Quibus ostendit, eos qui post Christum signum Circumcisionis retinere volunt, in duobus peccare: & quia hoc facto negant advenisse veritatem, nempè Christum: & quia Sanguinem ejus ad omnium salutem negant esse sufficientem. Recolenda sunt, quæ supra de Cerintho agens §. 2. dixi, maximè ex S. Augustino Ep. 82. (aliàs 19.) ad Hieron. cap. 2.

V.Quia

V. Quia igitur Evangelium cum Lege conjungere volebant Ebionitæ, Baptiſmo quodam ſingulari initiabantur: præter hunc autem habebant Baptiſmum ſeu lavacrum aquæ quotidianum, quod ad labes animæ abſtergendas neceſſarium judicabant. Ita Epiphanius num. 21.: quod ſe facere ad imitationem Petri mentiebantur: *Petrus, inquiunt, lavabat quotidiè priuſquam cibum ſumeret*. Hoc fortè hauſerant è Phariſæis & Scribis, qui Matthæi 15. v. 2. Diſcipulos Chriſti increpabant, quòd non lavarent manus, cùm panem manducabant: quod redarguit Chriſtus objiciens eis: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* Oſtendit ergo Chriſtus, non humanarum Traditionum, ſed Legis Dei obſervantiam ad ſalutem neceſſariam eſſe. Alia ex Chriſtianorum imitatione quotannis celebrabant myſteria, in quibus panes azymos & aquam tantùm adhibebant. Ex Epiphanio n. 16. Sabbatum ſecundùm Legem Judaicam obſervabant, & ſimul ex Chriſtianorum more diem Dominicam ſanctificabant. Ita Euſebius Lib. 3. Hiſt. cap. 27., & Theodoritus Lib. 2. Hæret. Fab.

VI. Virginitatem à ſuis cœtibus repellebant, adoleſcentulos ad nuptias compellebant: & ſi cui divortium facere libuiſſet ac novum inire Matrimonium, id ei uſque ad tertias & ſeptimas nuptias permittebatur. Ita Epiphanius num. 18.: *Eſt hoc illis inſuper in more poſitum, ut adoleſcentulos citra maturam ætatem ad nuptias compellant; idque adeò à Magiſtris poteſtate factâ. Habent enim Presbyteros ſuos ac Synagogæ Principes. Nam Synagogam conventus ſuos non Eccleſiam nominant, ac Chriſti ſolum nomen præſeferunt. Neque verò unis duntaxat nuptiis affinitates inter ſe conjungunt, ſed ſi cui divortium facere libuerit, ac novum inire matrimonium, ad tertias & ſeptimas uſque nuptias permittitur. Quidvis enim apud illos agere conceditur.*

VII. Virginitatem à ſuis cœtibus exterminare Hæreticorum genius fuit, ut jam vidimus ſupra maximè in Nicolaitis, Gnoſticis & Carpocratianis, quos ſecuti ſunt recentiores Proteſtantes, contra quos egi in Vera Eccleſia Tom. 1. cap. 4. §. 1. num. 3. Tom. 2. par. 1. ar. 5., & in Colloquiis Theologo-Polem. Claſſe 1., quò Lectorem remitto: ibi enim oſtendi Virginitatis ſtatum non eſſe quidèm in præcepto, eſſe tamen de conſilio tanquam melius bonum, & hoc ex Apoſtolo 1. Cor. 7. v. 25.: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*: & v. 38.: *Qui matrimonio jungit Virginem ſuam benè facit, & qui non jungit, meliùs facit*. Si autem ad Virginitatem ſervandam nemo compellendus eſt, multò minùs ad matrimonium ineundum, ut faciebant Ebionæi. Non enim matrimonium ſingulis determinatè à Deo præceptum

ptum fuit, sed ab ipso in aliquibus volitum, *ut Mundus successione nascentium, morientium damna compensaret, & brevitatem humanæ vitæ vincat successione perpetuá*. Ita S. Hieronymus in Lib. 3. Paschal. Quapropter anathema dicendum est Luthero, qui in Epistola ad Wolfangum ausus fuit asserere: *Omnes ad matrimonium, hoc est, ad legitimè procreandos liberos nati sumus, sicut ipsa corporis membra indicant*. Et Ser. de Matr.: *Verbum hoc quo Deus ait*: Crescite & multiplicamini, *non est præceptum sed plusquam præceptum*. Sed contra istum satis est dictum citatis locis, & præsertum in Vera Eccles. Tom. 2. par. 1. ar. 5. §. 5. num. 22.

VIII. Nuptiarum & uxorum pluralitatem usque ad septem admittebant Ebionæi, moti fortè exemplo veterum Patriarcharum; cùm enim Evangelio Legem conjungere vellent, invenientes, eos pluralitatem uxorum admisisse, horum exemplum ad suam exsaturandam libidinem trahebant. Sed hoc execrabilius est, quod Lutherus idem in Evangelio licere senserit: sermone enim præfato de Matrim., de uxore contumaci, *Repudia*, inquit, *eam, & in vicem Vasti Ester surroga, Assueri Regis exemplo*: & Philippo Lantgravio Hassiæ, cujus explendæ libidini una uxor satis non erat, alteram simul ducere permisit. Sed de hoc præter citata loca egi Tom. 4. in 3. par. quæst. 4. de Unit. Matrimonii, ubi Dub. 2. ostendi, quomodò & quando licuerit habere plures uxores, & Dub. 3. post Legem Evangelicam ampliùs non licere.

§. IV.

Errores alii de Christo, de Paulo, & Scripturis.

I. Mundum quidèm non ab Angelis, sed à Deo conditum Ebionæi asserebant, teste Irenæo Lib. 1. cap. 26.; duos tamen à Deo cum potestate fuisse constitutos, Christum & Diabolum; quorum primus seculo futuro, alter seculo præsenti dominaretur. Ita Epiphanius num 16.: *Duos à Deo constitutos asserunt, Christum & Diabolum, quorum illi futuri, huic præsentis seculi potestas est commissa: idque adeò omnipotentis illius mandato ad cujusque postulationem esse factum. Ob id Jesum ex virili semine productum affirmat & electum: itaque Dei Filium appellatum ab eo Christum, qui in ipsum Columbæ figurá de Cœlo delapsus est. Negant verò à Deo illum esse Patre genitum, sed tanquam unum ex Archangelis creatum, & iis tamen majorem, qui & Angelis & universis, quæ sunt ab Omnipotente condita, dominetur, & in hunc Orbem venit, atque hoc quod est in illorum Evangelio docuerit.*

II. Porrò ut huic errori ex Evangelio fidem conciliarent, unicum Matthæi recipiebant, quod Hebraicum vocabant, etsi ne quidèm integrum, sed mutilum & adulteratum. Resecatâ enim Genealogiâ, hinc initium dederunt (inquit Epiphanius num. 13. & 14.) *Factum est in diebus Herodis Regis Judeæ*, sub Principe Sacerdotum Caipha, *ut veniret quidam Joannes nomine baptizans Baptismo Pœnitentiæ in Jordane fluvio*, quem ferebant, ex genere esse Aaronis Sacerdotis filium Zachariæ & Elisabethæ: & egrediebantur ad illum omnes (tum longè postea subjungit.) Baptizato Populo venit & Jesus, & à Joanne baptizatus est. Cùmque ascendisset de aqua, aperti sunt Cœli, & vidit Spiritum Dei Sanctum columbæ specie descendentem, & intrantis in se se. Et vox reddita de Cœlo dicens: Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Hoc & alia ex Evangelio Matthæi, quo Ebion utebatur, Epiphanius.

Qui postea addit: quòd cùm Jesum ut diximus merum hominem extitisse putaret, in eoque resedisse Christum (cujus tamen oppositum saltem Ebionæi sentiebant, ut supra dixi) ita Jesum ipsum esse conjunctum cum Christo, & Jesum esse hominem ex utriusque parentis semine prognatum, Christum verò non esse hominem. Quod se colligere putabat ex ejus responso. Cùm enim Matth. 12. ei renuntiatum esset: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant*: in hunc modum respondit: *Quæ est mater mea & fratres mei? & extendens manum in Discipulos dixit: Hi sunt fratres mei, & mater mea, qui faciunt voluntatem Patris mei*. Ita ad suum errorem Evangelium Ebion trahebat.

III. Dicebant insuper, Christum de omnibus cibis etiam in Lege prohibitis manducasse: Joannem autem Baptistam nunquam quidquam comedisse. Movebantur ex dicto Christi Matth. 11. v. 18.: *Venit Joannes neque manducans neque bibens: & dicunt, Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens; & dicunt: ecce homo vorax*. Falsum tamen est, Joannem Baptistam nihil unquam comedisse & bibisse; nam Marci 1. v. 6. dicitur, quòd *locustas & mel silvestre edebat*. Quoad Christum verò, comedisse omnes cibos verum est; non tamen eos qui in Lege erant vetiti. Manducavit enim Pascha cum Discipulis, invitatus ex cibis appositis, non utique immundis, comedit. Hoc ergo, inquit Epiphanius num. 19.: *Perinde non est accipiendum, ac si Joannes nullâ omninò re, Christus omnibus promiscuè, adeòque prohibitis vesceretur. Sed Scriptura vim veritatis expressit, ut non manducans & bibens idem sit ac Joannem carnibus vinoque non usum, nihil præter locustas ac mel edisse, ut aquam interim adhibuisse credatur*: Christum autem

rem etiam carnes, ut Lex permittebat gustasse, pisces quoque post Resurrectionem. Ubi nota horum infelicium delirium: ut enim suam hæresim, quâ asserebant illicitum esse carnibus animantium vesci, tuerentur, negabant, Christum carnem comedisse, adulterantes locum Matthæi 26., *ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* quasi in eo agnum non comedisset, ut observat S. Epiphanius num. 22. Postea hujus dementiæ obliti asserebant, Christum de omnibus cibis etiam vetitis comedisse.

IV. Paulum Apostolum maledictis insequebantur, velut Apostatam & Legis inimicum, teste Epiphanio num. 26., vocantes eum Græcum Tarsensem, à Gentilibus oriundum, postea proselytum. Hanc tamen calumniam evanescere facit Paulus ipse ad Philippenses cap. 3. v. 4. &c., ubi genus suum & institutum describens: *Si quis alius*, inquit, *videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octavo die, ex genere Israel de Tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm Legem Pharisæus, secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei*. Quæ verba velut in persona Pauli Theodoritus ibi sic exponit: *Non enim tanquam proselytus & advena accepi Circumcisionem: nec verò natus sum ex advenis, sed me ab Israele parente genus ducere glorior. Neque verò sum ex semiservis, sed de libertate procreatus sum ex dilecta Rachele, pro qua Patriarcha servit. Deinde quod sequitur est voluntatis & instituti: secundùm Legem Pharisæus: hæc enim erat melior Secta*. Hactenus Theodoritus. Idem confirmat ipse Paulus 2. Cor. 11. v. 22.: *Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego.*

V. Neque obest, quòd in Act. Apost. vocetur patriâ Tarsensis cap. 9. v. 11.: *Quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem*: & quòd cap. 21. v. 39. Tribuno putanti, eum esse Ægyptium, Paulus ipse dicat: *Ego homo sum quidèm Judæus à Tarso Ciliciæ, non ignotæ Civitatis municeps*. Et cap. 22. v. 3.: *Ego sum vir Judæus natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista Civitate, secus pedes Gamaliel eruditus secundùm veritatem paternæ Legis, æmulator Legis, sicut & vos omnes estis hodie*. Nam præterquam quòd Paulus, dum se dicit in Tarso natum, fatetur tamen se *Judæum*, & Legem appellat *paternam*; observandum est cum S. Epiphanio num. 25., quòd Barnabas quoque patriâ Cyprius erat, & tamen è Tribu Levitica fuit. Sic ergo Paulus licèt è Tarso oriundus, ab Israelitica Gente alienus non erat. & rationem affert: quia sub Antiocho Epiphane, & aliis temporibus, quibus bellum exarserat, plerique per captivitatem & obsidionem dispersi, variis in locis consistere coacti fuerant, ac etiam obsidionis & belli vitandi causâ aliò confugerant: quo factum fuit, ut progressu temporis inter alias Nationes

familias constituerint, servantes tamen & genus & patrias Leges Ritusque Mosaicos, quamvis nomine Regionis in qua degebant appellarentur: sicut Moyses etsi è stirpe Abrahæ descendens, quia tamen in Ægypto natus, Vir Ægyptius nuncupatur Exod. 2. v. 19. *Vir Ægyptius liberavit nos*. Sic ergo Paulus licèt nativitate Tarsensis, Hebræus & Israelita stirpe esse non desiit. Idcircò autem Ebionæi arma sua in Paulum verterunt, quia contra Circumcisionis ac Rituum Mosaicorum observantiam, quam ipsi post Christum necessariam esse contendebant, eum ardentiùs prædicasse noverant. Unde ei hanc calumniam impingebant, nimirùm *Cùm Jerosolymam accessisset, & ibidem aliquandiù mansisset, Pontificis filiam ducere statuisse. Quare Proselytum se fecisse, ac Circumcisionem usurpasse. Postea quòd ab eo conjugio cecidisset, iratum adversùs Circumcisionem & Sabbatum Legemque scripsisse*. Ita refert S. Epiphanius num. 16.

VI. Nihilominùs quamvis pro Mosaicæ & Judaicæ Legis observantia pugnarent, Legis tamen Libros ferè omnes præsertim Propheticos respuebant. Pentateuchum admittere videbantur, quædam verò in eo contenta respuebant. *Quòd si* (ait Epiphanius num. 18.) *de esu animatorum illud objicias: cur Abrahamus vitulum cum lacte Angelis adposuerit* (Gen. 18.) *Aut cur Noemus illa comederit, & divinitùs responsum acceperit*: Macta & manduca: *Quidve insuper Isaacus & Jacobus ac Moyses similiter in solitudine sacrificaverint: negat Ebionita se illis credere: & quid mea refert, inquiunt, ubi semel Evangelium allatum est, quæ in Lege continentur evolvere?* Meritò itaque illos redarguit Epiphanius: *Unde nam igitur tenes, quæ ad Moysen Abrahamumque pertinent? Novi enim à vobis justos illos prædicari; iisque vos parentibus gloriari. Ad hæc ita respondent: sibi id à Christo patefactum. Ergo bonam Legis partem contumeliosè traducunt: & Samsonem, Eliam, Elisæum cæterosque respuunt*. His ad rem præsentem addo: Vos Ebionæi ab exemplo Patriarcharum, qui carnes comedebant, receditis, quia Evangelio stare vultis: sed Evangelium de Joanne quidem dicit: *Venit non manducans neque bibens*. At de Christo dicit: venit manducans atque bibens: cur ergo relinquitis Christum, ut sequamini Joannem? Aut si hunc sequi vultis, cur similiter, ut de illo dicitis, ab omni prorsùs cibo & potu & vos non abstinetis? Quis spiritum vertiginis in his manifestè non videt?

VII. Ex dictis liquet, quòd Ebionæi Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Moysen & Aaronem admittebant (quoad ea tamen, quæ sibi placebant) unà cum Jesu, quem Moysis fuisse tantùm successorem dicebant, nec quidquam ampliùs. Alios verò, puta Da-

Davidem, Salomonem, Esaiam, Jeremiam, Danielem, Ezechielem, Eliam, Elisæum ac Prophetas vel execrabantur vel deridebant. Solum Christum veritatis esse Prophetam & Dei Filium progressione quâdam virtutis & conjunctione quâdam cum Deo factum, non tamen Deum asserebant: Prophetas verò, non veritatis sed intelligentiæ esse arbitrabantur. Hæc ex Epiphanio n. 18.

VIII. Rejectis ferè omnibus sacris Libris, ut suis mendaciis auctoritatem conciliarent Ebionæi, alios libros sibi suisque fabulis accommodatos confinxere. *Apostolorum* (inquit Epiphanius num. 16.) *alios Actus circumferunt, in quibus plurima sunt impietatis illorum vestigia, ejusque potissimùm auctoritate libri ad oppugnandam veritatem armantur*. In eo sub Jacobi nomine contra Sacrificia & contra Paulum plurima impia, quin & stolida, inseruerant. Alios quoque libros velut à Jacobo, Matthæo, aliisque Discipulis editos, suisque fabulis aptatos evulgabant; miscentes etiam nomen S. Joannis Evangelistæ, quasi ea, quæ in Evangelio de Divinitate Christi scripserat, retractasset (ex Epiph. n.23.). Celebris apud illos erat Liber, quem Petri Circuitus seu Itinerarium vocitabant, & à Clemente I. Papa conscriptum; in quo teste Epiphanio n.15. paucis veris relictis cætera supposuerunt, quæ Clemens ipse redarguit. Nam Clemens Virginitatem edocuit, illi repudiarunt; Clemens Eliam, Davidem, Samsonem, cæterosque Prophetas commendat; illi detestabantur. Ibi de Petro dicebant, quotidie ipsum castimoniæ causâ lavisse, quod & ipsi faciebant. Eum ab animatis omnibus, & carnibus, reliquoque omni quod carne constet abstinuisse, à quibus & ipsi abhorrebant.

Cumque (subdit Epiphanius dicto n.15.) *aliquem ex illis interrogaveris, cur tandem ab animatis sese contineant, aliud nihil præter hoc imperitum & insulsum excipies, quòd illa è corporum coitu concubituque gignantur, se idcirco non vesci. Ex quo illud consequens est, hos ipsos qui ex eodem viri feminæque complexu nati sunt abominandos esse, si vera sunt, quæ ex ore suo stultè ac ridiculè vomuerunt*. Hæc Epiphanius. Quibus & istud adderem: Si abominabilia sunt, quæ ex viri & feminæ coitu gignuntur, cur omnes ad talem concubitum ineundum, ut dixi, compellunt? cur abstinentiam ab eo & Virginitatem condemnant? Meritò igitur Gelasius I. in Conc. Rom. anno 494. inter alia rejecit *Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur Sancti Clementis (Libri octo) Apocryphum*. Concludam ergo ad Ebionitas aliosque similes prælusisse S. Judam in sua Epist., quam meo Lectori percurrendam relinquo.

CA-

CAPUT IX.

De Valentinianis, eorumque erroribus.

§. I.

Valentini genus, fortuna, & erroris occasio.

I. Valentiniani quemdam nomine Valentinum habuere auctorem. De hujus patria & stirpe Epiphanio teste Hæres. 31. n. 2. nihil certi è veteribus statui potest. Irenæus qui hanc hæresim fusè pertractat, hoc silentio premit. Epiphanius tamen ibi dicit, se ex auditione & fama sola, quæ tamen dubium non tollat, didicisse, eum origine Phrebonitem seu Pharbætitem, ex Ægypti quadam orâ mari proximâ extitisse, quam alii vocant *Ptenethu* ex Plinio L. 5. cap. 9. Sed quidquid sit; credere par est, eum fuisse ingenio nimiùm fervido & elato, novæ hæresi condendæ aptato. Ut enim ait S. Auguſt. in Pſal. 124. n. 5. *Non fecerunt Hæreses nisi magni homines: sed quantùm magni, tantùm mali montes*: quia naturalibus donis sibi à Deo datis ut ei ardentiùs servirent, abusi sunt ut contra Deum bellum moverent. Et S. Hieronymus in cap. 10. Oseæ: *Nullus*, inquit, *potest hæresim statuere, nisi qui ardentis ingenii est, & habet dona naturæ, quæ à Deo artifice sunt creata. Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctissimos legimus.*

Alexandriam profectum ibi studia sua in humanioribus literis, & Græcorum scientiis Valentinum peregisse, putat Epiphanius n. 2.. Philosophiæ Platonicæ maximè addictum scribit Tertullianus L. de Præscript. cap. 7. & 30., eam enim Gnosticorum secta præ cæteris amplectebatur. Cùmque in Ægypto, & præsertim Alexandriæ plurimi Judæorum eo tempore essent, putat Buddæus in Dissert. de Hæres. Valentini, eorum Philosophiâ qualis tunc erat fuisse imbutum. Clemens Alexandr. L. 7. Strom. refert, discipulos ejus, ut Magistrum commendarent, gloriatos fuisse, eum præceptorem habuisse Theodadem, seu Theudadem quemdam B. Pauli Apostoli discipulum. Sed quis & qualis fuerit ille Theodades, & quanta fides suspectorum hominum narrationi debeatur, non satis constat.

II. De tempore, quo vixit, ac hæresim spargere cœpit, controversia non modica est. Si admittamus, Valentinum habuisse Theodadem S. Pauli discipulum præceptorem, &, ut aliqui putant, hæ-

hæresim suam dum S. Joannes adhuc in vivis esset spargere cœpisse, oportebit eum facere antiquiorem. At S. Epiphanius num. 2. Valentinum non solùm Cerintho & Ebione, sed & Basilide ætate posteriorem facit. S. Clemens Alexandr. L. 7. Strom. illum cum Basilide conjungit, & aliis qui circa tempora Hadriani & Antonini Senioris emerserunt. Consummatâ enim sub Tiberio & Nerone doctrinâ Apostolorum, addit: *Inferiùs autem circa tempora Hadriani Imperatoris fuerunt, qui hæreses excogitarunt, & pervenerunt usque ad ætatem Antonini natu majoris: sicut Basilides, etiamsi Glauciam sibi adscribat Magistrum, ut ipsi gloriantur, qui fuit Petri Interpres. Similiter autem Valentinum quoque dicunt audivisse Theodadem, qui fuit Pauli familiaris. Marcion enim cum natus esset eâdem, quâ ipsi, ætate, versabatur ut senex cum junioribus.* Ita Clemens. Constituisse hæresim suam temporibus Antonini primi, putat Theodoritus L. 1. Hæret. Fab., vel circa illa, ut existimat Tertullianus L. de Præscr. cap. 30.: cùmque Antoninus imperare cœperit anno 140. vel circa; difficile multis non videtur componere, quòd Valentinus Theodadem Pauli familiarem magistrum habuerit, & quòd viris Apostolicis coævus fuerit.

III. Initio fuisse Catholicum, vel saltem talem se exteriùs manifestasse, creditur. Ejus tamen, sicut & multorum, exitii causa ambitio fuit. Cùm enim spiritu, eloquentiâ & scientiâ emineret, spem Episcopatus conceperat. Sed cùm alter prærogativâ martyrii illustris ei prælatus fuisset, indignatio & vindicta eum extra Ecclesiam asportarunt, eique errores instillarunt, quibus ejus veritates aggrederetur. Ita Tertullianus L. contra Valentinianos cap. 4. *Speraverat Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (ut solent animi pro prioratu exciti præsumtione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem, & cujusdam veteris opinionis semini actu colubroso viam delineavit.* Utinam hujus exemplum imitati non fuissent, & adhuc non imitarentur alii, qui spe aliquâ honoris & gradus frustrati, Ecclesiæ Catholicæ terga verterunt, & vertunt! Semen erroris quod excitavit Valentinus fuisse hæreses Basilidis & Gnosticorum, probabile est, quibus multas fabulas de suo adjunxit. Ita sentiunt Irenæus L. 1. cap. 5., & L. 2. cap. 18., & Epiphanius Hæres. 3. num. 1.

IV. Indignatus ergo de Episcopatu non obtento, Valentinus errorum suorum semina in Ægypto jacere cœpit, quorum progressu temporis reliquiæ, teste Epiphanio n. 7., versùs finem Seculi IV. Alexandriæ in Thebaide, & aliquibus Ægypti partibus adhuc germi-

minabant ad mortem. Romam deinde sub Hygini Pontificatu, qui anno 139. exorsus ad annum 143. desiit, profectus est. De hoc ejus itinere loquitur Eusebius in anno tertio Antonini, Christi verò 140. Talem autem præfatis in locis pietatis speciem adhuc retinebat, ut tanquam Catholicus haberetur. *Siquidem* (ait Epiphanius dicto num. 7.) *hactenus partem pietatis aliquam sinceræque fidei retinere illis in locis videbatur*. Sed venenum quod corde gestabat diù detinere non potuit; vanis enim curiositatibus & nugis, Fidelium animos turbare, eisque scandalo esse cœpit; adeò ut detectus, Româ expulsus fuerit: nimirùm S. Pii Hygini successoris Pontificatu ineunte, quòd anno 143. consignat S. Hieronymus in Chronico. Alii tamen de anno dissentiunt, ut infra dicam.

V. Porrò tantum abfuit, ut errores suos Valentinus ejurarit, quin apertâ fronte eos promulgare cœpit. In Cyprum enim profectus ad extremum impietatis ibi prolapsus est. Ita Epiphanius n. 7. *Sed ad Cyprum delatus, fidei naufragium, velut corporis fuisset, ibidem passus, animum omninò depravavit*: & ubi ut dixi in Ægypto, & Romæ speciem pietatis & fidei simulans, errores quos mente conceperat, saltem palàm non prodiderat; *in Cypro verò ad extremum impietatis prolapsus est, seque in eam quam tuetur flagitiorum disciplinam altiùs immersit*. Idem dicit Philastr. hæresi 38.

VI. De tempore, quo hæresis hæc cœpit in apertum prosilire, inter Eruditos non modica disceptatio est, aliquibus seriùs, aliis citiùs eam erupisse volentibus. Serpere enim cœpisse in Ægypto & Romæ sub Hygino quasi per cuniculos cum Epiphanio certum teneo. Unde probabiliùs censeo, tunc palàm evulgari cœptam, cùm Valentinus auctor anno 143. Româ pulsus, & in Cyprum profectus, exutâ pietatis larvâ in extremum impietatis prolapsus est. Cùmque in Ægypto, & fortè etiam Romæ secretos discipulos reliquisset, brevi tempore adeò diffusa fuit, ut S. Justinus Martyr qui anno 155. sub Antonino Dialogum cum Tryphone conscripsit, inter sectas, quæ tunc grassabantur, Valentinianam recensere potuerit; & S. Polycarpus Romam veniens Aniceto Pontifice, qui post annum 157. usque ad 168. Ecclesiam rexit, multos ibi Valentinianos ad Fidem reduxit. Quo medio tempore puta anno 160. Valentinus obiisse fertur. Et sic verificatur quod ait Irenæus L. 3. cap. 4. *Valentinus venit Romam sub Hygino, increvit verò sub Pio, & prorogavit tempus usque ad Anicetum*. Quibus fit, Valentinum è Cypro Romam rediisse. Unde Tertull. L. de Præscr. cap. 30. Valentinum tempora Antonini, qui anno 161. decessit, fuisse transgressum non scribit. Hâc viâ componi possunt ea, quæ discipuli ejus glorianter dicebant, nempè Valentinum habuisse Theoda-

dadem Pauli Discipulum Præceptorem. Si enim ponamus eum anno Christi 160. mortuum & anno 85. natum ac proinde mortuum septuagenario majorem, componere possumus, eum viris Apostolicis fuisse coævum, & Theodadem habuisse magistrum. Quis enim credat discipulos ejus, licèt mendaces, tam præfractæ frontis extitisse, ut magistrum suum à Pauli discipulo institutum jactare ausi fuissent, eâ præsertim ætate, quâ mendacium ab Apostolicis viris adhuc superstitibus redargui potuisset?

VIII. Non verbo tantùm sed & scripto dogmata sua protulit Valentinus. Varias ab eo scriptas Epistolas refert Clemens Alexandrinus, earumque fragmenta refert Lib. 2. Strom. pag. 375. & 409., Lib. 3. pag. 450., & Lib. 4. pag. 450. Harum posteriorem dicit fuisse scriptam ad quendam Agathopodem; quibus inscriptæ essent reliquæ, prætermisit. Lib. 4. pag. 509. affert fragmentum ex quadam ejus homilia, in qua promittit suis immortalitatem, & ex altera Lib. 6. pag. 641. de *Amicis* inscripta. Psalmorum Valentini meminit Tertullianus Lib. de Carne Christi cap. 20., quorum tamen nullum prodit vestigium: sed solùm ibid. cap. 17. irridet quemdam Alexandrum, qui Valentini Psalmis, quasi idonei alicujus auctoris, in suis disputationibus utebatur. Idem Lib. de Præscr. cap. 49. dicit, quòd Valentinus *Evangelium habet etiam suum præter hæc nostra*. Sed præterquam quod posteriora novem capita hujus libri non esse Tertulliani sed alterius Junioris, censent Eruditi, ex eodem Tertulliano exponi potest, Valentinum habuisse Evangelium suum, non quidem à se editum, sed Evangelium fecisse suum pravis expositionibus, ad suum argumentum illud trahendo. Ita verus Tertullianus explicat cap. 38. ejusdem Libri. Quod tamen Valentinus non fecit, ejus discipulos fecisse dicit Irenæus Lib. 3. cap. 11. num. 9.: in tantum siquidem processerunt audaciæ, ut novum Evangelium, quod *Veritatis* appellabant, sibi confingerent. Extat etiam apud Epiphanium num. 5. fragmentum, quod ex aliquo Valentini Libro excerptum aliqui putant; sed non Valentini fuisse Librum illum, indicat Epiphanius ipse, quin potius Valentinianorum.

§. II.

Valentini errores de Deo, Mundo, Homine &c.

I. Valentinus tot fabulis catholicam veritatem corrupit, ut singulas referre, molestum nimis imò & superfluum pluribus videatur. Quamvis autem, ut dixi, ingenio perspicax es-

 set,

ſet, non omnes tamen ipſe primus confinxit, ſed plurium ideam à Poetis & Philoſophis, quorum ſtudioſiſſimus erat, ut Pythagora, Platone, Heſiodo, aliiſque paganis, imò & hæreticis qui ante ipſum fuerant, efformavit. Quod fusè demonſtrat S. Irenæus Lib. 2. cap. 19. (modò 14.) & Tertullianus Lib. de Præſcript. c. 7. ubi oſtendens Valentinum & alios hæreticos à Philoſophia ſubornatos, concludit: *Hinc illæ fabulæ & genealogiæ indeterminabiles, & quæſtiones infructuoſæ, & ſermones ſerpentes velut cancer, à quibus nos Apoſtolus refrænans* (1. ad Tim. 1., ad Titum 3., 2. ad Tim. 2.) *nominatim Philoſophiam teſtatur caveri oportere, ſcribens ad Coloſſenſes* (cap. 2.) *Videte, ne quis vos circumveniat per Philoſophiam & inanem ſeductionem ſecundum traditionem hominum præter providentiam Spiritus Sancti.* Monitum quidem ſalutare, ad quod reſpicere debent quidam etiam Catholici recentiores, qui Carteſio, Epicuro, aliiſque Philoſophis nimiùm addicti, in Theologicis veritatibus juxta Fidem exponendis à communi Eccleſiæ ſenſu recedere videntur. Specialiter tamen ab Heſiodo ſuas fabulas de 30. Æonibus Valentinum hauſiſſe, obſervat Epiphanius Hæreſ. 31. n. 2.

II. Præcipuos Valentini errores ex Philaſtro & S. Auguſtino breviter perſtringam. Philaſter ergo Hæreſ. 31. hæc habet: *Valentinus quidam ſurrexit Pythagoricus magis quàm Chriſtianus, vanam quandam ac pernitioſam doctrinam eructans, & velut arithmeticam, ideſt numeroſitatis novam fallaciam prædicans, multorumque animas ignorantium captivavit. Et in primis quidem fuit in Eccleſia: elatior autem factus poſtmodum errore non parvo deceptus eſt, degenſque in Cypri Provincia cœpit hoc definire: Nihil erat aliud ante, inquit, in Mundo niſi Profundum maris & ſilentium, quod Poetæ Chaos adſerunt, deque hoc Profundo & ſilentio educens proceſſiſſe Intellectum, & Veritatem: de Intellectu autem & Veritate Verbum & Vitam: de Verbo autem & Vita Hominem & Eccleſiam: de Homine autem & Eccleſia proceſſiſſe duodecim Æonas, ideſt Sæcula: & de Verbo & Vita decem Æonas proceſſiſſe: de Intellectu autem & Veritate octo Æonas; & eſſe hanc* Triacontada *Sæculorum ideſt triginta Æonas. De Ogdoade ergo, & decade, & duodecade conſiſtere triginta Æonas delirat. Dicit autem Chriſtum à Patre, quem Profundum nomine appellat, ad totius mundi ſalutem fuiſſe dimiſſum, deque cœlo eum carnem detuliſſe, nihil autem accepiſſe de Sancta Virgine, ſed ut aquam per rivum, ita tranſiſſe per eam affirmat. Animam ergo ſolam ſalvari, corpus autem hominis non ſalvari arbitratur.* Hactenus Philaſter.

III. S. Auguſtinus verò Lib. de Hæreſ. cap. 11. aliqua addens: *Valentiniani*, inquit, *à Valentino, qui de natura rerum multa fabuloſa*

losa confinxit, triginta Æonas idest Sæcula asserens extitisse, quorum principium esse Profundum & Silentium, quod Profundum etiam Patrem appellat. Ex quibus duobus velut ex conjugio processisse perhibet Intellectum & Veritatem, & protulisse in honorem Patris Æonas octo. De Intellectu autem & Veritate processisse Verbum & Vitam, & protulisse Æonas decem. Porrò de Verbo & Vita processisse Hominem & Ecclesiam, & protulisse Æonas duodecim. Itaque octo & decem & duodecim fieri triginta Æonas, habentes ut diximus primum principium de Profundo & silentio. Christum autem à Patre missum, idest à Profundo, spiritale vel cœleste corpus secum attulisse, nihilque assumsisse de Virgine Maria, sed per illam tanquam per rivum, aut per fistulam sine ulla de illa assumta carne transisse. Negat etiam Resurrectionem carnis, solùm per Christum spiritum & animam salutem accipere affirmans. Hucusque editio Maurina. In ante editis verò additur: *De tricesimo sæculo dicit Diabolum genitum, & à Diabolo alios natos, qui fecerint hunc mundum. Et ideo malitiam non arbitrio tribuit, sed naturæ mundi, idest generi diabolico.*

IV. Hæc est Theologiæ Valentini de triginta Æonibus summa, quorum quindecim masculos quindecim feminas confingebat. Primum ac supremum omnium Patrem Profundum, seu Bython aliisque nominibus appellabat; huncque omnibus incomprehensibilem, ac invisibilem præter Nun seu Intellectum filium ejus Unigenitum, quem ex Silentio aliàs *Chari* seu *Sige* velut ex conjuge genuerat, ideoque Bythos Pater vocabatur. Hunc Nun sive Intellectum, etsi unicum, cum femina Aletheia nempe Veritate sociarunt. Ex his quatuor tanquam ex fonte cæteri Æones fluxere, nempe ex Intellectu & Veritate Verbum & Vita, seu Logos & Zoe: ex his Anthropos idest Homo & Ecclesia. Hi octo Æones inter cæteros præcipui erant. Verbum & vita ut Patrem summum glorificarent, decem alios Æonas produxerunt. Homo & Ecclesia alios duodecim. En triginta Æonum genealogia tot aliis fabulis involuta, ut in eis sigillatim exponendis Lectorem detinere æquum non duxerim. Qui tamen plura optaverit, adeat Irenæum Lib. 1. c. 1. & seq., Epiphanium Hæres. 31. num. 5., ubi ex Valentiniano libro totum refert; ex recentioribus autem Alexandre Hist. Eccl. Sæc. 2. cap. 2. a. 6. & dissert 15., Massuet Dissert. 1. in Lib. S. Irenæi n. 5., Fleury Hist. Eccl. tom. 1. Lib. 3. n. 27. Solùm dicam, quòd ut huic fabulæ aliquam apparentiam veritatis accommodarent Valentiniani, dicebant (ex Epiphanio num. 10.) hanc esse causam, cur Salvator usque ad tricesimum annum palam egerit nihil, ut hoc Æonum mysterium indicaret. Quin etiam in parabola Operariorum, qui Matth. 20. ad colendam vineam mittuntur, triginta

Æonas significari asserebant. Etenim alii circiter horam primam missi sunt, alii tertiam, sextam alii, ac nonam, & postremò undecimam: quæ omnes inter se conflatæ tricenarium complent. Sed tempus in aliis nugis terere non vacat. Nunc ad potiora transeo.

V. Ex his apparet 1., præcipuum hujus hæresis scopum fuisse unius Dei, Creatoris Cœli terræ & omnium quæ sunt, Divinitatem tollere, & loco ejus triginta Æonas statuere in tres classes, in octo, decem, ac duodecim dividere. Ponebant quidem tanquam primum omnium Æonum principium Bython, seu Profundum, quem vocabant Patrem invisibilem, & incomprehensibilem; sed ei sociam & velut conjugem jungebant Sigen, seu Enneam, idest Silentium; cum qua & ex qua velut congressu maritali produxerat Nun idest Intellectum, & Aletheiam idest Veritatem. Nun autem æqualem fuisse ei qui eam emiserat, ac solum capientem magnitudinem Patris, & ex eo processisse Verbum asserebat; & in hoc videbatur accedere ad ea quæ S. Joannes cap. 1. sui Evangelii de generatione Verbi describit. Sed nimiùm in hoc aberrabat. Tum quia S. Joannes Verbum à solo Patre immediatè genitum asserebat; iste autem Patri sociam & veluti conjugem tribuebat Sigen, nec immediatè ab eis processisse, sed mediante Intellectu & Veritate prius genitis: unde Bythos non pater, sed potius avus Verbi dici debebat. Tum quia S. Joannes dicit, quòd per Verbum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil; Valentinus autem dicebat quidem, à Verbo processisse Hominem & Ecclesiam, sed cetera Demiurgo cuidam Deo seu Bythoni minori, quem Creatorem appellabat, tribuebat; ut ex Irenæo Lib. 1. cap. 5.

VI. Hinc in sensu Valentini apparet, duos primos Deos, ex quibus omnes alii processere, nimirùm Profundum seu Bython, & Silentium seu Sighen, unum masculum, feminam alteram quasi maritali congressu posteriores genuisse. Hinc aliqui, inter quos Ruffinus Lib. 1. adversus Hieronymum, putarunt, Valentinum ejusque asseclas hæresi Anthromorphitarum prælusisse, qui Deum corporeum, humanisque indutum membris descripserunt.

VII. Mundi fabricam Demiurgo tribuebat: hunc conditorem & opificem omnium quæ post ipsum extitere asserebat. Patrem illum ac Deum constituebat omnium extra Pleroma, seu Universitatem existentium, omniumque animantium, & rerum materialium. Ajebat, Demiurgum putasse vi propriâ se cuncta perfecisse, cùm interim Achamoth ejus mater universa produceret: ille verò ita cœlum moliretur, ut cœlum omnino nesciret; ita hominem formaret, ut hominem ignoraret. Demiurgi opus etiam diabolum

lum esse dicebat, quem Mundi principem vocabat, illumque superiorum magis gnarum dicebat, utpote spiritualem, quàm Demiurgum qui animalis esset.

Absolutâ mundi fabricâ luteum hominem à Demiurgo factum fabulabatur, non ex terra, sed ex materia quadam philosophica, & invisa substantia, & in hominem illum suo afflatu animatum spiritalem halitum infudisse. Hominum tamen triplex genus statuebat: Pneumaticum, Psychicum, & Hylicum, seu Choicum. Pneumatico, seu spirituali homini tribuebat animam naturâ bonam; eum tam perfectum esse statuebat, ut omnes judicare, ipse autem à nemine judicari possit, omniaque scelera & flagitia impunè perpetrare, quia mundis omnia munda. Non æquè tamen id licere homini Psychico, idest animali, opinabatur, sed ei bona opera necessaria esse, cùm hoc genus hominum imperfectum sit. Hylico autem seu materiali animam naturâ malam tribuebat. Primi igitur generis homines peccare ac perire non posse, sed post mortem bonis Angelis consociari. Ultimi generis homines naturâ malos ad exitium conditos. Medii autem generis pro diversa vitæ ratione, vel salvari, vel exitium promereri posse, asserebat, & propter hos venisse Christum. Exemplum hominis Hylici seu Choici ideſt terreni in Chaino, Psychici in Abele, Pneumatici ideſt spiritualis in Seth proponebat. Ita Irenæus L. 1. c. *6.* & Tertullianus Lib. adv. Valentinianos cap. *29*.

VIII. Hinc Pneumaticos seu spirituales homines se solos jactabant Valentiniani, Catholicos verò Psychicos ideſt animales appellabant: idcirco istis esse quidem necessaria fidem & bona opera ad salutem, sibi verò mysteriorum cognitionem sufficere. Unde Irenæus citato loco ait: *Esse autem hos* (ideſt Psychicos) *nos, qui sumus ab Ecclesia, dicunt. Quapropter & nobis quidem necessariam esse bonam conversationem respondent; aliter enim impossibile esse salvari: semetipsos autem non per operationem, sed eo quòd sint naturaliter spiritales, omni modo salvari dicunt. Quemadmodum enim Choicum impossibile est salutem percipere* (*non enim esse illum capacem salutis dicunt*) *sic iterum quod spiritale* (*quod semetipsos esse volunt*) *impossibile esse corruptelam percipere, licèt in quibuscumque fuerint factis. Quemadmodum enim aurum in cœno depositum non amittit decorem suum, sed suam naturam custodit, cùm cœnum nihil nocere auro possit: sic & semetipsos dicunt, licèt in quibuscumque materialibus operibus sint, nihil semetipsis noceri, neque amittere spiritalem substantiam*. Eadem habet Epiphanius Hæref. 31. n. 20.

IX. Hac impiâ doctrinâ statutâ in omne flagitium impunè ruebant (inquiunt præfati Patres) tanquam si pro ipsis non esset di-

ctum Galat. 5. v. 21. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Nam* (prosequitur Irenæus) *& ea quæ Idolis immolata sunt, liberè ac sine ullo discrimine edunt, nec iis inquinari se arbitrantur: atque ad omnia gentilium festa & oblectamenta, quæ ad Idolorum honorem cultumque celebrantur, primi confluunt: adeò ut nonnulli eorum ne à sanguinario quidem ac funesto, Deoque & hominibus inviso spectaculo, in quo cum feris dimicatur, vel gladiatores inter se pugnant, abstinendum sibi esse putent. Sunt etiam qui carnis voluptatibus ad satietatem usque obsequentes carnalia carnalibus, & spiritualia spiritualibus persolvi ajunt. Quin etiam ipsi partim occultè cum mulierculis illis, quas in doctrina sua erudiunt, stupri commercium habent, quemadmodum ipsæ sæpè à quibusdam ipsorum circumventæ, atque in fraudem impulsæ, ac postea ad Dei Ecclesiam reversæ, cum reliqua suo errore hoc quoque confessæ sunt: partim apertè, perfrictáque fronte quascumque adamarunt mulieres, eas à viris avulsas matrimonio sibi copulant. Alii rursus cùm honeste primum, velut cum sororibus habitare se finxissent, progrediente tempore deprehensa fraus est, gravidâ nimirùm à fratre factâ sorore.* Hactenus Irenæus; ac similiter Epiphanius.

X. Hi erant, qui se solos spirituales esse gloriabantur, omnibus carnalibus immunditiis polluti, cæteros & præcipuè Catholicos animales vocabant, & cùm ipsi brutis animalibus turpiorem vitam ducerent, gratiâ inamissibili se indutos prædicabant: quam cum amittere possent qui è suo cœtu non erant, idcirco his continentiam & cætera bona opera necessaria esse, ut ad mediocrem regionem post mortem efferantur, non sibi, qui utpote spiritales homines, postquam animas exuerint, & ad spirituum purarumque mentium conditionem evaserint, nullo detinente ad Pleroma idest ad Æonum cœtum ascenderent, & nemine prohibente cum Angelis collocarentur. Hisce & aliis insaniis Valentiniani plures decipiebant, à quibus refutandis abstineo; nam eas vel enarrasse refutasse est. Unde meritò se Gnosticos, de quibus supra, vocitabant.

§. III.

Errores de Christo, ejus conceptu, ortu &c.

I. DE Christo mirum est quot blasphemias Valentiniani evomuerint. In primis enim, referente Irenæo in Præfat. Libri 4. adv. hæreses, dividebant *Jesum à Christo, & Christum à Salvatore, & Salvatorem rursum à Verbo, & Verbum ab Unigenito.* Eundem tamen esse Jesum & Christum & Salvatorem & Verbum

bum & Unigenitum Dei Patris, probat Irenæus ibi cap. 1. & 2., ostendens Unum solum Deum esse omnium conditorem, quem Christus Patrem suum esse dicebat. Rursùs asserebant Christum ex quadruplici substantia compactum fuisse. Ex spiritali, quæ erat ab Achamoth (quam Demiurgi parentem fabulabantur); ex animali, quæ erat à Demiurgo; ex ea, quam œconomiæ seu salutis humanæ causâ procurandæ assumsit, corporeâ quidem quæ sensus afficere posset, sed à crassiori materia defœcatâ, & purâ: ac demum ex superno Salvatore, qui in eum sub specie columbæ descendit, ejusque mentem, cùm baptizatus fuit, de Pleromatis mysteriis informavit, eique unitum dicebant unione non hypostaticâ, sed morali. Ex hac tamen quadruplici substantia unam naturam in Christo consurgere asserebant. Unde apud Photium Cod. 230. pag. 850. Valentinus de Catholicis, quos *Galilæos* vocat, inducitur dicens: *Galilæos duas in Christo naturas dicentes risu copioso excipimus: nos verò visibilis & invisibilis unam naturam esse dicimus.*

II. Ex his inferebant 1., Christum à Maria nihil accepisse, sed per eam veluti aquam per fistulam transisse. Cùm enim hylicum seu materiale nihil susciperet, sed corpus ab eo quod omnium hominum est procul diversum; ab ea mutuari nihil potuit, nec in ejus utero formari, ex qua nullum nisi hylicum, & illi simile corpus poterat generari. Et hic erat Valentinianorum palmaris error, de quo infra. Secundò, Salvatorem nihil pati potuisse, cùm nec Christo Jesu verè unitus esset, nec suâpte naturâ passibilis & visibilis. Sed cùm Jesus coram Pilato sisteretur, statim in Pleroma evolasse. Tertiò, solam passam fuisse animalem substantiam, quam Christus œconomiæ causâ susceperat solerti artificio compactam. Sic totum Incarnationis Mysterium evertebant. De origine Domini Jesu inter se dissidebant. Unde Tertullianus Lib. adv. Valentin. cap. 39. *De ipso*, inquit, *jam Domino Jesu quanta diversitas scinditur? Hi ex omnium Æonum flosculis eum construunt. Illi ex solis decem constitisse contendunt, quos sermo & vita protulerunt. Inde & in ipsum sermonis & vitæ concurrerunt flosculi* (idest nomina) *Illi ex duodecim potiùs, ex Hominis & Ecclesiæ fœtu: ideoque filium hominis avitè pronuntiatum: alii à Christo & Spiritu Sancto constabiliendæ universitati provisis confictum, & jure paternæ appellationis hæredem. Sunt qui filium hominis aliundè conceperint dicendum: quamquam ipsum Patrem pro magno nominis sacramento Hominem appellasse præsumserint.* Ita Tertullianus. Ex quibus vides, quòd etsi convenirent omnes, Christum nihil ex Maria accepisse; unde tamen acceperit corpus, invenire non poterant.

III. Ca-

III. Catholica tamen & vera Fides est, ac semper fuit, Christum unicum ac verum Dei Patris filium ac Verbum, Corpus non aliunde, quàm ex Mariæ matris carne traxisse. Hanc veritatem statui Tom. 1. in 3. p. Qu. 5. de Natura assumta Dub. 2. §. 1.; eamque ex Scripturis & rationibus S. Thomæ probavi, & argumenta contraria dissolvi: quæ videri possunt. Modò aliqua addam ex Patribus. Et quidem primò ex Irenæo L. 3. c. 32. (modò 22.) ubi: *Si enim*, inquit, *non accepit ab homine substantiam carnis; neque homo factus est, neque filius hominis: & si hoc non factus est quod nos eramus, non magnum faciebat quod passus est & sustinuit*. Et infra: *Cæterum supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumsisset ex Maria, nunquam eas, quæ à terra erant percepisset escas, per quas id quod à terra sumtum est, nutritur corpus: nec quadraginta diebus, quemadmodum Moyses & Elias, jejunans esurisset corpus ejus, suam quærens escam: sed nec Joannes discipulus ejus de eo scribens dixisset*: „ Jesus autem fatigatus in itinere, sedebat „: *nec David præclamasset in eum*: „ Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt „: *nec lacrymasset super Lazarum, nec sudasset globos sanguinis, nec dixisset* „ tristis est anima mea „: *nec percusso latere exisset sanguis & aqua. Hæc enim omnia signa carnis, quæ à terra sumta est, quam in se recapitulatus est suum plasma salvans*. Hæc Irenæus; qui subinde ostendit, propter hoc Lucam genealogiam Jesu usque ad Adam contexuisse, ut indicaret Jesum ab eo traxisse carnem.

IV. Quòd si dicant, ut supra, præfata omnia passum fuisse secundum animalem substantiam, quam œconomiæ causâ suscepit, non secundum spiritalem: petam ab eis. Hæc animalis substantia, quam assumsit, eratne vera substantia, an solum apparens? Si hoc secundum: ergo totum Incarnationis & Passionis opus fuit mera apparentia, quæ est alia hæresis quam supra tetigi, & inferiùs in Manichæis refutabo. Si primum dicant: quæram: unde hanc veram animalem substantiam traxit? Non certè ab Æonum pleromate, à quibus spiritualis substantia fluxit; unde ergo nisi à Maria matre, ex qua conceptum & natum dicunt Scripturæ? Cùmque ut supra ipso Valentino asserente, natura animalis in Christo & spiritalis una natura sit, fiet, integram humanam naturam Christi à Maria ortum suum duxisse.

V. Secundò, ex Tertulliano Lib. de Carne Christi cap. 20. qui Valentinianos ita aggreditur: *Per Virginem dicitis natum, non ex Virgine; & in vulva, non ex vulva. Quia & Angelus in somnis ad Joseph*: „ Nam quod in ea natum est, *inquit*, de Spiritu Sancto est:

eſt „: *non dixit* ex ea: *nempè tamen etſi* ex ea *dixiſſet*, in ea *dixerat: In ea enim erat quod ex ea erat. Tantumdem ergo & cum dicit*, in ea, & ex ea *conſonat*: *quia ex ea erat quod in ea erat. Sed benè, quòd idem Matthæus originem Domini decurrens ab Abraham uſque ad Mariam*: „ Jacob, *inquit*, generavit Joſeph virum Mariæ ex qua naſcitur Chriſtus „. *Sed & Paulus Grammaticis iſtis ſilentium imponit*. „ Miſit, *inquit*, Deus filium ſuum factum ex muliere „. *Nunquid per mulierem, aut in mulierem? Hoc quidem impreſſiùs, quòd factum potiùs dicit, quàm* natum: *ſimpliciùs enim enuntiaſſet natum. Factum autem dicendo, & Verbum caro factum eſt, conſignavit, & carnis veritatem ex Virgine factam adſeveravit*. His unum ex præcipuis Valentinianorum fundamentis Tertullianus evertit.

VI. Rursùs cap. 22. eos provocans: *Accedant*, inquit, *adhuc cominiùs ad congreſſum*. „ Ecce, *inquit* (Iſaias cap. 7.) Virgo concipiet in utero „. *Quidnam? Utique Dei Verbum, non viri ſemen; certè ut pareret filium*: *nam*, & pariet, *inquit*, filium. *Ergo ut ipſius fuit concepiſſe, ita ipſius eſt quod peperit: licèt non ipſius fuerit quod concepit. Contra, ſi Verbum ex ſe caro factum eſt, jam ipſum ſe concepit, & peperit, & vacat Prophetia; non enim Virgo concepit neque peperit, ſi non quidquid peperit ex Verbo concepto caro ipſius eſt ſola. Hæc autem Prophetæ vox evacuabitur? An & Angeli conceptum & partum Virginis annuntiantes? An & omnis jam Scriptura quæcumque Matrem pronuntiat Chriſti? Quomodo enim Mater, niſi quia in utero ejus fuit; ſed nihil ex utero ejus accepit, quod Matrem eam faceret, in cujus utero fuit? Hoc nomen non debet caro extranea. Matris uterum non appellat, niſi filia uteri caro. Filia uteri porrò non eſt, ſi ſibi nata eſt. Tacebit igitur & Elizabeth Prophetam portans jam Domini ſui conſcium infantem, & inſuper Spiritu Sancto adimpleta. Sinè cauſa enim dicit: Et unde mihi ut Mater Domini mei ad me veniat? Si Maria non filium, ſed hoſpitem in utero geſtabat Jeſum, quomodo dicit: Benedictus fructus uteri tui? Quis hic fructus uteri, qui non ex utero germinavit, qui non in utero radicem egit, qui non ejus eſt, cujus eſt uterus? Et qui utique fructus uteri? Chriſtus*. His & aliis hanc hæreſim verè jugulat Tertullianus; & concludit: Si Chriſtus eſt ex lumbis David, ideſt ex poſteritate carnis ejus, *quantò magis ex lumbis Mariæ, ob quam in lumbis eſt David?* Multa alia in ſequentibus habet, quæ Studioſis relinquo.

VII. Neque oberat, quòd dicerent primò. Quòd ſi Chriſtus terrenam carnem ex Maria ſumſiſſet, deterioris conditionis fuiſſet quàm Angeli, qui omnis terrenæ carnis ſunt expertes. Rursùs:

Si caro Christi ejusdem conditionis fuisset ac nostra, eandem habuisset nativitatem, nimirum ex voluntate carnis, & voluntate viri, non ex Deo & Spiritu Sancto. Hoc non dicimus: ergo &c.

VIII. Respondeo ad utrumque ex eodem Tertulliano Lib. de Carne Christi. Ad primùm: Quòd Christus estò quà Deus Angelis superior esset, quà homo tamen paulominus fuit ab Angelis minoratus. Ita cap. 14 præfatæ objectioni respondens: *Sed cum* (inquit) *de Filio ipso sit pronuntiatum: Minuisti eum modicùm quid citra Angelos; quomodo videbitur Angelum induisse sic infra Angelos diminutus dum homo fit, quà caro & anima & filius hominis? quà autem Spiritus Dei & filius Altissimi non potest infra Angelos haberi, Deus scilicet & Dei Filius. Quantò ergo dum hominem gestat minor Angelis factus est, tantò nondum Angelum gestat.*

Ad secundùm idem Tertullianus cap. 16. ait: *Qui non putant, carnem nostram in Christo fuisse, quia non fuit ex viri semine, recordentur Adam ipsum in hanc carnem non ex semine viri factum: sicut terra conversa est in hanc carnem sinè viri nomine, ita & Dei Verbum potuit sinè coagulo in ejusdem carnis transire materiam.* Et inferiùs cap. 19. *Negans*, inquit, *ex carnis voluntate natum, cur non negavit etiam ex substantia carnis? neque enim quia ex sanguine negavit substantiam carnis renuit, sed materiam seminis, quam constat sanguinis esse calorem* &c. Notat hìc Alexandre Dissert. 15. Secul. 2.: Valentinianos textum S. Joannis interpolasse, ita scriptum esse contendentes: *Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate nec ex viri; sed ex Deo natus est.* Cum reverà scriptum sit: *sed ex Deo nati sunt*; atque ideo illa verba referantur, non ad Christum Filium Dei naturalem, sed ad Fideles justos & Electos, qui per gratiam filii Dei adoptivi sunt.

IX. Præterire tamen non possum, ex doctrina Valentinianorum colligi, Christum non venisse propter illos, nec Christo eos indiguisse. Cùm enim Christus venerit peccatores salvos facere, & oves quæ perierant revocare: ipsi autem se Pneumaticos idest spirituales vocitarent, atque ita in Gratia fixos, & de salute securos, ut nec bonis operibus indigerent, imò nullum etsi flagitiosum eis nocere possit; palam fit, eos in errore fuisse, Christum sibi nihil prodesse potuisse: sic nec è contrario Hylicis, seu hominibus materialibus naturâ malis & exitio destinatis: sed solùm venisse propter Psychicos, seu homines animales, quales reputabant Catholicos, qui per mala opera à gratia & salute excidere poterant. Affirmat hoc Epiphanius Hæres. 31. num. 20. his verbis: *Animale istud, quandoquidem libertate præditum est, quò ei salutem afferret, Salvatorem esse delapsum*, asserebant: quod firmat Irenæus Lib. 1. cap. 6.

§. IV.

§. IV.

Error de hominibus naturâ malis & naturâ bonis.

I. Ex hactenus dictis Valentinianos pluribus aliis erroribus inquinatos fuisse apparet. Posito enim, tria hominum genera condita esse, idest Pneumaticum, spiritale, animale idest Psychicum, & Hylicum seu Choicum idest materiale: Spirituale incapax mali, animale capax boni & mali, & materiale incapax boni, necessariò ponebant, ex illis duo esse animarum genera, unas nempè naturâ bonas, alias naturâ malas. Ita Irenæus Lib. 1. cap. 7. dicens: *Et ipsas autem animas rursùs subdividentes, dicunt quasdam quidem naturâ bonas, quasdam autem naturâ malas. Et bonas quidem has esse quæ capaces seminis fiunt, alias verò naturâ nequam nunquam capere illud semen.* Ex quo Epiphanius Hæref. 31. n. 23. *Præterea*, inquit, *animas iterum hoc modo dividunt. Quasdam enim naturâ bonas, alias naturâ malas esse. Bonas ejusmodi esse, quæ ad excipiendum semen idoneæ sunt: quod malæ nullo modo possunt percipere.* Hoc autem semen spiritale esse ab Achameth infusum dicebant. De hoc agit etiam Tertullianus Lib. adv. Valentin. c. 29.

II. Ex hoc etiam inferebant, homines aliquos naturâ salvari, hoc est sine fide & operibus, sed solâ cognitione, quâ imbuti erant. Hi autem erant homines Pneumatici & spirituales, quos dicebant esse naturâ bonos, cujus generis suæ sectæ homines esse jactabant. Ita Clemens Alex. Lib. 2. Strom. pag. 363. *Valentiniani autem, cùm nobis quidem simplicibus fidem tribuerint, sibi qui naturâ salvi fiunt, volunt esse cognitionem ab excellentis abundantiâ seminis, dicentes, eam esse longè magìs à fide separatam, quàm spiritale ab animali.* Et Irenæus Lib. 1. cap. 6. supra §. 2. num. 8. relatus. Quibus accedit Theodoritus L. 1. Hæret. Fab. his verbis: *Dicunt autem se quidem servari ex sola cognitione, nos autem ex fide & bona actione. Se autem operibus non egere, cùm ad salutem sufficiat cognitio. Quocirca qui sunt apud eos perfectissimi, quidquid est Divinis legibus prohibitum, securè & absque ullo metu perpetrant.* Ita qui se sapientes gloriabantur *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Roman. 1. v. 21.

Quòd si eis quis opposuisset Paulum 2. Cor. 5. v. 10. dicentem: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum:* Et ipsi respondissent, hæc & alia similia non pro ipsis, qui de spiri-

tualium genere erant, sed dicta esse pro aliis de animalium genere, quibus cùm necessariæ sint fides & operationes, ideo de illis judicandi erunt: si inquam ita respondissent, rogassem eos ut adverterent, S. Paulum dicendo *omnes nos manifestari oportet*, inter eos quos manifestari oportet ante tribunal Christi voluisse includere etiam semetipsum. Nunquid ergo etiam Paulum Apostolum ad animales homines rejicient? Apage insaniam! (& tamen fortè dicebant)

III. Huic tamen alteram adjungebant, nimirùm malitiam non arbitrio, sed naturæ mundi esse tribuendam. Ita S. Augustinus supra relatus §. 2. his verbis: *De trigesimo seculo Diabolum genitum & à Diabolo alios natos, qui fecerint hunc mundum. Et ideò malitiam non arbitrio tribuit, sed naturæ mundi, id est generi diabolico.* Contra arbitrii libertatem omnes ferè hæretici conjurarunt; Simon Magus facem prætulit ut cap. 1. §. 5. quem secuti fuere Gnostici, postea Manichæi, & alii. Et quidem solemne fuit hæreticis pro viribus arbitrii libertatem impetere, ut hâc sublatâ, malefacta & flagitia, quæ perpetrâbant, excusarent; quasi ea naturâ non vitio damnabili committerent. Et ideo non mirum si Valentiniani in suorum flagitiorum velamen hunc errorem afferrent. Nescio tamen, quomodo id cum eorum doctrina cohærere possit. Tria enim hominum genera ex sæpedictis statuebant: unum naturâ bonum, alterum naturâ malum, & medium potens esse bonum si bonas operationes faciat, malum verò si malas: ergo licèt in hominibus primi & secundi generis bonitas vel malitia, naturæ, non arbitrio voluntatis tribuenda sit; in hominibus tamen medii generis, quos Psychicos seu animales vocabant, & qui secundùm opera bona vel mala sortem suam habituri erant: *Animale verò* (ait Epiphanius num. 23.) *si se potioribus dediderit, in mediocri regione conquiescere, sin deteriora eligat, ad similia transferri.* Cum *electio* actus arbitrii sit, non video, quomodo saltem istud genus hominum libertate spoliare potuerint Valentiniani.

IV. Verùm quomodocumque hi desipuerint, omnes homines libertate arbitrii ad bonum & malum præditos à Deo conditos, nemo sanus mente negabit. Hoc inter multos ostendit Irenæus L. 4. cap. 71. (modò 37.) dicens: *Illud autem quod ait* (Matth. 23. v. 37.) „Quoties volui colligere filios tuos & noluisti„? *Veterem legem libertatis hominis manifestavit: quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam ad utendum sententiâ Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemad-*

quemadmodum & in Angelis: (etenim Angeli rationabiles) uti hi quidem qui obedissent, justè bonum sint possidentes, datum quidem à Deo, servatum verò ab ipsis. Qui autem non obedierunt, justè non invenientur cum bono, & meritam pœnam percipient: quoniam Deus dedit quidem benignè bonum, ipsi verò non custodierunt diligenter illud... Abjicientes igitur bonum & quasi respuentes meritò omnes justum judicium incident Dei &c.

Et infra: *Si autem naturaliter quidam boni, quidam verò mali facti fuissent, neque hi laudabiles essent qui boni sunt, tales enim facti fuerant; sed neque illi vituperabiles; & ipsi enim tales fuerant instituti. Sed quoniam omnes ejusdem sunt naturæ, & potentes retinere & operari bonum, & potentes rursum amittere id, & non facere; justè etiam apud homines sensatos (quantò magis apud Deum) alii quidem laudantur, & dignum percipiunt testimonium electionis bonæ & perseverantiæ: alii verò accusantur, & dignum percipiunt damnum, eò quòd justum & bonum reprobaverint.*

Insuper variis adductis probationibus ex Scriptura, maximè ex Evangelio subdit: *Qui autem his contraria dicunt, ipsi impotentem introducunt Dominum, scilicet quasi non potuerit perficere hoc quod voluerit: aut rursùm ignorantem naturâ choicos, ut ipsi dicunt, & eos qui non possunt accipere ejus incorruptelam. Sed oportebat, inquit, eum neque Angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homines, qui statim ingrati existerent in eum: quoniam rationabiles & examinatores & judiciales facti sunt & non (quemadmodum irrationabilia, sive inanimalia, quæ suâ voluntate nihil possunt facere, sed cum necessitate & vi ad bonum trahuntur, in quibus unus sensus, unus mos) inflexibiles & sine judicio, qui nihil aliud esse possunt, præterquamquod facti sunt.* His & aliis Irenæus Valentinianos, & alios similes retundit: quæ ad rem præsentem satis sint.

§. V.

De Resurrectione, Martyrio, & Operibus errores.

I. De carnis Resurrectione errabant Valentiniani, quibusdam eam jam factam asserentibus, ut ait Tertullianus Lib. de Præscript. cap.33., aliis verò communiùs eodem Tertulliano teste cap. 49. resurrectionem admittentibus, non hujus carnis sed alterius. Huic errori fabulam de more accommodasse, refert Epiphanius num.7. *Mortuorum*, inquit, *resurrectionem inficiantur: de qua ridiculam quandam fabulam texunt, non hoc ipsum resurgere corpus, sed alterum ex eodem ortum, quod speciale nuncupant: neque tamen omnium*,

omnium, sed eorum dumtaxat, quos illi spirituales nuncupant, atque eorum etiam, quos animales vocant, dummodo justè honestèque se gerant. Cæteros qui materiales ab iis, & cum carne concreti, ac terreni appellantur, interire funditùs neque ullâ sui parte servari. Porrò naturam quamque eò unde prodierit reverti: velut quæ cum materia concreta est, in eam ipsam refundi, ex carne verò terraque compactam in terram recidere. Unde dicebant, materiales homines tam animâ quàm corpore penitùs interire: Spirituales, quales se esse dictitabant, unà cum altero interiori corpore, quod spirituale vocant, servari sentiunt. *Animales porrò post diuturnam exercitationem, ubi Conditorem transcenderint, sursùm evectos Angelis Christi comitibus attribui, neque quidquam suorum efferre corporum, sed animas solas absolutum statum cognitionis adeptas, conditore superato Christi stipatoribus Angelis in matrimonio collocari.* Ita Epiphanius.

II. Ex his colligitur, eos in nullo ex triplici genere hominum, quos fingebant, corporis Resurrectionem admisisse. Non in materialibus; nam hos dicebant, anima & corpore penitùs interire. Non in spiritualibus; nam hos dicebant surrecturos cum alio corpore, nempè spirituali. Non in animalibus; nam in his dicebant animas solas salvari, non autem corpora. Unde Philaster Hæres. 38. de Valentino ait: *Animam solam salvari, corpus autem hominis non salvari arbitratur.* Verùm generalem corporum & quidem omnium Resurrectionem futuram unus ex præcipuis Christianæ fidei articulis est; pro quo egi in Tomo 16. Theolog. Tract. de fine Mundi Qu. 3. Dubio 1. & 2. & superiùs etiam contra præcedentes hæreticos.

III. Duo tamen sunt, quibus Valentiniani abuti poterant, ut ostenderent, corpus hoc materiale non esse surrecturum, sed aliud spirituale. Primùm ex D. Paulo 1. ad Cor. 15. v. 44. dicente: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Secundùm ex eodem ibi v. 50. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio in corruptelam possidebit.*

IV. Attamen neutrum horum favere Valentinianis ostendit inter alios ex eodem Pauli loco Tertullianus L. de Resurrect. Carnis cap. 48.: ubi postquam ostendit, quòd si Christus à mortuis resurrexit, negari non potest resurrectionem mortuorum esse, aliàs si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit, si autem Christus non resurrexit, vana est fides nostra, quâ credimus eos qui in Domino dormierunt, non perituros, sed per Christum fore vivificandos. Exemplum ergo nostræ resurrectionis debet esse resurrectio Christi. Hoc posito ita discurrit: *Exemplum porrò ex diversitate, an ex parilitate componitur? utique, inquit, ex parilitate. Quomodo autem*

autem Christus resurrexit? In carne, an non? sinè dubio, si mortuum si sepultum audis secundùm Scripturas, non aliàs quàm in carne, æquè resuscitatum in carne concedis. Ipsum enim quod cecidit in mortem, quod jacuit in sepultura, hoc & resurrexit, non tam Christus in carne, quàm caro in Christo. Igitur si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexit in carne, jam non ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne & ipsi resurgemus: quia per hominem, inquit, mors, & per hominem resurrectio: ut separaret quidem auctores, mortis Adam, Christum resurrectionis, ejusdem autem constitueret substantiæ resurrectionem, cujus & mortem per ipsorum auctorum in nomine hominis comparationem. Si enim sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, carne vivificabuntur in Christo, sicut in Adam carne moriuntur. Ita ex eodem Pauli loco Tertullianus peracutè demonstrat, nos surrecturos in carne per Christum, sicut mortui eramus in carne per Adam. Videri potest etiam cap. 52.

V. Neque ex eo quòd dicat Paulus: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale: infertur, corpus, quod surget, fore in substantia diversum à corpore quod seminatur per mortem, sed solùm in qualitate, & perfectione: *Resurgent igitur* (inquit S. Aug. in Enchirid. cap. 91.) *Sanctorum corpora sinè ullo vitio, sinè ulla deformitate, sicut sinè ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod & spiritualia dicta sunt, cùm procul dubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima est: ita tunc spiritale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam, & ad vitia, quibus caro adversùs spiritum concupiscit, tunc non erit caro, sed corpus, quia & cœlestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est* „ Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt „: *& tanquam exponens quid dixerit*, „ Neque corruptio, *inquit*, incorruptionem possidebit „. *Quod priùs dixit* „ Caro & sanguis, *hoc posteriùs dixit*, corruptio, *& quod priùs* Regnum Dei, *hoc posteriùs* incorruptionem „. *Quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod & post resurrectionem corpus Christi* caro *appellata est. Sed ideo ait Apostolus* „ Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale „ *quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus vivificante spiritu sine sustentaculi alicujus indigentiâ subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.* Hæc Augustinus solvens utrumque objectum ex Paulo petitum. De hoc plura habet S. Th. in 1. ad Cor. 15. Lect. 5. & 6. Videri etiam possunt, si placet, quæ dixi Tom. 16. Theol. Tract. de Fine Mundi qu. 5.

qu. 5. Dub. 1. ubi ostendi quòd in Resurrectione anima resumet idem numero corpus.

VI. Martyrium pro fide subeundum Valentinianos negasse, affirmat Tertullianus in Scorpiaco cap. 1.: in quo Gnosticos aliosque superiores hæreticos, Simonem, Basilidem &c. sequebantur, diversâ tamen ducti ratione. Nam illi necessarium non esse mortem pati pro Christo, quia nec ipse eam verè passus fuit, vel habuisse corpus tantùm apparens, ideòque non verè passum & crucifixum fuisse asserebant, vel alium pro ipso. At Valentiniani solemni eorum delirio ducti, quòd homines de spiritualium genere, quales se ipsos appellabant, solâ mysteriorum cognitione, ac proinde sine ullo labore aut bono opere salutem tanquam sibi debitam consequerentur; ideo martyrii quoque necessitatem tollebant. Ita de eis Tertullianus L. adv. Valentin. cap. 30. *Ideoque*, inquit, *nec operationes necessarias sibi existimant, nec ulla disciplinæ munia observant, martyrii quoque eludentes necessitatem, quâ volunt interpretatione.* Ex quo inferebatur, non omnes ab obligatione subeundi martyrium fuisse à Valentinianis exemtos, sed eos solos, quos spirituales, & ab omni lege & bono opere immunes dictitabant. Cæterùm alii, qui ex ipsis non erant, quos animales vocabant, & quales vocabant Catholicos, sicut fidei & bonis operibus vacare tenebantur: ita & testimonium pro fide etiam martyrio, si opus fuisset, exhibere tenebantur. Quare Tertull. ibidem subjungit: *Sed nobis quidem væ, si excesserimus in aliquo disciplinæ jugo, si obtorpuerimus in operibus sanctitatis atque justitiæ, si confitendum alibi, nescio ubi, & non sub potestatibus ipsius seculi apud tribunalia Præsidum optaverimus.* Ubi ergo alii hæretici Martyrii necessitatem ab omnibus auferebant, hi solis quos vocabant spirituales exemtis, alios animales dictos ad illud subeundum obligatos esse censebant.

VII. Eâdem ementitâ ratione sibi utpote spiritualibus licitum esse dicebant de idolothytis comedere, & in omnibus cum Paganis actibus convenire, testibus Epiphanio num. 21. & Irenæo L. 1. c. 16., ut supra §. 2. ostendi; sibique etiam commixtionem cum quacumque femina indifferenter licitam esse asserebant: imo & alienis uxoribus se copulabant, ac maritis etiam invitis rapiebant pulchriores quas adamabant, quin & cum sororibus stupra & incestus admittere non verebantur, dicentes carnalia se carnalibus, spiritalibus spiritalia reddere, abutentesque Apostoli dicto 1. Cor. 2. v. 14. & 15. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur,*

tur, despiciebant Catholicos ab eis *Animales* dictos, tanquam idiotas & incapaces intelligere eorum mysteria, & si fortè tot obscenitatibus offensi eos arguere tentassent, dicebant se, quia spirituales, à nemine judicandos esse.

VIII. Similia de eis refert Epiphanius Hæres. 31. num. 21. *Dici non potest*, inquit, *quàm impia ac detestanda alia flagitia committant: quæ dum faciunt, nos scilicet, qui præ Dei timore ne cognitione vel sermone quidem scelus ullum admittere studemus, tanquam idiotas atque imperitos derident, se verò mirificè prædicant, ac perfectos homines electamque stirpem nominant. Nos enim velut mutuò gratiam ad usum accipere, eáque propterea spoliandos affirmant; sibi velut peculiarem accidisse possessionem, quæ de cœlesti conjugio, quod neque verbis exprimi, neque nominari potest unà in se descenderit ... Interesse igitur sua plurimum, ut quácumque ratione possunt conjugii mysterium illud exerceant: idque ipsum stolidis hominibus his ferè verbis] persuadent. Quicumque cùm in mundo esset, mulierem non amaverit, ut eam ad amorem suum pelliceret, à veritate alienus est, nec ad eam perveniet. Sed quisquis ortus è mundo muliebri non est amore correptus, ne ipse quidem ad veritatem perveniet, quòd non mulieris cupiditate flagraverit. Nos itaque, quos animales nominant, esseque de mundo statuunt, temperantiâ & honestis actionibus indigere, quibus mediocrem ad regionem efferamur, cùm ipsimet, utpote spirituales ac perfecti, nihil horum requirant*. Ita carnalibus immunditiis pejùs quàm animalia bruta involuti spirituales se vocitabant, & post mortem ad Pleroma cum Angelis elevandos. Eos verò qui continentiam, & bona opera profitebantur, ut animales despiciebant, & à Pleromate excludentes, in inferiori loco otio ac quiete potituros asserebant. In has absurditates prolabuntur, qui à veritate Christiana oculos avertunt.

§. VI.

Quid de Scriptura & Traditione sentirent.

I. Quia duplici argumentorum genere Valentiniani ab Orthodoxis impetebantur: uno ex Scriptura sumto, quæ eorum impietatem damnat, & obscenitates execratur; altero ex Traditione & vivâ voce ab Apostolis & viris Apostolicis derivatâ, quâ eorum prava dogmata & flagitia evertebantur: utrumque eludere conabantur. Provocati enim ad Scripturas eas accusabant, quasi non rectè haberent, nec indubiæ essent auctoritatis, sed vel falsatæ vel apocryphæ: unde verbo vivâ voce tradito inhæ-

rendum esse insistebant. Cùm verò provocarentur ad Traditiones non scriptas, nec eis acquiescere volebant: unde nec Scripturæ nec Traditioni, sed proprio effrænatæ libertatis spiritui unicè assentiri volebant.

II. Hanc fuisse indolem hæreticorum primi temporis testatur Irenæus Lib.3. cap. 2. *Cùm enim*, inquit, *ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant Traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem: ob quam causam & Paulum dixisse* (1.Cor.11. v.6.) „Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi hujus „. *Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam à semetipso adinvenerit, fictionem videlicet, ut dignè secundùm eos sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, postea deinde in Basilide fuit, aut in illo, qui contra disputat, qui nihil salutare loqui potuit. Unusquisque enim ipsorum omni modo perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur.*

III. *Cùm autem ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni, dicentes, se non solùm Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem. Apostolos etiam admiscuisse ea quæ sunt legalia Salvatoris verbis: & non solùm Apostolos, sed etiam ipsum Dominum, modò quidem à Demiurgo, modò autem à Medietate, interdum à Summitate fecisse sermones: & se verò indubitatè, & incontaminatè & sincerè absconditum scire mysterium: quod quidem impudentissimè est blasphemare suum Factorem. Evenit itaque, neque Scripturis jam, neque Traditioni consentire eos.*

IV. Hæc per extensum ex Irenæo transcripsi; quia non pauca continent observatu digna. Et quidem observo in primis, Ittigium de Hæresiarchis sect.2. cap.5. n.3. malè inferre ex Irenæo, Valentinianos admisisse Traditiones, quia asserebant, ex Scripturis veritatem hauriri non posse ab his qui Traditiones nescirent: & propterea corrigere Nat. Alex. qui Dissert.16. Seculi 2. dicit, Valentinianos neglectis Traditionibus ad solam Scripturam provocasse, eorumque vestigia Lutheranos cum aliis hæreticis premere arbitratur. Si enim notasset Ittigius id quod ab Irenæo subjungitur, nempè quod cùm ad Traditiones provocantur, adversantur Traditioni, & insuper advertisset, quænam essent Traditiones, quas ad habendum sensum Scripturarum necessarias admittebant, & quæ

quæ essent quas rejiciebant, fassus & ipse cum Alexandro & aliis esset, Traditiones, quæ ab Apostolis sunt, & quæ per successiones in Ecclesiis custodiuntur, Irenæo teste, à Valentinianis & sui similibus hæreticis fuisse negatas.

V. Ut autem hoc in aperto statuam, Lectorem ad Irenæum iterum provoco. Traditio, sine qua dicebant, non posse ex Scripturis hauriri veritatem, & dignosci, cujus sint auctoritatis, quis earum sit legitimus sensus, nunquid erat Traditio, quæ ab Apostolis accepta per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur? Nequaquam. Imo, ut dixi, ei adversabantur, *dicentes se non solùm Presbyteris sed etiam Apostolis existentes sapientiores*: (imo & ipso Domino) *sinceram invenisse veritatem*: & omnia nosse mysteria. Quænam ergo erat hæc Traditio, quam admittebant? Sapientiam, ait Irenæus: *Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam à semetipso adinvenerit, fictionem videlicet, ut dignè secundùm eos sit veritas*. Nimirùm, quâ veritatem ad sui erroris comprobationem, vel repugnantem unusquisque trahebat. Hæc erat Traditio quam hæretici illius temporis asserebant, non ab aliis majoribus accepta, sed à seipsis proprio spiritu adinventa, seu veriùs conficta.

Cùm ergo moderni Heterodoxi Traditiones ab Apostolis per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditas unanimi consensu rejiciant, sed solis Scripturis standum esse prædicent, Luthero duce Lib. contra Regem Angliæ. in Comment. in Ep. ad Galatas & alibi sæpè, apparet, non Natalem Alex. hoc affirmantem, sed Ittigium id negantem deceptum fuisse. Superest solùm ostendere, an moderni Heterodoxi sicut in negandis Traditionibus Apostolicis cum Valentinianis conveniunt: ita etiam cum iis concordent in asserenda Traditione, seu sapientia, quam unusquisque eorum apud se habere dicebat ad eruendum verum sensum è Scripturis & de earum auctoritate judicandum. Hoc, qui eorum principia novit, nemo negare poterit. Sublato ab Ecclesia de Sacrorum Librorum auctoritate judicio, illud sibi ipsi tribuunt, aliquos eorum è Canonicorum albo contra Veteris Ecclesiæ mentem expungentes. Inter varias Sacræ Scripturæ lectiones, eam quæ sibi placet adoptant, & in vero ejusdem sensu discernendo spiritum, quem toti Ecclesiæ negant, cuique etiam privato affingunt. Unde fit, quod eadem Scripturæ verba quisque ad genium suæ sectæ trahat, Lutheranus ad suæ, Calvinista similiter, & sic de aliis, & unusquisque spiritum veritatis se habere glorietur. Sed in hoc diutiùs immorari non vacat, cùm alibi tum in Vera Eccl. tum in Lib. de Eligenda Sent. fusè locutus sim. Ad præsens sufficiat ostendisse, mored-

dernos Hæreticos tum in neganda, tum in asserenda Traditione cum antiquis convenire.

VI. In asserendis Divinis & Apostolicis Traditionibus non scriptis, earumque auctoritate & necessitate statuenda contra Hæreticos cujusvis seculi Patres laborarunt, quos videndos relinquo, præcipuè apud Natal. Alexandre Dissert. 16. Seculi 2. In hoc enim immorari præsentis Operis non est: & etiam quia rem hanc fusè peregi in Vera Eccl. Tom. 2. p. 1. art. 4. in Theolog. Tom. 1. q. 3. de Locis Theologicis Dub. 3. in L. de Eligenda Sent. cap. 1. & 2. & alibi, quæ Studiosus adire poterit.

CAPUT X.

De Secundianis & Ptolemæitis.

§. I.

Quis fuerit Secundus, & quæ ejus hæresis.

I. SECUNDIANI à Secundo uno ex primariis Valentini discipulis dicti sunt. De Secundo agunt Irenæus Lib. 1. cap. 5. (modò 11.) Tertullianus L. contra Valent. cap. 38. & Lib. de Præscript. c. 49. Philaster Hæres. 40. Epiphanius Hæres. 32. Theodoritus L. 1. Hæret. Fabul. cap. 8. & Damascenus Hæres. 32. Nemo tamen genus aut patriam illius indicat. Cùm tamen de schola Valentini eum fuisse compertum habeatur, ipsum quoque fuisse Ægyptium verisimile est. Eadem, quæ Valentinus magister, docebat, in aliquibus tamen diversus, ut dicam. In operibus tamen turpidinis excessit magistrum: unde S. August. Lib. de Hæres. c. 12. ait: *Secundiani hoc à Valentinianis distare dicuntur, quòd addunt opera turpitudinis*: non quia turpitudinum auctores fierent, has enim à Valentino acceperant; sed quia turpem & obscenam Valentini doctrinam impudentiùs prædicabant, omnique sepositâ verecundiâ actu perficiebant.

II. Harum turpitudinum augmento plurimum contulisse creditur Secundi & Secundianorum societas cum Epiphane Carpocratis filio, cujus obscenam doctrinam voce & scripto traditam supra cap. 5. §. 4. recensui, & cum quodam Isidoro similis doctrinæ homine. Unde Epiphanius Hæres. 32. quæ est de Secundianis: *Volo*, inquit, *in iis commemorandis, qui in eadem hæresi sunt, sed alia quædam insuper asserunt, paulisper immorari. Epiphanem atque Isidorum intelligo, qui cohortationum ac præceptorum specie in profundio-*

diorem sese infelicitatis voraginem immersit. Et cum à Carpocrate parente suo re verâ falsi dogmatis initium acceperit, ad Secundi tamen opiniones adhæsit, & ad Secundianos adscriptus est. Deinde subdit, quòd etsi solis decem & septem annis vixerit Epiphanes, ejus tamen exitiale dogma in iis qui ab eo decepti fuerant superstes fuit, & ad sua usque tempora in Insula Samo Divinis honoribus afficiebatur, quòd ex Clemente Alexandr. supra cap. 5. citato etiam ostendi. De Isidoro autem idem Epiphanius n. 4. dicit; in quibusdam Cohortationum Libris (ex quibus fragmentum aliquod inferiùs subjicit) nequitiæ suæ fundamenta jecisse. Sed utrum eâdem ex secta atque eisdem opinionibus fuerit, an ex Philosophorum schola eas desumserit, nihil certi dicit se explorare posse. Utcumque tamen res se habeat, in eodem omnes consuendo dogmate, turpia turpibus adjicientes, cum Valentino convenere. Hunc Isidorum fuisse Basilidis filium ex Theodorito L. 1. Hæret. Fab. supra indicavi cap. 2. §. 2. n. 8.

III. Nec solas tamen turpitudines, sed & Valentini errores extendere studuit. Hinc Epiphanius Hæres. 32. n. 1. *Horum igitur,* inquit, *è numero Secundus quidam fuit, qui plus aliquid quàm cæteri sapere studens, etsi eadem quæ Valentinus asserit omnia, ampliore tamen sonitu furiosorum aures opplevit. Hic eodem quo Valentinus tempore eundem ipsum novo aliquo invento superare gestiens, primam Ogdoadem ex Tetrade dextrâ ac sinistrâ constari docuit, quarum alteram Lumen, Tenebras alteram appellari voluit. Jam verò virtutem illam, quæ defecisse, & ad inopiam fuisse redacta dicitur, negat ex tricenario illo numero Æonum extitisse; Sed inferioris cujusdam ordinis: ex eorum videlicet grege fuisse, qui infra aliam Ogdoadem collocantur.* Idem asserit Tertullianus L. adv. Valentin. cap. 38. his verbis: *Humanior jam Secundus, ut brevior, Ogdoadem in duas Tetradas dividens, in dextram & sinistram, in Lumen & Tenebras. Tantùm quod desultricem & defectricem illam virtutem non vult ab aliquo deducere triginta Æonum, sed à fructibus de substantia eorum venientibus.* Ante omnes autem Irenæus L. 1. c. 5. (modò 11.) sic ait: *Secundus autem Ogdoadem ita distinguit, ut alter quaternarius sit dexter, alter sinister, traditque illum Lucem appellari, hunc tenebras. Virtutem autem illam quæ abscessit, atque ab aliis sese removit, non esse è numero triginta Æonum, sed post triginta Æonas.*

IV. Primum ergo Secundianorum assertum, primam scilicet Æonum Ogdoadem ex Tetrade seu quaternario, dextro & sinistro, Lumine scilicet & Tenebris constari, refutatur à S. Epiphanio num. 1. citato. Quia dextrum & sinistrum supponit unum medium, cui alterum sit dextrum alterum sinistrum, nihil enim est sibi

sibi dextrum ac sinistrum: ergo si in prima Ogdoade datur quaternarium dextrum & sinistrum debet dari unum, cui alterum dextrum sit, alterum sinistrum. Hoc autem unum quid aliud erit nisi unus Deus, à quo omnia sunt; nihil tamen sinistrum aut deficiens? *Igitur*, inquit, *si Tetrades ex illorum opinione dextræ sunt ac sinistræ, medium inter eas quiddam assignari oportet: propterea quod quidquid dextros habet ac sinistros ordines, in eorum medio collocari necesse est: neque dextra, vel sinistra uspiam esse possunt, nisi ex interjecto corpore utriusque partis discrimen petatur. Quamobrem, stolidissime mortalium, Secunde, vosque Secundiani omnes! Medium erit unum aliquid, cui sinistra dextraque, quæ dicuntur, subjecta sint: neque ab uno illo alienum id esse poterit, quod ei subjicitur dextrum aut sinistrum: atque ita ad unam quandam naturam universa referentur, quâ nihil superius sit, neque inferius, infimumve, præterquam quæ ab eo condita sunt: eritque veritatis gnaris haud obscurum, unum Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Jam si unus Deus est, à quo sunt omnia: nihil neque sinistrum, neque aliâ ratione deficiens inerit ipsi, neque inferius præter illa quæ procreavit.* Hactenus Epiphanius.

V. Alterum, in quo Secundus à Valentino recedebat, erat quòd virtutem, quæ defecit, fuisse de numero Æonum inficiabatur. Pro quo suppono, quòd Valentinus inter alia fabulabatur, *Sophiam* idest sapientiam Æonum trigesimam, & ultimam, desiderio videndi primum Æonum parentem omnibus invisibilem accensam fuisse, sed cum impossibile tentaret, mœrore ac deformatam è Pleromate, seu universitate Æonum exiisse, ac defecisse, ac præ tabe sinè opera conjugii informem partum edidisse, quem dicebat esse Materiam primam. Ejus tamen misertum supremum Patrem, informi partu à Pleromate relegato, ad ejus & Æonum securitatem per Unigenitum suum produxisse Christum, qui Patrem esse incomprehensibilem Æonas edoceret: Spiritum Sanctum, qui omnes in Pleromate confirmaret. Ita Valentinus, qui Sophiam quæ defecerat intra Pleroma, licèt ultimam, collocabat: hanc tamen extra Pleroma Secundus constituebat; quem refellit imo irridet Epiphanius his verbis: *Quod verò post triginta illos Æonas defectum extitisse narrat, libet de eo sciscitari: Heus tu! Potes dicere, unde illius defectus naturam ac desciscentem virtutem cognoveris? Si enim à superioribus pullulasse dicas, non creatam, sed genitam: cùm ex tua ac magistri tui sententia, quæ condita sunt, non creata fuerint sed genita; ac quævis natura quædam ab altera communicatione transfusum id quod habet acceperit, atque in lucem prodierit: jam ipse confessione tua induaris oportet. Etenim si à superioribus poste-*

posterior illa virtus, ac defectus extiterit, indèque, ut ita loquar, pullularit, erit planè cœlestium ornamentorum particeps, quandoquidem commune aliquid cum Pleromate habet illa Posterior, & cum Posteriore Pleroma: neque aliud ab altero dissidebit, cum utraque communibus invicem terminis copulentur. Ita Epiphanius ex eo quòd Sapientia quæ defecit non sit creata, sed genita ut cæteræ Æones, concludit, intra Pleroma ut cæteras illam esse. Sed hæc dimittamus.

De Secundo scribit Philaster, infinitos posuisse Æones: quum nec Irenæus, nec Epiphanius, nec Theodoritus hoc asserant; quin potius à numero Æonum eum exclusisse unam idest sapientiam conveniunt: Tertullianus tamen L. de Præscr. cap. 49. infra referendus, Secundum plures Æonas addidisse dicit. Dicit etiam eum sensisse, quòd Christus quasi per phantasiam, & veluti in umbram humano generi apparuerit, nec veram carnem habuerit. Quod nemo prælatorum Patrum indicat. Solus Damascenus L. de Hæres. ait, quòd Secundiani carnem improbant.

§. II.

Ptolemæitæ: eorum error de Deo.

I. PTolemæitæ à Ptolemæo dicti sunt. Hujus doctrinam flosculum de schola Valentini vocat Irenæus L. 1. in Procemio his verbis: *Eorum qui nunc perperam docent Ptolemæi sententiam, quæ Valentini scholæ velut flosculus est, breviter ac dilucidè referemus.* De quo etiam L. 2. cap. 40. (modò 22.) ubi postquam de iis locutus est, qui ea quæ ab Apostolis audierunt testati sunt, subdit: *Quibus magis oportet credi? Utrumne his talibus, an Ptolemæo, qui Apostolos numquam vidit, vestigium autem Apostoli ne insomnis quidem assequutus est?* Tertullianus L. adv. Valent. c. 4. ait quòd Valentini viam *Postmodum Ptolemæus intravit, nominibus, & numeris Æonum distinctis in personales substantias, sed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipsa summa Divinitatis ut sensus & affectus motus incluserat.* Quibus eum à Valentino in aliquibus desciville indicat, de quo infra. Et clariùs exponit L. de Præscript. cap. 49. ubi ait: *Post hunc* (Valentinum) *extiterunt Ptolemæus & Secundus hæretici, qui cum Valentino per omnia consentiunt. In illo solo differunt; nam cum Valentinus Æonas tantum triginta finxisset, isti addiderunt alios complures; quatuor enim primùm, deinde alios quatuor aggregaverunt; & quod dicit Valentinus Æonem trigesimum excessisse Pleromate ut in defectionem, isti negant. Non enim ex illa Tria-*

con-

contade fuisse hunc qui fuerit in defectionem propter desiderium videndi Propatrem. Sed de his inferiùs.

II. Ptolemæum unum ex Valentini discipulis fuisse conveniunt omnes: quem locum tamen inter eos habuerit, non una est sententia. Epiphanius Hæresi 33. eum ponit post Secundum, & ante Marcum & Colorbasum & Heracleonem, sic enim ait num. 1. *Secundus igitur atque Epiphanes Isidori cohortationes ad usum sectæ suæ opinionisque transtulerunt. Successit iis Ptolemæus*. Quidquid autem sit de prioritate, certum est, omnes recensitos fuisse coævos, sodales, & Valentini auditores. Ptolemæi genus, stirps, patria, professio ignota sunt. Fuisse eruditione præstantem, ac magistros suos superasse dicit Epiphanius citato loco: *Hic ille cum suis Ptolemæus longè iis, quos præceptores habuit, eruditione præstitit, & illorum doctrinam magnâ accessione cumulavit*. Id etiam colligitur ex Epistola ad Floram scripta, quam per extensum refert Epiphanius à num. 3. Flora hæc ejus discipula, & in errore socia fuit, quam in dicta epistola instruit. Familiare fuit hæreticis socias habere feminas: sic Simon suam habuit Helenam, Carpocrates Marcellinam, & alii alias, quæ vel eorum libidini, vel errori inservirent. Mulierem enim decipiendo aptam exemplum Evæ nimis demonstrat.

III. Hunc Ptolemæum temporibus S. Irenæi adhuc in vivis fuisse, colligi videtur ex ejusdem supra relatis verbis: *Eorum qui nunc perperam docent Ptolemæi sententiam*. Ea tamen verba indicant quidem, Irenæi tempore Ptolemæi hæresim adhuc viguisse in discipulis ejus eam docentibus, estò non in Ptolemæo adhuc superstite, cujus signum est quòd Irenæus non in singulari, sed in plurali numero loquitur. Cùm tamen Ptolemæus anno 150. errores suos fundere cœperit, improbabile non est, quòd anno 176. quo Irenæus scribere cœpisse creditur adhuc superstes fuerit. Ut ut sit, ejus discipuli superstites erant. Cùmque, ut habetur in Vita S. Irenæi, ejus tempore Valentiniani, & præcipuè Ptolemæitæ, & Marcosii Lugdunensem tractum, cui ipse præerat, infestare cœpissent: ideo ab eis confutandis, ut dixi, exordium sumsit, de quo P. Massuet Dissert. 2. n. 45.

IV. In Æonibus statuendis à Valentino magistro Ptolemæus discessit. Ubi enim ille Bythoni unam tantùm conjugem dedit Sigen, hoc est Silentium, ex cujus commixtione velut maris & feminæ processisse dicebat *Nun* idest Intellectum, & *Alethiam* idest Veritatem, ex quibus postea successivè alii Æones usque ad triginta prodiissent, ut supra dictum est, iste Bythoni duas conjuges dedit prorsùs diversas nomine ab illa una; nam Ennœam unam, hoc est cogi-

cogitationem, Thelesin alteram hoc est voluntatem appellavit. Ita Irenæus L.1. c.6. (modò c.12.) *Hi verò*, inquit, *qui sunt circa Ptolemæum scientiores duas conjuges habere eum Bython dicunt, quas & dispositiones* (vel affectiones) *vocant Ennæan & Thelesin. Primò enim mente concepit quiddam emittere, sicut dicunt: Post deinde voluit*. Et infra: *Voluntas velut virtus facta est Ennææ. Cogitabat enim Ennæa semper emissionem, non tamen & emittere ipsa per semetipsam poterat quæ cogitabat. Cum autem voluntatis virtus advenit, quod cogitabat emisit.*

V. Idem dicit etiam Epiphanius Hæres. 33. n. 1. Qui tamen hujus auctorem facit ipsum Ptolemæum, cùm ex dictis Irenæus videatur asserere hoc potiùs fuisse inventum discipulorum ejus. Sed cujuscumque sit; summa dementia est dicere, Bython, quem Deum & universorum parentem fingebant, posse quidem per semetipsum de re à se facienda cogitare, eam tamen facere à se non posse, sed indigere voluntate tanquam affectione & virtute à se distincta. Ut enim Irenæus & Epiphanius dicunt: Dei idea esse debet illius, *qui simul atque animo concepit aliquid, statim quidquid voluerit efficit: statimque ac voluit animo concepit quod voluit: ac tum cogitans cùm vult, volensque cùm cogitat. Nimirùm totus ipse cogitatio est, totus voluntas, totus mens, totus lumen, totus oculus, totus auditus, totus bonorum omnium fons, prorsusque ab omni perturbatione remotus; non sollicitus, non anxius, velut Bythus ille, vel Juppiter, de quo quæ ab Homero scripta sunt, Ptolemæus ad Bythum transtulit*. Ita veri Dei ideam exponit cùm Irenæo Epiphanius, corrigens errorem Ptolemæi, qui Bython suum, quem summum asserebat Deum, velut alterum Jovem de Græcorum pernicie cogitantem, de ea implenda anxium & curis confectum proponit.

§. III.

Ptolemæi errores de Lege.

I. PRæter relatum figmentum, vel ab ipso, vel ab ejus schola profectum, alia velut propria subjunxit, ut in Epistola supracitata ad Floram apparet. In ea enim in primis refutat opinionem illorum, qui asserebant Legem Moysi à Deo Patre fuisse constitutam: item & eorum, qui ab ejus æmulo nefario Dæmone latam affirmabant, à quo & mundum fabricatum dictitabant, ejus Conditorem ac Patrem eum appellantes. Primos quidem alio suo errore rejicit dicens: *Nam nec à perfecto Deo & Patre stabilita vide-*

tur, utpote minus perfecta, & ad sui absolutionem plura desiderans, ac mandata quædam continens, quæ Dei naturâ ac decreto sunt aliena. Secundos ita refellit: *Neque verò Adversarii improbitati tribuenda lex est, cujus proprium sit iniquè facere*, in lege autem multa bona continentur.

II. Itaque Mosaicam Legem quinque Voluminibus comprehensam trifariam dividit: partim enim à Deo traditam asserit, partim ab ipso Moyse non Dei spiritu, sed proprio & per se loquente: partim à Senioribus qui erant in populo. Porrò eam partem, quam dicit esse à Deo adhuc in tria membra partitur. Quorum primum continet sincera præcepta, & ab omni mali permissione secreta, & hæc propriè Lex appellatur, quam Salvator non venit solvere, sed adimplere Matth. 5. v. 17. Secundum dicit continere aliqua præcepta deterioribus implicata puta injustitiis, quæ Salvator funditùs sustulit. Tertium verò membrum complecti dicit ea quæ typica ac symbolica vocantur, hoc est figuræ futurorum & umbræ ac imagines rerum præstantiorum, & has à visibilibus & externis in spirituales & invisibiles Salvator transtulit.

III. Porrò ne quis miretur, Deum dedisse præcepta aliquam injustitiam continentia, fabulam fabulæ miscens dicit apud Epiph. num.7., Legem esse quidem à Deo, non tamen ab illo uno ingenito perfecto omnium summo, sicut neque à diabolo, sed ab alio Deo genito ab illo summo Deo, eo autem minore, medio inter primum & ingenitum Deum & diabolum. Quare Ptolemæus inter Deum Patrem & diabolum, quem Adversarium vocat, alium Deum statuit Deo Patre minorem, diabolo majorem, non ita bonum & justum, sicut Deus Pater, nec ita malum & injustum, sicut diabolus; qui neque bonus neque malus sit aut injustus, peculiari tamen ratione justus appellari possit, quatenus justitiæ quam habet moderatione fungitur: & sic medius inter summè bonum nempe Patrem ingenitum, & summè malum, nempe Adversarium diabolum, cujus *natura*, ajebat, *corruptio est ac tenebræ, materiâ quippe concretus est ac multiplex*. Unde in hoc etiam errabat, quod diabolum ponebat corporeum & corruptioni obnoxium. Hæc Ptolemæus in Epistola ad Floram.

IV. Ex hucusque dictis apparet, Ptolemæum discipulam Floram variis circa Legem erroribus imbuisse. Primò: Legem Moysis in Pentateucho contentam continere aliqua non bona, & à Dei decreto aliena, nec totam esse à Deo, sed partim à Deo, partim à Moyse, partim à Senioribus populi. Hunc errorem confutavi in Theolog. Tom. 2. in 1. 2. Tract. de Legibus Qu. 4., ubi. Dub. 1. ostendi Legem Moysi fuisse bonam, utilem, ac perfectam testimo-

nio

nio Christi, & Pauli; & Hæreticorum objecta dissipavi. Dubio autem 2. latè demonstravi, Legem Mosaicam totam esse à Deo Moysi dictatam: Deum solum habere auctorem in omnibus ea quæ in Pentateucho continentur; nec vim ullam faciunt quæ in contrarium opponi possunt, & maximè de Libello Repudii: hunc dicit Christus Matth. 19. v. 6. quòd *Permisit Moyses*; quia ex Dei auctoritate permisit, & ipso mandante promulgavit. Non diffiteor tamen auctoritate Seniorum multas invaluisse apud Hebræos Traditiones, sed istæ non erant scriptæ in Lege per Moysen à Deo lata: imo quia sæpè erant contrariæ Legi, & pluris eas faciebant, quàm mandata Dei; ideo Christus eos reprehendit Matth. 15. v. 3. & Marci 7. v. 9. Ibi ergo dicta Studiosus percurrere poterit.

V. Præterire tamen hic nequeo S. Epiphanium num. 9. Ptolemæum ita aggredientem: *Legem asseris trifariam esse divisam, ut partim à Deo, partim à Moyse, partim à Senioribus manarit. De Senioribus porrò cur ita sentias, nihil ut apparet, afferre potes in Scripturis expressum. Nusquam enim in Lege tradita illa à Senioribus decreta memorantur ..... Nam Seniorum Traditiones* Deuterosis (idest secunda Traditio) *à Judæis vocantur. Quatuor autem illarum sunt genera. Primum est quod sub Mosis nomine circumferunt. Secundum est quod Rabbi Akibæ tribuunt. Tertium Addæ, sive Judæ. Quartum ad Asamonæi filios refertur. Cedo igitur, homo contentiosissime, ac levissime! Quonam in Pentateuchi Divinæ Legis volumine illam potes demonstrare sententiam, quam in Evangelio Christus attulit?* (Marci 7. v. 11.) „ Qui dixerit Patri suo Corban, quod est donum, nihil ipsi proderit „: *quod mihi nunquam ostendes.* Ex quo ergo hæc Traditio & aliæ, quas ibi Christus affert Seniorum traditiones, in Pentateucho Mosis non reperiantur, imo earum multæ sint apertè contrariæ; validè infertur, Seniores de populo nullam partem habuisse in Lege, quæ in Pentateucho exhibetur.

VI. Prosequitur inde Epiphanius, alterum Ptolemæi mendacium detegendo, his verbis: *Cæterum quæ à Moyse sancita sunt à Deo minimè sunt aliena, à quo Moyse sequestre atque interprete tradita sunt: quod & ipsum Salvatoris judicium evidenter approbat; adeòque quibus uteris testimoniis, ea contra temetipsum protulisti. Sic enim in Evangelio Dominus loquitur* (Matth. 19.) „ Moyses hæc scripsit ad duritiem cordis vestri „. *Jam quod Moyses scripsit, non citra Dei voluntatem scripsit, sed Sancto Spiritu impellente constituit. Mox enim Salvator in eodem Evangelio* „ Quod Deus, *inquit*, conjunxit, homo non separet „. *Quemadmodum verò conjunxerit, verba ipsa, ut intelligeremus, adjecit* „ Propter hoc relinquet homo patrem suum, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem

 unam

unam „. *Tum infert* „ Quod Deus conjunxit, homo non separet „. *Atqui nunquam illud Dominus, cùm Adamum Evamque formaret, usurpasse legitur, sed hoc solùm* „ Faciamus ei adjutorium simile sibi „. *Istud verò ab Adamo dictum est, qui à somno expergefactus*: „ Hoc nunc os, *ait*, ex ossibus meis, & caro de carne mea: Hæc „ vocabitur Virago, quia ex viro sumta est „. *Pergit deinde*: „ Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit „ uxori suæ, & erunt duo in carnem unam „. *Cùm igitur non hoc Deus, sed Adamus dixerit, & ea ipsa tamen Dei esse verba Dominus in Evangelio testetur, satis res ipsa declarat, tum hæc Adami quidem ore, sed Dei esse voluntate prolata. Similiter & Moyses Legem edidit, quam dictante Domino didicerat*. Ex quibus Epiphanius concludit, quòd cùm Moyses in Lege libellum repudii permisit, hoc Dei dispositione & auctoritate scripsit, *qui ubique decernere solet, partim quæ certis rebus adumbrandis serviunt, partim quibus futura bona declarantur, quæ in Evangelio demum adventu suo Christus Jesus Dominus noster implevit*. His ad oculum Epiphanius demonstrat, omnia quæ Moyses in Lege etiam de repudio locutus est, Deo sic disponente & dictante fuisse prolata.

VII. Quod verò Ptolemæus addebat, Deum auctorem Legis, nec esse Deum summè bonum & justum, nec malum & injustum, sed Deum medium inter bonum & malum, idest inter Deum summum & diabolum adversarium, novum deliramentum est in ejus insana mente conceptum: *Ecquis enim* (inquit Epiphanius n.10.) *tertius ille nobis Deus est, duplici ex similitudine conflatus, qui nec alter sit è duobus, nec infuscatus malitiâ vel injustitiâ, ut ais, ullâ, neque bonitate lucidâque naturâ præditus, sed medii cujusdam sit ordinis justus?* „ At si justus, cur non bonus „? *Non enim aliunde quàm ex bonitate quod justum appellamus oritur; neque quisquam, nisi idem bonus sit, justus esse poterit*. Rursùs. Si justus, quomodo in Lege (ut dicis) injustitias docuit? Injustus plane erit si injustitias præcipit, si injustam legem ex aliqua saltem parte condit, & si quæ injusta sunt servari mandat. Minùs stulti fuerunt Manichæi & alii tui similes, qui cùm in Lege aliqua mala & injusta præcipi assererent, eam à malo Deo latam dicebant.

VIII. Quia tamen declinare Ptolemæus posset dicens, Deum, quem ipse statuit auctorem Legis, esse Deum medium inter bonum & malum, inter justum & injustum, ac proinde justum medii ordinis, proindeque mirum non esse, si in Lege quam tulit, bonis & justis mandatis aliqua mala & injusta miscuerit: omisso quod talis Dei partim justi partim injusti Idea à sola insanientis mente prodire potest; jam dicto Tom. 2. in 1. 2. qu. 4. de Lege Vet. Dub. 1. & 2.

& 2. &c. ostendi, omnia legis præcepta esse justa & bona: aliqua quidem pro omni statu, aliqua pro statu illo in quo data fuit Lex. Quæ magis explicare placet ex Epiphanio num. 11. *Ut Pater liberos sic instituit, ut ad singulorum se ætates accommodans paulatim erudiat, nec infantem eâdem quâ adolescentulum disciplinâ contineat, nec adolescentulum perinde ac juvenem, aut hunc ut robustâ jam ac virili ætate præditum coerceat. Quin immo tenellum adhuc, ac penè lactentem digito castigat, puerulum verò paulò grandiorem colapho, loris adolescentulum, juvenem virgis objurgat. Porrò ubi vir inter viros esse cœpit, si gravius quiddam deliquerit, gladio ex Lege plectetur.*

Ita Dominus unicuique hominum ætati consentanea præscripsit. Quippe veteres illos, tanquam cum puerulis ac vim Sancti Spiritus ignorantibus ageret, metu ac terrore castigabat. Tum perfectioribus perfectiora mysteria proposuit: nam in Evangelio passim ita Discipulos compellasse legitur „ Nescitis quid facio, scietis autem postea „ *nimirùm cum perfectiores eritis. Item illud* „ nesciebant, donec à mortuis resurgeret „. *Sic & Paulus* „ Nondum enim poteratis; sed nec adhuc potestis „; *ut ostenderet procedentibus temporibus perfectiora dari præcepta; quæ licèt eadem sint semper, aliam nihilominus rationem induunt, nec eodem junioribus, quo robustis modo temperantur. Cum enim Legis hæc esset formula* „ Oculum pro oculo „ *non dixit eruite oculum pro oculo; sed si quis oculum eruerit, ei oculus eruetur. Ideo quilibet ut corpori suo consuleret, maxillam verberanti præbebat, non ipse verberabat. Qua ratione jam tum ea servabantur, quæ in Evangelio modò tam apertis verbis concepta sunt: cum eo tamen discrimine, quòd illi metu ac necessitate velut adolescentes in officio continerentur: hi utpote confirmatâ jam ætate sponte suâ ac voluntate obtemperent.* His & aliis rem hanc mirè exponit Epiphanius.

Superesset Ptolemæi postremum refutare errorem, quo diabolum ponebat esse substantiæ corporeæ & materiæ concretæ, & naturâ suâ malum. Quia tamen de hoc egi in Theolog. Tom. 5. in 1. p. Tract. de Angelis. de primo q. 2. Dub. 1. ubi ostendi contra opinionem quorumdam Veterum, Angelos & etiam dæmones naturâ prorsus incorporeos & spirituales ac nullâ materiâ compositos esse: de Secundo verò ibidem q. 8. Dub. 4. §. 1. ubi probavi dæmones non naturâ suâ malos esse, sed voluntate & malitiâ fuisse factos malos; ideo quæ ibi, huc conferenda relinquo.

CA-

CAPUT XI.

De Marcitis seu Marcosiis.

§. I.

Marcus quis & qualis fuerit.

I. Marcitæ seu Marcosii à Marco quodam præstigiatore & mago è Valentini schola profecto nuncupati sunt. De hoc Irenæus L. 1. cap. 8. (modo 13.) ait: *Alius verò quidam ex iis qui sunt apud eos* (Ptolemæitas & Colorbasios) *magistri emendatorem se esse glorians* (*Marcus est autem illi nomen*) *magicæ imposturæ peritissimus, per quam & viros multos & non paucas feminas seducens, ad se convertit, velut ad scientissimum & perfectissimum, & virtutem maximam ab invisibilibus & inenarrabilibus locis habentem, fecit, præcursor quasi existens Antichristi. Anaxilai enim ludicra cum nequitia eorum, qui dicuntur magi, commiscens, per hæc virtutes perficere putatur apud eos qui sensum non habent, & à mente sua recesserunt.* Quo loquendi modo indicare Irenæus videtur, tempore quo scribebat adhuc in vivis fuisse, ac errores suos Marcum (saltem per discipulos) in Occidente seminasse. Eisdem ferè verbis Marcum hunc describit Epiphanius Hæres. 34. num. 1. Quis autem fuerit Anaxilaus, cujus ludicra uterque dicit Marcum imitatum fuisse, probabiliter censetur fuisse ejusdem nominis Medicus. Plures enim fuere Anaxilai seu Anaxilæ nomine. Fuit Anaxilas Messenius Rheginorum tyrannus, de quo Pausanias in Messen. Justinus L. 4. & Macrobius in Saturnalibus. Fuit Anaxilas historicus, de quo Dionys. Halicarn. initio Antiq. Rom. Fuit & comicus, de quo Athenæus. Fuit tandem Anaxilaus medicus, & de hoc loqui Irenæum & Epiphanium credere par est. Nam ludicra iste exercebat teste Plinio L. 35. cap. 15. *Lusit & Anaxilaus eo* (sulphure scilicet) *candens in calice novo, prunâque subjectâ circumferens, exardescentis repercussu pallorem dirum veluti defunctorum offundente conviviis.* Scripsit etiam de arcanis quibusdam naturæ & miris operibus ex Plinio L. 19. c. 1. L. 27. c. 11. L. 33. c. 10.

II. Difficultatem faciunt hic verba S. Hieronymi tum in Cap. 46. Isaiæ, tum in Ep. 53. alias 29. ad Theodoram ita scribentis: *Refert Irenæus vir Apostolicorum temporum & Papiæ auditoris Evangelistæ Joannis discipulus, Episcopusque Ecclesiæ Lugdunensis, quòd Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primum ad*

ad Gallias venerit: & eas partes per quas Rhodanus & Garumna fluunt suâ doctrinâ maculaverit: maximèque nobiles feminas, quædam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit. Inde Pyrenæum transiens Hispanias occuparit, & hoc studio habuerit, ut divitum domos, & in ipsis feminas maximè appeteret: quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes. Hoc ille scripsit ante annos circiter trecentos. Et scripsit in his libris, quos adversùs omnes hæreses doctissimo & eloquentissimo sermone composuit. Quibus inducit Irenæum dicentem, Marcum in Gallias Rhodanensemque regionem venisse: cùm Irenæus hoc de Marci discipulis tantùm dicat: *Et in iis quoque, quæ sunt secundùm nos regiones Rhodanenses, multas seduxerunt mulieres.* Insuper tribuit Irenæo, quòd dicat, Marcum Pyrenæum transeuntem Hispanias occupasse, cùm de hoc Marci in Hispanias transitu Irenæus nec verbum dicat.

III. Propterea salvâ debitâ reverentiâ S. Hieronymo Eruditi omnes duos Marcos hæreticos ambos distinguunt. Unum, à quo Marcitæ seu Marcosii de quo modò sermo est, de schola Valentini progressum, qui eâdem Valentini vixit ætate, Secundi, Epiphanii, & Ptolemæi sodalis, ut notat Epiphanius Hæref. 34. num. 1.; fuitque vel synchronus, vel saltem Irenæi temporibus vicinus, de de quo Irenæum scripsisse dicit S. Hieronymus. Alterum verò Marcum genere pariter Ægyptium patriâ Memphitanum, qui nec Valentinum præceptorem habuit, sed longè post ultra duo secula emersit, Valentini tamen & Gnosticorum sectâ infectus eam per Hispanias effudit, ac plures viros ac mulieres corrupit: & præcipuè ex ejus schola prodiit Priscillianus. De eo loquitur Sulpitius Severus L.2. Hist. num.61. his verbis: *Sequuntur tempora ætatis nostræ gravia & periculosa, quibus non usitato modo polluta Ecclesia & perturbata omnia. Namque tum primùm infamis illa Gnosticorum hæresis intra Hispanias deprehensa, superstitio execrabilis arcanis occultata secretis. Origo istius mali oriens ab Ægyptiis, sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facile est disserere. Primus eam intras Hispanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphis ortus. Hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, & Rhetor Helpidius. Ab his Priscillianus est institutus.* Iste ergo Marcus, qui auditores habuit Agapen & Helpidium Priscilliani magistrum duobus ferè seculis posterior fuit Marco S. Irenæi coævo. Nam iste medio secundo seculo vixit: ille autem medio quarto. Nam Priscillianus à Concilio Cæsaraugustano unâ cum Helpidio anno 380. damnatus fuit, & anno 385. Treviris jussu Maximi tyranni capite truncatus fuit. Duo ergo distinguendi sunt hæretici no-

nomine Marcus, unus antiquior Valentini temporibus, alter junior.

IV. Redeundo ergo ad primum sectæ Marcitarum auctorem, de quo hìc sermo est, Ægyptium ipsum quoque fuisse verisimile est, ubi & studiis operam dedisse indicant ea, quæ ex Græcis litteris & Pythagoricis numeris, ut infra, conflavit; Patria tamen ignoratur. Constat, eum fuisse arte & professione magum, & quidem in ea peritissimum, quâ multos ac præsertim mulieres seducebat, ut ex Irenæo supra dixi, quod confirmat Epiphanius Hæres. 34. num. 1., & hoc familiare erat Gnosticis, quorum sectæ adhærebat, & qui tetrum illud scientiæ genus à Platonicis & Pythagoricis acceptum sub specioso Theurgiæ nomine frequentabant. Porrò nedum mentibus, sed & mulierum corporibus insidias struebat: *Adhuc etiam* (inquit Irenæus L. 1. cap. 9. modò 13. num. 5.) *& amatoria & adlectantia efficit, ut & corporibus ipsarum contumeliam irroget hic idem Marcus quibusdam mulieribus, etsi non universis. Hæ sæpissimè conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt, & secundùm corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, & inflammatas valdè illum se dilexisse*. Deinde refert, quòd *Diaconus quidam eorum qui sunt in Asia nostri, suscipiens eum in domum suam, inciderit in hujusmodi calamitatem. Nam cùm esset uxor ejus speciosa, & sententiâ & corpore corrupta esset à mago isto, & secuta eum esset multo tempore, post deinde cùm magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exhomologesi consummavit, plangens & lamentans ob hanc, quam passa est, ab hoc mago corruptelam*. Hoc idem ex Irenæo narrat Epiphanius Hæres. 34. num. 3.

V. Porrò ut magis incautos attraheret, Prophetam se esse palam prædicabat, & Prophetiæ donum suâ virtute se aliis communicare posse asserebat. Ut enim refert Irenæus ibidem num. 3., utebatur quodam dæmone paredro, quem sibi familiarem habebat, quo mediante occulta aliquando revelans, plures & præcipuè mulieres honestas circumpurpuratas & ditissimas decipiebat, & tale donum eis repromittebat, ut infra dicam §. 2. num. 11. Ita mulier decepta & animo effervescens multa vana & deliriosa effutiebat, & putans se prophetare, gratiamque & prophetiæ donum à Marco accepisse, gratias ei agebat, & gratam eidem se ostendere conabatur, & non solùm secundùm substantiæ suæ dationem, sed & secundùm corporis copulationem, & secundùm omnia ei uniri cupiebat.

VI. Non tamen (prosequitur Irenæus) diabolica Marci fraus in omnes prævalebat. Multæ enim ex fidelibus mulieribus ab eo tentatæ, & jussæ ut supra prophetare, *exsufflantes & catathematizan-*

tizantes eum, separaverunt se ab hujusmodi insano, qui se divinum spirare simulabat; pro certo scientes, quoniam prophetare non à Marco Mago inditur hominibus; sed quibuscumque Deus desuper immiserit gratiam suam, hi à Deo traditam habent prophetiam, & tunc loquuntur ubi & quando Deus vult, sed non quando Marcus jubet &c.

Nec tamen solus ipse, *quin etiam* (ait ex Irenæo Epiphanius num. 2.) *discipuli quidem illius varia oppida peragrantes compluribus mulierculis iisdem artibus illuserunt, cùm perfectos se esse jactarent, neque quemquam posse secum scientiæ copiâ conferri: non si Paulum Petrumque nomines, aut ex Apostolorum numero quemlibet*. Neminem judicem se timere asserentes: quòd si aliquis manus in eos injicere tentaret, ab oculis se subduci ac sursum evehi dicebant, quæ maligno auxiliante spiritu falsis miraculis ac signis illudentes comprobare conabantur, adeò ut ex Asia in Gallias profecti in Rhodani tractu plerasque mulieres dementarint. Inter cæteras præstigias, quibus videntes attonitos reddebant, ait Epiphanius n.1., *ferunt tria apud illos candidissimo ex vitro vasa comparari, in quæ album vinum infusum, dum illam quam putant Eucharistiam, reverà autem incantamenta peragunt, subitò commutatur: ut aliud sanguinei, purpurei aliud, aliud cærulei coloris appareat*. Sed de hoc infra dicam dum eorum errores recensebo.

VII. Hujus hæresis ortum seculo secundo ultra medium contigisse, exploratum videtur; emersit enim ætate Valentini magistri, qui vixit sub Antonino Pio: circa quæ tempora ex Irenæo Eusebius L.4. c.11. Marcum collocat dicens: *Alium præterea quemdam nomine Marcum eodem tempore extitisse scribit, magicarum præstigiarum peritissimum*. Consentiunt Epiphanius Theodoritus & alii. Miserandum Marci exitum ignoramus; ejus tamen hæresim longo tempore viguisse ex eo colligo, quòd ætate Epiphanii adhuc perdurasse indicant ejus verba Hæres. 34. num. 1. dicentis de Marcosiis: *Quod ipsum ad hodiernum usque diem Sectatores illius* (Marci) *faciunt. Cujusmodi magicæ artis fallacias qui vident, ut ab illo quondam dum viveret, sic ab illius modò Sectatoribus miracula fieri arbitrantur*. Deinde subdit supra recensitum miraculum de tribus vasis,,, Hoc certum est (inquit Baronius ad ann. 175. num.24.) quòd
,, nemo ex omnibus aliisque Valentini discipulis nequior Marco,
,, nec qui majorem cladem intulerit Catholicæ Fidei professoribus: quippe qui addens hæresi adhuc magiam, & multa faciens
,, quæ esse miracula viderentur, his artibus circumiens Christianum orbem, seduxit plurimos, quorum non solùm mentes imbuit hæresi, sed corpora affecit ignominia.

VIII. Considerato deinde illius temporis Ecclesiæ statu, quæ

hinc à persecutoribus, hinc à seductoribus impetebatur, & tamen de utrisque juvante Dei gratiâ triumphavit, subjungit num. 30.
„ Infelix planè conditio, quæ his temporibus magno vitæ periculo, persecutione ubique vigente, cùm Deos gentilium reliquissent, atque Christo nomen dedissent, in hunc & alios huic similes impostores impegerint, à quibus sic fallaciter deciperentur: ut perspicuè planè appareat, graviorem Sanctam Dei Ecclesiam passam esse jacturam ab ejusmodi nebulonibus, quàm à persecutoribus ipsis: cùm præsertim ad sectam essent illecebræ, quòd Valentiniani omnes (ut scribit Tertullianus in Scorpiaco c.ult.) non esse confitendum Christum, nec subeundum martyrium prædicarent: adeò ut qui ejus sectæ erant, in persecutione tutissimè agerent: è contra verò qui Catholici essent, undique à persecutoribus exagitarentur, ac crudeliter necarentur. Quis, rogo, inter tot spinas ac vepres semen fidei positum videns, non prorsùs suffocandum esse putasset, ac coalescere posse penitus desperasset? At ne mente quidem quis concipere potuisset, ipsum sic compressum persecutione Gentilium, & oppressum impiis dogmatibus, ac proculcatum operibus hæreticorum, vi quâdam divinitùs insitâ ex illis erumpere, & super illas emergere, superare, atque in arborem crescere valuisse, ut in his illud sit planè canendum Psalm. 117. *Manus Domini fecit hæc omnia: & est mirabile in oculis nostris* „. His Eminentissimus Annalium parens hujus mei Operis argumentum mirè confirmat.

§. II.

Marci & Marcitarum errores de Veritate, Homine, & Christo.

I. MArco & Marcitis quatuor hæreses tribuit S. Augustinus L. de Hæres. cap. 14. his verbis: *Marcus etiam, nescio quis hæresim condidit, negans Resurrectionem carnis, & Christum non verè, sed putativè passum asseverans. Duo quoque opinatus est ex adverso sibi esse principia. Quoddam tale etiam ipse de Æonibus sicut Valentinus affirmans.* Hæ tamen non fuerunt à Marco adinventæ, sed ab aliis acceptæ. Primam enim jam docuerant Simon Magus, Basilides, primi Gnostici, Carpocrates, Cerinthus, & Valentinus cum aliis. Secundam omnium primus excogitaverat idem Simon, quem secuti sunt Basilides, Gnostici &c. A Simone pariter exordium tertia sumsit, cui primi Gnostici, & alii adhæsere, inter quos Valentinus, à quo etiam didicit quartam, licèt ei de suo aliquid addiderit.

II. De

II. De hoc prætermittam inextricabiles fabulas, quibus auditores suos involvebat, quas apud Irenæum & Epiphanium legere est: & solùm dicam quòd docebat, totam plenitudinem, & perfectionem veritatis dispositam esse in litteris Alphabeti Græci, adeò ut sinè illis veritas haberi non possit, cùm in eis omnium rerum perfectio contineatur. Unde Philaster Hæres. 41. *Dicit enim ita: viginti quatuor litteræ sunt, quæ perfectionem habent omnium rerum, Propter quod & Christus, inquit, dicebat, Ego sum Alpha & Omega.* At cum triginta Æones poneret, à quibus omnia processisse fabulabatur, ut unicuique Æoni sua littera responderet, viginti quatuor Alphabeti Græci litteris sex alias addidit, ut triginta Æonum numerum explerent. Sic ex harum litterarum, syllabarum & vocum numero 30. Æones adumbrantium Veritatem ipsam processisse dicebat:& ut huic fabulæ auctoritatem daret, aliam addebat fabulam dicens, supremam Tetrada instar mulieris ad ipsum descendisse, & arcana hactenus ignota ei patefecisse; asserens hanc mulierem fuisse Sigen, quæ ipsum velut filium diligebat unicum, cui nihil celare posset. Hæc per extensum refert Irenæus Lib. 1. cap. 10.

III. Deinde cap. 12. refert., præfatum Marcum ostendisse, excellentiam & magnitudinem omnium rerum ac veritatem ex litteris nominis *Jesus* apparuisse, in eo enim ut conjuncto nomini *Christus* omnis litterarum numerus completus est, ac omnis veritas priùs ignota manifestata: *Priùs autem*, inquit, *quàm hujus nominis insigne appareret, hoc est Jesus, filiis, in ignorantia magna fuerunt homines & errore. Cùm autem manifestatum est sex litterarum nomen hoc* (græcè enim dicitur *Iisous*) *quod secundùm carnem amictum est, ut ad sensibilitatem hominis descenderet, habens in se metipso ipsum quoque sex & viginti quatuor, tunc cognoscentes eum cessaverunt ab ignoratione, & à morte in vitam ascenderunt, nomine ejus facto ducatore ad Patrem veritatis.* Hæc aliaque Irenæus, quibus fabulis obumbraret Marcus Veritatem.

IV. Hanc methodum & artem ex litteris syllabis & numeris, eorumque computationem, quasi eis aliqua vis inesset, plura divinandi, fortè hauserat Marcus ex Pythagoræ schola; vel ex Judæorum & Pharisæorum commentis, qui ut in libris Talmudicis apparet, hisce grammaticis observationibus ad plura abutebantur, & qui Judaicam Cabalam sequuntur, plura ex literarum numeris se scire arbitrantur, imo plura etiam prodigiosa vi litterarum fieri putant, quare miracula quæ Christus fecit, vi Nominis Dei propriis elementis expressi, & ab eo furtim sublati, ea patrasse, impio mendacio effutiebant; quod retuli, & confutavi Tomo 1.

 hujus

hujus Operis cap. 10. §. 7. num. 56. & seq. Verum quidem est, in Apoc. cap. 13. v. 18. Antichristi nomen per numerum 666. designari: *Qui habet intellectum computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus ejus sexcenti sexaginta sex*. Sed verùm etiam est, quòd estò aliqui numerum illum in alicujus particularis personæ nomine jam impletum privato studio ostendere conati sint; nemo tamen maximè Patrum aliquid certi affirmare ausus est. Vide quæ dixi Tom. 16. Theol. q. 1. de Antichristo Dub. 2. §. 3. num. 33. &c., ubi mendacia Acatholicorum super hoc refutavi.

V. Potiori ergo ratione Irenæus L. 1. c. 12. (modò 18.) corripit Marcum, qui per litterarum numeros veritatem omnium rerum comprobare voluit, quasi quòd existimarit æternas esse græcas litteras, sicut Veritas æterna est, vel quòd ante præfatarum litterarum inventionem veritas in mundo non esset. Primò enim à Cadmo litteras sexdecim se accepisse; post deinde procedentibus temporibus reliquas se adinvenisse, confitentur Græci: ex quibus Irenæus: *Priùs igitur*, inquit, *quàm apud Græcos hæc fierent, non erat veritas?* Cadmum fuisse primum qui Græcis litterarum elementa dedit, testatur Eusebius L. 10. Præpar. Evang. cap. 5., sed Cadmum fuisse ex Phœnicia dicit, ideo litteras fuisse priùs apud Phœnices: hos autem eas accepisse à Syris, quos putat fuisse Hebræos: ergo ante Alphabetum Græcum erat Phœnicium, & antea Syrum seu Hebraicum: ergo ante Alphabetum & litteras Græcas erat in mundo Veritas, ergo desipiebat Marcus, qui ab eo omnem processisse veritatem asserebat. Quæ Moysis loca ad suam hypothesim detorquerent Marcitæ, vide apud Irenæum Lib. 1. cap. 15. (modò 18.)

VI. Circa hominem etiam errabat Marcus; à Valentino tamen magistro suo dissentiebat, ubi enim ille tria hominum genera ab initio condita spirituale, animale, & materiale, ut dixi, asserebat; Marcus, uno genere omisso, nempe animali, duo tantùm statuebat, nimirum spirituale & materiale seu carnale: & hæc diversis diebus fuisse condita: unum sexto, alterum octavo die. In hoc tamen ejus discipuli non conveniebant. Nam ut ait Irenæus cap. 15. (modò 18.) *In octavo dierum formatum dicunt hominem: aliquando enim volunt eum sexto die factum, aliquando autem octavo, nisi fortè choicum quidem in sexto dierum dicunt formatum, carnalem autem in octavo; distincta sunt enim hæc apud eos. Quidam autem & alterum esse volunt, qui secundùm imaginem & similitudinem Dei factus est homo masculo-femineus, & hunc esse spiritualem, alterum autem qui ex terra plasmatus est.*

VII. Hanc Marcitarum insaniam Sacræ Litteræ confutant. Genesis

nesis enim 1. formationis unius tantùm viri Adæ, & Evæ feminæ ex ejus costa eductæ mentio fit, & quidem sextâ die. Sic namque legitur v.26. *Et ait* (Deus) *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram . , . . Et creavit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum : masculum & feminam creavit eos*. Et cap. 2. v.2. *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat : & requievit die septimo ab universo opere quòd patrarat. Et benedixit Deus diei septimo & sanctificavit illum : quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret*. Unius ergo tantùm maris & feminæ, & hujus facti ex limo ad imaginem Dei, & die sexto, post quem ab omni opere cessavit Deus, Moyses meminit. Unde ergo distinctio hominis facti ad imaginem Dei & spiritualis, & facti ex terra plasmati & carnalis, unius sextâ die formati, alterius octava?

VIII. Nec dicas, formationem hominis ad imaginem Dei referri cap.1. & die sexto factam, formationem vero hominis ex limo narrari post septimam diem, sicut & formationem mulieris. Nam ineptè ex hoc arguitur duplex genus hominum diversa die factum. Nam quæ Moyses describit cap. 2. non sunt diversa opera diversis diebus facta, sed pura explicatio modi quo facta sunt. Ut enim dixi Tom. 6. in 1. p. qu. 1. de formatione primi hominis Dub. 7. §. 2. num.12., Moyses ea quæ compendio facta c.1.retulerat, quo modo & ordine facta fuissent distinctiùs exprimere hoc cap. 2. voluit, non nova opera narrando, sed modum & ordinem, quo facta fuerant, exponendo; sic hominem dixit factum ex limo, & Evam ex ejus costa eductam, quamvis utrumque sextâ die factum fuerit. Cæterum ultra sextum diem Deum nihil de novo ad mundi conditionem spectans operatum fuisse, aliis in locis confirmant Scripturæ. Exodi enim 31. v. 17. dicitur: *Sex diebus fecit Deus cælum & terram, & in septimo ab opere cessavit*. Paulus ad Hebr. c. 4. v. 4. ait: *Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis*. Et Ecclesiastici c.17. v.1. legitur: *Deus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum*. Quæ apertè demonstrant, hominem de terra formatum eundem esse ac hominem ad imaginem Dei factum.

IX. Tale Valentini & Marci delirium vix aliquis Ethnicus excogitavit. Aristophanes quidem, ut refert Plato apud Eusebium L.12. Præpar. Evang. c.12., tria hominum genera posuit, non tamen ut Valentinus & Marcus, sed volebat solùm ab initio conditos fuisse homines discretos in masculum, feminam, androgynum, idest ex utroque sexu maris & fœminæ participantem. Ita quippe ajebat: *Neque enim eadem quæ nunc est natura olim nostra fuit, sed*

longè

longè diversa. Primùm enim genera hominum fuerunt omnino tria, non duo tantùm, uti sunt hoc tempore, mas ac femina; sed tertium insuper erat cum utroque commune, quod nudo tantùm relicto nomine prorsùs evanuit. Tum enim androgynum erat, tam formâ quàm nomine ex utroque maris & feminæ sexu conflatum.

Plato etiam tria genera hominum visus est admisisse à Deo condita, sed diverso modo ac ipsi: ajebat enim apud Clementem Alexandr. L. 5. Strom. pag. 595. *Sed Deus dum fingeret, quicumque ex vobis erant apti ad imperandum, aurum eis commiscuit in generatione, & ideo sunt præstantissimi & maximi pretii: quicumque autem erant auxiliatores, argentum: ferrum autem & æs agricolis & aliis opificibus.* Hæc Plato, qui fortè allegoricè loquitur. Nam ut infra refert Clemens, agens de corporis humani formatione, dicit illud factum ex pulvere, & terrenum esse corpus hominis, se & omnes sigillatim Philosophos convenire. Unde dari tria genera hominum vel duo, ut Valentinus & Marcus ponebant, singulare eorum delirium fuit.

X. Multa etiam fabulosa de Jesu Christo excogitaverat Marcus. Eum primò voluit genitum à quaternitate Æonum, nempe ex Anthropo & Ecclesia, Logo & Zoe, non tamen ab ipsis immediatè, sed vices Logi idest Sermonis adimplevisse Angelum Gabrielem, vices Zoe idest Vitæ Spiritum Sanctum, vices Anthropi Virtutem Altissimi, & vices Ecclesiæ Virginem Mariam, per cujus uterum purè transmeavit, nihil de ea accipiens juxta errorem Valentini. Ita Irenæus L. 1. c. 12. (modò 15.) num. 3. his verbis: *A quaternione enim progressi sunt Æones. Erat autem in quaternione Anthropos & Ecclesia, Logos & Zoe. Ab iis igitur Virtutes, ait, emanatæ generaverunt eum, qui in terra manifestatus est, Jesum. Et Logi quidem locum adimplesse Angelum Gabriel, Zoes autem Spiritum Sanctum, Anthropi autem Altissimi virtutem. Ecclesiæ autem locum Virgo, ostendit. Et sic ille qui est secundùm dispositionem per Mariam generatur apud eum homo, quem Pater omnium transeuntem per vulvam elegit per Verbum ad agnitionem suam.* Ad hanc fabulam detorsisse Marcum puto ea, quæ de conceptione Jesu scribit Lucas c. 1.; Gabrieli enim conceptionis nuntio assignat locum Sermonis seu Logi; Spiritui Sancto qui supervenit, locum Zoes seu Vitæ; Virtuti Altissimi quæ Mariæ obumbravit, locum Anthropi: Mariæ autem in qua opus complendum erat, locum Ecclesiæ. Apage nugas!

XI. Sed hic fabulæ finis non erat. Addebat, Christum, seu supernum Salvatorem, in eum cùm ad aquas venisset, descendisse, qui cùm Æonum omnium fœtus esset, omnium in se virtutem com-

complectebatur, huncque esse, qui per os Jesu verba fecerit, seque filium hominis confessus fuerit, quòd supernum hominem Patrem haberet. Ita Irenæus citato loco: *Cùm autem venisset ipse ad aquam, descendisse in eum quasi columbam eum, qui recucurrit sursum, & implevit duodecimum numerum: in quo inerat semen eorum, qui conseminati sunt cum eo, & condescenderunt & coascenderunt. Ipsam autem Virtutem quæ descendit, semen dicit esse Patris, habens in se & Patrem & Filium, & eam quæ per eos cognoscitur innominabilis virtus Siges, & omnes Æonas. Et hunc esse spiritum qui locutus est per os Jesu, qui se confessus est filium hominis, & manifestavit Patrem, descendens quidem in Jesum & unitus est.* Vide, quàm intricatis verbis iste nebulo simplicibus illudebat.

XII. His verbis indicatur, Marcum secutum fuisse errorem aliquorum præcedentium Hæreticorum, qui ut dixi separabant Jesum à Salvatore seu Christo, & dicebant Christum descendisse in Jesum, & solum apparenter fuisse passum. Quod de Marco expressis terminis asserit Philaster Hæref. 42. sic: *Dicebat etiam, quòd in postremo tempore Christus descendit ad Jesum in figura & similitudine Columbæ, & Christum ipsum Columbam esse docebat: quæ descendit, inquit, ad duodecim Æonas, idest duodecim Apostolos, & unum ex eis cecidisse, idest Judam, æstimabat. Christum autem putativè dicit apparuisse, & passum fuisse quasi per umbram, non tamen verè passum corpore arbitratur.* His tamen omnibus resistunt Evangelia, ut ostendit S. Irenæus L. 3. c. 16. (aliàs 17.) Unum enim & eundem Jesum esse Christum & Salvatorem, verum Deum, Dei Verbum & Filium Dei unigenitum propter nostram salutem incarnatum, clarè demonstrant Evangelia, præcipuè Joannis cap. 1. Eum autem qui ad Jesum super aquas Jordanis descendit non fuisse Salvatorem seu Christum, sed Spiritum Sanctum sub Columbæ specie, inter alios ostendit Lucas cap. 3. v. 22. *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum* (idest Jesum, qui etiam à Patre filius suus ibi declaratur) *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Et consequenter eum qui passus est fuisse Jesum Christum filium Dei factum hominem. Quare Irenæus Lib. 3. cap. 17. (aliàs 19.) concludit: *Spiritu itaque descendente super prædictam dispositionem, & Filio Dei Unigenito, qui & Verbum est Patris, veniente plenitudine temporis incarnato in homine propter hominem, & omnem secundùm hominem dispositionem implente Jesu Christo Domino nostro, uno & eodem existente, sicut & ipse Dominus testatur, & Apostoli confitentur, & Prophetæ annuntiant; mendaces ostensæ sunt universæ doctrinæ eorum, qui octonationes & quaternationes putativas invenerunt, & subdivisiones excogitaverunt: qui Spiritum*

tum quidem interimunt, alium autem Christum & alium Jesum intelligunt, & non unum Christum, sed plures fuisse docent: & si unitos eos dixerint, iterum ostendunt, eum quidem participasse passionem, hunc autem impassibilem perseverasse, & hunc quidem ascendisse in Pleroma, hunc autem in medietate remansisse &c. Hæc & alia Irenæus, videndus etiam in antecedentibus & subsequentibus Capitibus, ubi hos errores invictè prosternit; mihi enim non vacat in re adeò clara immorari.

XIII. Ut suum tuerentur errorem, quo dicebant summum Deum Patrem fuisse ante prorsus ignotum, & ad eum ostendendum Christum venisse, varia producebant. Primò ex Libro Infantiæ fabulam, quam alibi rejeci, nimirùm quòd Jesus puer cùm esset, ac litteras disceret, jubenti Præceptori, dic *Alpha*, respondit Jesus *Alpha*: rursum præcipienti, ut *Beta* diceret, respondit Jesus: Tu mihi prius quid sit *Alpha* dicito, tum ego quid sit *Alpha* respondebo. Quod illi sic interpretantur, quasi solus quod erat ignotum intelligeret, idque sub litteræ *Alpha* specie declarare vellet. Præterea alia multa, quæ in Evangelio leguntur pronunciata à Christo, ad idem applicabant: quæ apud Irenæum L. 1. c. 20. (aliàs 17.) & Epiphanium Hæres. 34. n. 18. videri possunt confutata tanquam à verò sensu aliena.

§. III.

Errores de Baptismo, Eucharistia, & Prophetia.

I. BAptismi Sacramentum variis modis Marcitæ profanabant, seu veriùs tollere nitebantur. Ad Baptismi per quem regeneramur eversionem, aliud quoddam inventore Satanâ excogitarunt: *Redemtionem* appellabant, hancque illis qui perfectam *gnosin* ideſt scientiam consecuti fuerant, necessariam esse dicebant, ut in Virtutem, quæ super omnia eminet, renascerentur: aliter fieri non posse, ut cuiquam aditus ad Pleroma pateret, cùm ea sola usque ad intimum Bithi sinum posset evehere. Eam proinde redemtionem infinito pene excessu vulgare Christianorum Baptisma superare, non pudebat asserere. Hoc enim, ajebant, est animale, illa spiritualis: hoc à conspicuo Jesu institutum, illa ab eo qui in eum descendit, Salvatore: hoc ad pœnitentiam annuntiatum, nec eo, quem annuntiabat Joannes, virtute superius; illa consequendæ perfectionis causâ desuper allata: & de hoc loquutum Christum, cùm Joannis Baptismo jam baptizatus Lucæ 12. v. 50. dixit: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?*

Hæc

Hæc apud illos doctrina communis erat. At verò in redemtionis modo dissentiebant, inquit Irenæus L. I. c. 21. aliàs 18., *Quoniam unusquisque illorum quemadmodum ipsi volunt tradunt eam. Quanti enim sunt hujusmodi sententiæ mystici Antistites, tot sunt redemtiones.*

II. Alii ergo apparato nuptiali cubiculo mysticis quibusdam ritibus & profanis verborum formulis initiandos suos consecrabant. Hæ, ut ajebant, spirituales erant nuptiæ superna conjugia præfigurantes. Alii Baptismi cæremonias adumbrabant; nam ad aquam ducentes eos inter baptizandum hæc proferebant verba: *In nomine incogniti Patris omnium; in Veritatem matrem omnium: in descendentem in Jesum ad unitionem & redemtionem, & communionem virtutum.* Alii ut terrorem miseris incuterent, hebraica ignota nomina proferebant, *Basyma, cacabasa, canaa, trraumista, diarbada, caeota, basobor, camelanti*; quæ sic reddebant: *Hoc quod est super omnem virtutem Patris invoco, quod vocatur lumen, & spiritus, & vita: quoniam in corpore regnasti.* Alii rursùs redemtionem profantes dicebant: *Nomen quod absconditum est ab universa Deitate, & Dominatione, & Veritate, quod induit Jesus Nazarenus in zonis luminis Christus Dominus viventis per Spiritum Sanctum in redemtionem Angelicam.* Nomen etiam, quod dicebant restaurationis: *Messia usar magno in sceucbaldia mosomeda, caacha faronepsca Jesu Nazarene.* Quæ sic redduntur: *Christi non divido spiritum, cor, & super cœlestem virtutem misericordem: fruar nomine tuo Salvator veritatis.* His à consecrante dictis; qui consecrabatur respondebat: *Confirmatus sum, & redemtus sum, & redimo animam meam ab Æone hoc, & omnibus quæ sunt ab eo in nomine Jao, qui redemit animam ejus in redemtionem in Christo vivente.* Qui verò adstabant, dehinc superaddebant: *Pax omnibus, in quos hoc nomen requiescit.* Post hæc sacratum opobalsamo ungebant, unguentum illud typum esse ejus severitatis, quæ est super universa, asserentes. Hi ex Irenæo loco laudato apud quosdam Marcitarum superstitiosi in Baptismo erant ritus.

III. Quidam verò (prosequor ex Irenæo) supervacuum esse putantes adducere baptizandos ad aquam, miscebant oleum & aquam in unum cum quibusdam profanis dictionibus, supradictis similibus, & super caput initiandi effundebant, hanc esse redemtionem asserentes. Alii verò hæc omnia recusantes dicebant, non oportere inenarrabilis & invisibilis virtutis mysterium per visibiles & incorruptibiles perfici creaturas. Redemtionem enim spiritalem esse non corporalem & in agnitione ineffabilis magnitudinis positam.

Alii Baptismum seu redemtionem ad mortem protrahebant. Difficultas videtur, an jam mortuis, an morituris illam conferrent. Primum asserere videtur Irenæus citato loco num. 5. dicens: *Alii sunt, qui mortuos redimunt ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum & aquam, sive prædictum unguentum cum aqua, & supradictis invocationibus, ut incomprehensibiles & invisibiles Principibus & Potestatibus fiant, & ut superascendat super invisibilia interior ipsorum homo, quasi corpus quidem ipsorum in creatura mundi relinquatur, anima verò projiciatur Demiurgo*. Secundum, quod aqua & oleo tingere non *mortuos* sed *morituros* probabilius est. Unde Billius in sua interpretatione ponit, *Sunt alii qui jam jamque ex hac vita expressuros redimant, oleum aquæ immixtum in eorum capita injicientes*. Et Epiphanius Hæres. 36., Heracleonem hoc à Marco accepisse dicens, ponit *mortuos* seu *morientes*. Quare quod apud Irenæum legatur *mortuos*, lapsus Interpretis credi potest.

IV. Fortè dicent Acatholici recentiores, ritum balsamo seu chrisinate baptizandos inungendi, quem frequentat Ecclesia Catholica, & ritum ungendi infirmos morti proximos à Marcitis derivasse, eosque habere auctores. At cur non dicunt potiùs, Ritus sacros, quos illis temporibus adhibebant Catholici, & tam in Baptismo, quàm in Extrema Unctione modò Ecclesia servat, suis superstitionibus eos profanasse? Ecclesia solâ aquâ semper baptizavit & verbis à Christo præscriptis, & Oleo benedicto seu Chrisinate solùm peracto baptismo caput baptizati inunxit. Antiquæ hujus disciplinæ testes habemus Tertullianum, qui Lib. de Bapt. c.7. *Exinde*, inquit, *egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione de pristina disciplina*: Cyprianum, qui Ep. 70. ait: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit*: Basilium, qui de Spiritu Sancto cap.27. *Consecramus*, inquit, *aquam Baptismatis, & oleum unctionis; præterea ipsum qui Baptismum accepit. Ex quibus Scripturis? Nonne à tacita Traditione? Ipsam porrò olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Nonne ex arcana hac Traditione?* Extremam quoque Unctionem tanquam unum ex novæ Ecclesiæ Sacramentis semper agnovisse, ostendi Tom.5. in 3. p. q.5. de Essentia Extr. Unct. Dub.1.: & hoc adeò certum semper habuit utraque Ecclesia, ut non solùm Latina, sed & Græca, etsi modò schismate divulsa, in suis Synodis Calvinistas & alios id negantes anathemate damnarit, ut ibi demonstravi.

Erant ergo hæretici Marcitæ, non quia ejusmodi frequentassent, sed quia & contra præscriptum à Christo & Ecclesia ea peragebant, & ad suos superstitiosos fines detorquebant. Non enim solâ aquâ, sed aquâ mixtâ balsamo baptizabant, nec verbis à Christo

sto

sto institutis, sed aliis ab eis excogitatis, & superstitionem suam exprimentibus, ut dixi. Imo quidam & aquam & verba à Baptismo rejiciebant, dicentes, à sensibilibus mysteria spiritalia non pendere, & proinde gratiam non per baptismum sensibilem, sed per agnitionem obtineri, nec Baptismum Christi plus facere quàm Baptismum Joannis; quæ omnia ex Irenæo constant. In unctione morientium errabant; non quia eos ungerent, sed quia eam unctionem Baptismum reputabant, loco Baptismi, seu ut ajebant redemtionis, eam usurpabant, & propter fines superstitiosos ab eis confictos; non verò ad acquirendam gratiam roborantem animam contra debilitates ex peccatis relictas, contra tentationes arte dæmonis in eo articulo ingruentes, & peccata venialia, si ea inveniat delenda; ad quos fines eam adhibet Catholica Ecclesia.

V. Sed quid dicent Heterodoxi, si ea quæ ipsi docent de Baptismo, à Marcitis eos accepisse demonstravero? Valori Baptismi aquam non esse necessariam Marcitarum aliqui dicebant. Hoc & Lutherus in Colloquiis Symposiacis cap. 17. referente Bruodino L.2.c.4. & Stanislao Rescio, docuit. Consultus enim, an in cervisia posset baptizari, si aqua deesset, aut etiam lacte, respondit: *Hoc opus esse judicio Dei permittere: tamen quâcumque re quispiam ablui potest, hoc etiam ad Baptismum potest pertinere.* Beza etiam in Epist. Theolog. ep. 2. *Desit aqua*, inquit, *& tamen Baptismus alicujus cum ædificatione differri non possit, nec debeat: ego certè quovis alio liquore non minùs rectè quàm aquâ baptizarem.* Suenchfeldiani quoque sectâ Antilutherani aquam Baptismi contemnentes, Baptismum vocant *balneum suillum*, ut ex Staphylo refert Prateolus L.17. num.41.: imo fidem non esse à Scripturis petendam, sed ad fidem eas inflecti debere, quod est cum Marcitis asserere, spiritalia à sensibilibus non pendere, sed vice versâ.

Clariùs tamen Marcitas sequitur Zuinglius, qui asserit, teste Rescio (in Atheismo de Baptismo) non esse necessariam in Baptismo certam verborum formam; dicens, Christum Dominum non instituisse magiam, quæ ad certam verborum formam sit alligata. Hinc Brentius in suo Catechismo utitur aliâ formâ ab ea quam Christus instituit prorsus diversâ, nimirùm, ut refert prælaudatus Rescius: *Si Minister post recitatum à Catechumeno fidei Symbolum diceret: Audivi jam ex confessione fidei tuæ, quòd credas in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. In hanc igitur confessionem intingo te in aquam, ut hoc signaculo certus sis, te esse insertum Christo: vade in pace: validum esset Baptisma.* Quidam etiam Anabaptistæ his verbis baptizant: *Ego te baptizo in nomine Christi, qui fuit ante Mariam: vel ego te baptizo in nomine Christi, qui non fuit*

ante Mariam. Alii etiam baptizant *in nomine Christi ignoti*. Demum omnes conveniunt, id quod est sensibile in Baptismo nec conferre gratiam, nec justitiam, sed solùm excitare internam fidem, quâ justificamur. Quinam ergo ad Marcitas accedunt? Conferat pius ac prudens Lector, & judicet.

VI. Sacram quoque Eucharistiam Marcus & sui turpiter, ut supra tetigi, profanabant. Marcus ergo, quamvis nullâ secundum Ecclesiasticas leges acceptâ Manuum Impositione, sacerdotium nedum sibi arrogabat, sed & mulieribus in prostitutæ pudicitiæ pretium per summum nefas committebat. Cùm enim eorum temporum Hæretici, etsi perditissimi, conscii essent, nullam sinè vero Sacrificio Christianam Religionem subsistere posse, id utrumque adumbrare studebat Marcus. Poculis ergo vinum album infundebat, illudque consecrare se fingens, prolatis quibusdam magicis incantationibus efficiebat, ut rubicundum & purpureum appareret, ut sic existimaretur sanguis suus per ipsius verba in poculum illud stillari: quod & à mulieribus postea factitari jubebat. Ita Irenæus L.1. c.13. aliàs 8. *Calicem vino mixtum fingens se consecrare, & in multum extendens sermonem invocationis, purpureum & rubicundum apparere facit, ut putetur eâ gratiâ ab iis, quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per invocationem ejus: & valdè concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, ut & in eos stillet quæ per magum hunc vocatur Gratia. Rursùs mulieribus dans calices mixtos, ipsas gratias agere* (seu consecrare) *jubet præsente se. Et ubi hoc factum est, ipse alium calicem multò majorem quàm est ille, in quo illa seducta Eucharistiam fecit, proferens & transfundens à minori, qui est à muliere Eucharistia factus, in illum qui est ab illo allatus multò majorem, statim dicens* ,, Illa, quæ est ante omnia, in-,, excogitabilis & inenarrabilis gratia, adimpleat tuum intùs ho-,, minem, & multiplicet in te agnitionem suam, inseminans gra-,, num sinapis in bonam terram,,. *Et talia quidem dicens, & in insaniam mittens illam infelicem, admirabilia faciens apparuit, quando major calix adimpletus est de minori calice, ut & supereffunderet ex eo*. Ita scelestus ille summum Christianæ Religionis Mysterium vertebat in scelus, eoque ad suæ nequitiæ implementum abutebatur.

VII. Lambertus Danæus ex Protestantium schola, ex hoc Marci errore fluxisse dicit (Opusc. de Hæres. cap.14.) Catholicorum, quos Papistas vocant, sententiam de Transubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi in Eucharistia: eamque propterea tum Irenæum tum Epiphanium Hæres. 34. tanquam ineptiam aspernari. Sed ineptè Danæus discurrit. Ex quo enim præ-

præfati Patres damnent transubstantiationem vini, quam fingebat Marcus: quomodo infertur damnandam esse eam quam confitentur Catholici? Marcus nullo initiatus sacerdotio eam conficere, & quidem in solo vino præsumebat, eamque conficiendi potestatem mulieribus concedebat, non ex Christi instituto, sed magicâ dæmonis illudentis arte, & ad fines impudicos seductas mulieres trahendi gratiâ. Nunquid talis transmutatio execranda non erat? At apud Catholicos soli viri, non mulieres, nec omnes viri, sed ii soli qui Sacerdotio funguntur, Eucharistiam conficiunt in pane & vino ex instituto ac verbis Christi, & his solis panem & vinum transmutari dicunt in corpus suum & sanguinem, sicut ipse fecit in cœna, & in sui memoriam faciendum præcepit Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. Hæc est Catholicorum antiqua praxis & fides de Eucharistia.

VIII. Nec Irenæus contrarium sentit. Imo Transubstantiationem Eucharisticam apertè contra Hæreticos docet L. 4. cap. 18. aliàs 34., ubi demonstrat, in tota Ecclesia Catholica cum simplicitate & justitia offerri verum ac purum sacrificium, Eucharistiam videlicet, quæ est ipsum corpus & sanguis Christi. Ubi ejus rationes Lector videre poterit, sicut & apud P. Massuet Dissert. 3. art. 7. num. 76. &c. Nec Epiphanius ab hac Catholica veritate discedit, quin & ipse eam ut fide tenendam omnibus proponens in Ancorato num. 57. *Videmus enim*, inquit, *Salvatorem ipsum panem in manus accepisse, ut in Evangelio legitur. Quod à cœna surgens hæc acceperit, & gratias agens dixerit* „ Hoc meum est hoc „. *Atqui videmus æquale illud non esse, nec simile, nec susceptæ carnis imagini, nec Divinitati ipsi, quæ videri non potest; non membrorum lineamentis, ac notis. Illud enim rotundum est, & quod ad vim attinet, sensus expers: & nihilominus ex gratia pronuntiare voluit*, „ Hoc meum est hoc „. *Neque quisquam est, qui ei sermoni fidem non adhibeat. Nam qui verum illum esse non credit, à gratia & salute prorsùs excidit*. Ita Epiphanius. Quid ad hæc Danæus?

IX. Debuisset potius dicere, realem corporis & sanguinis Christi præsentiam per Transubstantiationem panis & vini illius temporibus rem adeò exploratam apud fideles fuisse, ut nec impudentissimi Hæretici eam negare auderent: ideoque præstigiatorem Marcum, ut simplicibus præsertim mulieribus fucum faceret, ac ad suos pravos fines alliceret, hujus larvam eis exhibuisse. Age quæso, fac Marcum ejusque asseclas scivisse Fideles in Eucharistia nil aliud agnoscere, quàm meram Christi corporis & sanguinis figuram eâdem substantiâ panis & vini post consecrationem perseverante; ut quid tam operosè studuisset vinum album in rubrum

brum colorem transmutare, & ut sanguinem desuper stillantem exhibere & prædicare? Nisi hæc fuisset omnium Christianorum sententia & fides, in Eucharistia converti vinum in sanguinem, facinus in cœtibus Ecclesiasticis hactenus inauditum exhorruissent omnes, nec fuisset qui eo liquore sanguinem referente, & quem verum esse sanguinem jactabat impostor, labia cruentare non refugisset. Cùm ergo Irenæo teste nullus esset, qui ex eo gustare non gestiret, palam fit, quòd generalis omnium Christianorum tunc erat fides, Eucharistiam verum Christi corpus & sanguinem continere. Hæc ad rem præsentem satis sunto: hanc enim Catholicam veritatem contra modernos Hæreticos propugnavi tum in Vera Ecclesia Tomi 2. p. 2. art. 12., tum in Theologia Tom. 3. in 3. p. q. 3. de Eucharistia Dub. 1. & 2.

X. Alterum nefas in confectione Eucharistiæ patrabat Marcus, quòd eam conficiendi etiam mulieribus dabat potestatem. Mulieribus, inquam, quibus nec loqui in Ecclesia permittit Paulus 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit;* his Marcus sanctum Sacrificium perficiendi jus tribuebat. Quæ verba Pauli notans Tertullianus Lib. de Velandis Virginibus cap. 9. *Non permittitur*, inquit, *mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vendicare*. Sanè ut observat Epiphanius Hæres. 79. (quæ est de Collyridianis eâdem labe infectis) num. 2., in Veteri Testamento nulla unquam mulier sacerdotali ministerio se immiscere ausa fuit. Et multò minùs hoc audere debent in Novo, cujus ministerium sanctius est. Unde num. 3. probat, nec Mariæ, cujus uterus ad Divini Verbi Incarnationem veluti Templum fuerat præparatus, ullum sacrum ministerium à Christo fuisse concessum, sed Apostolis. Nihilominus alias, præter à Marco seductas, mulieres, hoc ausas fuisse, colligitur ex Epist. Firmiliani apud S. Cyprianum Ep. 75., ubi Firmilianus super cujusdam phanaticæ mulieris scelus, quæ ausa fuerat Eucharistiam consecrare, ait: *Atqui illa mulier, quæ priùs per præstigias & fallacias dæmonis, multa ad fidelium deceptionem moliebatur, inter cætera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut invocatione non contemtibili sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet* &c. Sed cùm hoc errore infecti essent quoque Montanistæ, & Collyridiani, de eo infra redibit sermo.

XI. Neque is erat præstigiarum Marci finis. Iis, præsertim mulieribus à se seductis post vini sub falso Eucharistiæ nomine potationem, Prophetiæ donum gratiâ suâ se conferre dicebat, eas ad

ad illud suscipiendum his verbis invitans, ut refert Irenæus Lib. 1. cap. 13. aliàs 8. *Participare te volo ex mea gratia, quoniam Pater omnium Angelum tuum semper videt ante faciem suam. Locus autem tuæ magnitudinis in nobis est: oportet nos in unum convenire. Sume primùm à me, & per me gratiam. Adapta te ut sponsa sustinens sponsum suum, ut sis quod ego, & ego quod tu. Constitue in thalamo tuo semen luminis. Sume à me sponsum, & cape eum, & capere in eo. Ecce gratia descendit in te, aperi os tuum, & propheta.* Cùm autem mulier responderet: *Nunquam prophetavi & nescio prophetare;* invocationes quasdam faciens, ad stuporem eam quæ seducebatur redigens, dicebat: *Aperi os tuum & loquere quodcumque, & prophetabis.* Illa autem elata & vano spiritu inflata, pectore plus solito palpitante, loqui incipiebat, quæcumque de futuris pronuntiabat, prophetico se dicere spiritu sibi vanè adulabatur, Marco gratias agens, ac se ipsam præter divitias ei tradens. Cùm tamen aliæ impostoris arte detectâ, eum ut supra dixi detestatæ, ab eo recederent.

XII. Quis non deridet stultam hujus præstigiatoris arrogantiam, qui donum Prophetiæ, quod solius Dei est conferre, aliis suâ gratiâ se communicare præsumebat? Simone Mago Marcus iste callidior fuit; nam ille Spiritum Sanctum emere tentaverat, ut eum venderet; iste verò quem non emerat, tanquam suum proprium, & non Dei, vendere non verebatur, dum aliis ut jactabat communicando, substantiam non modicam recipiebat. Contra ipsum tamen omnis Scriptura clamat, quæ veram prophetiam solius Dei, qui solus futurorum scientiam habet, donum esse prædicat. Unde Isaias c. 41. v. 22. deridens hujusmodi spiritu proprio & non Dei prophetantes: *Accedant*, inquit, *& nuntient nobis quæcumque ventura sunt: priora quæ fuerunt, nuntiate: & ponemus cor nostrum, & sciemus novissima eorum, & quæ ventura sunt, indicate nobis. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum & sciemus, quia Dii estis vos.* Ad istos per Ezechielem c. 13. v. 3. *Dixit Dominus Deus: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* Et v. 6. *Vident vana, & divinant mendacium.* Prophetiam ergo inter gratiarum divisiones, quæ à solo Deo fiunt, adnumerat Paulus 1. Cor. 12.

XIII. An Marcitarum soboles sint quidam de secta Anabaptistarum enthusiastæ, ideft afflati, seu divini, aut ecstatici, qui in ecstasim rapti mira effutiebant somnia, alteri judicandum relinquens, referam solùm ea quæ Lindanus in suo Dubitantio Dialogo 2. de illis enarrat „ Enthusiastæ sive ecstatici quorum initio „ fuit ingens numerus: Hi tanquam verè phanatici suo afflati „ spiritu faciem mutabant, gestus habebant horribiles.... In

ecsta-

„ ecstasim rapti mira effutiebant somnia: se se Zuinglium apud
„ inferos vidisse... Patrem hæc aut illa infanda *jussisse*; Patrem
„ dixisse, Diem Domini instare, cujus tempus designabant, unde
„ tanquam furiosi cursitabant clamitantes: Dies Domini, Dies
„ Domini. Hæc & alia de illis narrat Lindanus. De Trementibus aliâ sectâ scribit Bruodinus L. 4. cap. 9., quòd se prophetandi spiritum habere adeò jactabant, ut assererent, ex eis neminem fuisse, qui Dei spiritum non haberet. Tales ex illis, qui hisce temporibus se Reformatos dicunt, prodiere.

CAPUT XII.

De Colarbasiis, & Heracleonitis.

§. I.

Quis Colarbasus, & qui ejus errores.

I. COLARBASII à Colarbaso eorum duce appellati sunt, quem alii vocant Colorbosum. Aliqui eum post Marcum ponunt, ut S. Augustinus Lib. de Hæres. cap. 13. Epiphanius Hæres. 35. Quidam verò ante, ut Nicetas. Et ante omnes Irenæus, qui L. 1. c. 12. aliàs 6. videtur Marcum facere Ptolemæi & Colorbasii auditorem, & c. 14. alias 10. Marcum vocat *vulvam & susceptorium Colorbasi*. Sed quidquid sit, hoc certum est, & Marcum & Colorbasum & Heracleonem ex eadem Valentini schola fuisse, licèt quisque suos particulares errores addiderit, novæ alicujus hæresis se parentem faciens. De Colorbasi natalibus, patria, & prosapia nil scriptum habemus: hoc certum creditur, fuisse natalibus obscurissimum, & moribus turpissimum, utpote de schola Valentini & Gnosticorum prodeuntem. Marci socius initio fuit, sed ab eo postea errorum suorum superadditione divisus. Ita Epiphanius citato loco num. 1. *Fuit*, inquit. *ei primùm cum Marco societas dogmatumque consensio*, *ut eorum secta tanquam biceps anguis bipartita videretur*. *Postea velut caput à serpentis corpore divulsum, ac spirans adhuc plurimis exitio fuit*. Circa tempora Antonini Pii & Hygini Pont. Sectam hanc emersisse, & anno 152. circiter, Chronologi conveniunt.

II. Ad Colorbasi errores deveniendo. Primò in primorum octo Æonum productione dissentiebat. De Colorbasæis enim agens Irenæus dicto cap. 12. *Qui autem*, inquit, *prudentiores putantur illorum esse*, *primam octonationem*, *non gradatim alterum ab altero*

Æo-

Æonem emissum dicunt, sed simul & in unum, Æonum emissionem à Propatore & Ænnea ejus, cùm crearentur, ipsi se obstetricasse affirmant; & jam non ex Logo & Zoe Anthropon & Ecclesiam, sed ex Anthropo & Ecclesia Logon & Zoen dicunt generatos in hunc modum dicentes. Quando cogitavit aliquid emittere Propator, hoc Pater vocatus est. At ubi quæ emisit vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est. Cùm ergo voluit semetipsum ostendere, hoc Anthropos dictus est. Quos autem præcogitaverat posteaquam emisit, hoc Ecclesia vocata est. Locutus est Anthropos Logon, hic est primogenitus filius. Subsequitur autem Logon Zoe, & sic prima octonatio completa est. Ita fabellam hanc describit Irenæus. Quibus non multi statuebantur Æones, sed sic, ut unus & idem esset, qui pro variis operationibus & proprietatibus varia sortiretur nomina, & appellationes: Patris videlicet cùm aliquid emittere cogitavit; Veritatis, ubi ea quæ emisit, vera fuerunt; Hominis, cùm voluit se ipsum ostendere; Hominem etiam & Ecclesiam non à Logo & Zoe, sed potius Logon & Zoen ab Homine & Ecclesia esse asserebant. Quæ parabant viam hæresi Sabellianæ, quæ Patrem Filium & Spiritum Sanctum non tres, sed unam Personam esse ponebat sub diversis proprietatibus & operationibus. Similia cum Irenæo habet Epiphanius Hæres. 35. num. 1.

III. Mitto pugnam quæ inter Colorbasi gregales erat de Salvatore, quam uterque ex prælaudatis Patribus refert. Alii enim ex omnibus Æonibus eum generatum dicebant. Alii ex solis decem, qui sunt à Logo & Zoe emissi. Alii ex duodecim Æonibus, qui sunt ab Anthropo & Ecclesia, & propter hoc filium hominis se confiteri. Alii à Christo & Spiritu Sancto, & ideò vocari etiam Christum Patris sui appellatione. Alii tandem erant, qui summum universorum parentem Anthropon idest hominem vocari dicebant: & hoc esse magnum & absconditum mysterium: quâ ratione Salvator filium hominis se dicere solebat. Nugæ erant hæ omnes in eorum insana mente conceptæ, nullius vel rationis vel Sacræ Scripturæ præsidio. Non enim filium hominis se dicebat Christus ratione generationis æternæ quâ à Patre processerat, sed ratione generationis temporalis, quâ operâ Spiritus Sancti conceptus fuit, & carnem sumsit ex Maria.

IV. In præfatis erroribus Colorbasus ad Valentinianos utcumque accedebat. Ejus proprius & singularis error fuit, teste S. August. loco citato, quòd vitam omnium hominum & generationem in septem sideribus consistere affirmabat, sive ut ait Philaster Hæres. 43. *Quòd in litteris & numero elementorum, astrorumque septem, vitam omnium hominum & generationem consistere asse-*

ferebat, non in Christi majestate & potentia, neque in ipsius carnali præsentia veram hominis sperari salutem advertebat. Quibus Auctor Prædestinati cap. 15. addit, quòd eas septem stellas esse septem Ecclesias, & septem candelabra aurea conabatur ostendere. Hoc è Platonicorum lacunis hauserat, qui animam animalem ex circuitu cœlestium mundorum nobis advenire dicebat, & eorumdem motibus fatali necessitate constrictam obtemperare.

V. Doctrinam hanc tanquam impiam rejicit S. Augustinus, tum in Psal. 72. n. 22. ubi: *Sciatis fratres*, inquit, *multos disputare & dicere, quia Deus res humanas non curat, quia casibus reguntur omnia, vel quia stellis subjectæ sunt voluntates, quia unusquisque non pro meritis agitur, sed necessitate suarum stellarum: Doctrina mala, doctrina impia*. Tum L. 2. contra Faustum cap. 5., ubi Manichæos reprehendens, quòd generationem Christi sub fatali stellarum necessitate ponerent, quia fuit per stellam demonstrata, ait: *Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè vel malè vivitur, propter justum judicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus: quantò minùs illius temporalem generationem sub astrorum conditione credimus factam, qui est æternus universorum Creator & Dominus? Itaque illa stella quam viderunt Magi, Christo secundùm carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur, nec enim subjiciebat imperio, sed indicabat obsequio*. De hoc etiam loquitur L. 5. de Civit. Dei c. 1., ubi eos, qui in stellarum dispositione seclusâ Dei providentiâ Fatum collocabant, refellit, de quo agit S. Thomas 1.p. q.116., & 3. contra Gentes c. 93.

VI In hac causa pro veritate laborat Eusebius L. 6. Præpar. Evangelicæ cap. 6. ubi hæc habet: *Si astris atque fato non externarum modò rerum, sed earum etiam cupiditatum, quæ mentis & intelligentiæ ductum sequuntur, alligandæ rationes erunt, si humanæ cogitationes atque sententiæ vi quadam inexorabilis necessitatis agentur, nulla jam profectò Philosophia est, nulla Religio; probis laus ex virtute nulla, nulla Dei benevolentia, nullus denique fructus susceptorum laborum contentione dignus; cùm necessitati atque fato rerum causæ omnium assignentur. Enim verò nec improbis deinceps aut impiis, omniumque adeò scelerum turpitudine laborantibus succensendum erit, nec virtutis amatoribus laudis quidquam honorisque tribuendum. Ex quo profectò sequitur, quod ante dicebam, ingens illud Philosophiæ decus periturum, si astrorum ex necessitate, non ex voluntaria meditatione studioque pendebit*.

Deinde post multa, frustraneas fore exhortationes, monitiones, ac leges ipsas ostendens, ait: *Nam cui tu bono, aut imperes iis, quid-*

quidpiam, aut vetes, qui jam aliâ constricti necessitate teneantur? Imò nec hominum scelera punire oporteat, quippe qui propter eandem causam peccarint nihil: nec eos contra, qui præclarè se gesserint, honoribus præmiisque donare.... Adde, Religionem ac pietatem in Deum eâdem sententiâ ruere, si nec Deus ipse, nec vaticiniorum istorum auctores nobis hâc semel fati necessitate obligatis, precibus licèt ac religioni operam demus, præsidii quidquam aut emolumenti conferre possint. Nos porrò more brutorum animantium huc illucque trahi externâ vi, quibusdam quasi funibus circumactos, ut alia necessariò facere velimus, alia contra sensum mentemque nostram eligamus; cui non indignissimum ac turpissimum jure videatur? maximè cùm nos ad alia sponte quâdam impetuque nostro ferri sentiamus: alia rursùs cùm negligimus, nostri tum ipsi quoque domini compotesque maneamus &c.

Subinde statutâ validis ac evidentibus rationibus in homine arbitrii Libertate, ostendit, Divinam Providentiam cunctis præesse dicens: *Cæterùm cunctis omninò rebus, seu consilio fiant impulsuque nostro, seu fortuitò aliunde contingant, seu denique naturalem habeant ortus sui rationem, summa una præpotensque Dei Providentia moderatur; quæ cùm omnia permeet, tum plurima divinioribus quibusdam rationibus, captumque nostrum fugientibus administrat: cùmque suis veluti habenis obsecundans hoc universum ac flexibile habeat, tum res etiam plerasque naturales ad varias temporum occasiones fingit ac mutat; itàque potestati arbitrioque nostro subditas auxilio promovet suo, ut iis quæ extrinsecùs eveniunt, suum quoque locum & consentaneum ordinem attribuat. Cùm ergo tria hæc rerum genera statuantur, ut aliæ nostra ex voluntate pendeant, aliæ prout natura postulat, aliæ denique fortuitò eveniant, eademque simul ad unam Divini consilii rationem universa revocentur, locus planè nullus Fato relinquatur, necesse est.* Inde probat totam flagitii culpam nostræ voluntatis esse, non naturæ, vel Dei, qui peccati auctor esse non potest. Quibus omnibus Eusebius Colorbasi, & aliorum arbitrii libertatem negantium, omniaque necessitati subjicientium errorem prosternit.

§. II.

Quis Heracleon, & qui ejus fuerint errores.

I. HEracleonem superiorum Hæreticorum facit discipulum S. Augustinus L. de Hæres. cap. 16., cui consentit Epiphanius Hæres. 36. dicens: *Colorbaso succedit Heracleon, à quo Heracleonitarum secta nominatur, nihilo minùs quàm cæteri nugis ac mendaciis*

daciis instructus. Quidquid enim ab illis afferitur, hic tuetur ac defendit; utpote qui ab illis ortum pariter ac venenatam lucem traxerit. Tertullianus L. de Præscript. cap. 50. post Heracleonem ponit Marcum & Colorbasum. Ex Irenæo tamen colligi videtur, Marci discipulum fuisse, cùm ejus placita inter Marci dogmata referat. Philaster tamen Hæres. 41. Heracleonem discipulum Secundi fuisse putat. In hoc dubio de determinata Heracleonis ætate, hoc certum tenendum est cum Origene in Joann., eum de schola Valentini exiisse, & in ea maximæ existimationis fuisse, teste Clem. Alexandr. Lib. 4. Strom., cui aliqua propria dogmata addidit ut dicam.

II. Heracleonem fuisse de Valentini schola asserit Tertullianus L. advers. Valentin. cap. 4., & proinde genere Ægyptium sicut & cæteros Valentini speciales discipulos credere par est, & circa eadem tempora cum aliis vixisse, obscuræ tamen prosapiæ. Sectam ejus usque ad tempora Epiphanii, nimirùm dimidium seculi 4., & suâ ætate semper novis erroribus auctam fuisse, testis est ipse Hæres. 36., ubi n. 4. ait: *At cùm in hodiernum usque diem ab illis multa proferantur nascanturque portenta, qui quotidie novi aliquid ad illudendos homines confingunt, difficile est extricare omnia, vel oratione complecti.* Qualis fuerit Heracleonis exitus, & finale suæ hæresis quando evenerit exterminium, nemo prodidit.

III. Nunc ad errores Heracleonitarum descendendo: Primò quantùm ad Æones eorumque numerum cum Valentino & aliis conveniebant, in modo tamen & ordine dissentiebant. Nam ubi alii ponebant Bithon & Sigen esse duo prima principia, ipsos autem à nullo esse principio: hi autem, ut ait Augustinus, duo asserebant principia, quorum unum esse ex altero, & his duobus alia plurima; quod non est admittere duo prima principia, sed unum. Hinc Philaster Hæres. 41. *Post hunc* (inquit, nimirùm Secundum, ut ipse putat) *Heracleon discipulus ipsius surrexit dicens, Principium esse unum, quem Dominum appellat, deinde de hoc natum aliud, deque his duobus generationem multorum asserit principiorum.* Primum ergo principium Bython esse dicebat, ex quo natum sit alterum principium Sige, idest Silentium: ex quibus postea variis coitionibus nati sunt alii Æones, qui cæterarum rerum sunt principia.

IV. Ubi ergo Valentinus illa duo prima principia Bython & Sigen posuerat sine dependentia unius ab altero, Heracleon eadem statuens, de suo addebat, unum ab altero processisse. Supremum omnium parentem Bython hominem cum Marco appellabat, quem tamen de suo dicebat nec marem nec feminam esse.

Ita

Ita Epiphanius num. 2. *Heracleon*, inquit, *cum suis, ut diximus, eadem cum Marco aliisque qui Marcum antecesserunt, de Ogdoadibus, superiore nimirùm & inferiore, sentit. Deinde triginta Æonum paria haud absimili ratione constituit. Hominem quoque supremum omnium parentem pronuntiat, quem & Bythum nominat. Eundem nec marem esse nec feminam putat: à quo universorum Mater existat, quam & Sigen & Veritatem appellat. Ab hac secundam Matrem, quæ in oblivione posita est, originem traxisse, quam Achamoth perinde ut alii nuncupat, à qua deinceps in defectu constituta sunt omnia.* Hæc Epiphanius, quæ cum suâptè naturâ fabulas & deliria esse se prodant, eas refutare superfluum esset.

V. Alterum à Marco sumsisse errorem, refert S. Augustinus citatus; qui de Heracleonitis ait: *Feruntur autem suos morientes novo modo quasi redimere, idest per oleum balsamum & aquam, & invocationes, quas hebraicis verbis dicunt super capita eorum.* In qualitate tamen unctionis quosdam à Marco discessisse, & invocationi aliqua vocabula adjunxisse, dicit Epiphanius num. 2., nimirùm *Mesia, Upbar, Egnamempsæ, Menchaldia, Nossome, Dace, Acpharau, Epsenva, Jesu Nazaria*. Hoc autem ideò faciebant, subjicit Epiphanius, ut qui sub exitu vitæ talibus comprecationibus & unctione fuisset instructus, Principatibus & Potestatibus invisibilis fieret, atque ut interior ipsorum homo sursùm posset à nemine conspectus evadere. Censebant enim, seu veriùs fingebant, animas hisce corporibus relictis apud Conditorem (Achamoth) detineri, interiorem autem hominem, qui anima & corpore altior est, & quem è superiori Pleromate derivatum censebant, altiùs ascendere.

VI. Morituris autem singulis tali unctione & invocatione illusis (pergit Epiphanius) dicebant; ubi ad Principatus & Potestates post obitum evolaveris, memento ut hæc verba proferas: *Ego filius à Patre, & eo Patre qui ante omnes existit, ac præsenti tempore filius veni, ut omnia tam aliena, quàm privata cernerem; nec omninò tamen aliena sed ad Achamoth pertinentia, quæ cum femina sit, sibi ista fabricavit. Origo porrò mea est ab eo ducta, qui ante omnes existit, eòque rursum, unde ortus sum, regredior.* Quibus & aliis dictis & auditis, Creatoris Achamoth factionem magnoperè perturbari, atque originem suam, matrisque damnare genus asserebant. Eum verò qui talia dixisset, è Potestatibus ereptum, & vinculis suis & animâ abjectis, ibique relictis, ad supremam primi Parentis sedem efferri.

VII. Tales erant antedictæ unctionis ritus, talis effectus, quem inungendo morientes Marcitæ & Heracleonitæ se consequi præsume-

mebant. Numquid hæc congruunt Unctionis Sacramento, quo in extremo vitæ Catholicos munit Ecclesia? Dicent ne amplius Heterodoxi, Catholicos in hoc Marcitas & Heracleonitas imitari? Dicant potiùs, hos Sacram Unctionem à Christo Jacobo promulgante institutam, & universalis Ecclesiæ tunc usu receptam, suis superstitionibus profanasse, eâque ad suos vanos fines abusos fuisse: & tandem fateantur, se injuriosè à suis cœtibus eam ut à Catholicis sacro ritu peractam rejecisse. Multi enim Hæretici superstitiosis ritibus profanarunt etiam Baptismum, & Eucharistiam: numquid ergo propter hoc rejiciendus est Baptismus, rejicienda Eucharistia? Recolantur, quæ Cap. præcedenti §. 3. n.4. indicavi.

VIII. Alio errore ad inungendos morituros Heracleonitæ trahebantur, nimirùm, ut interior homo, superatis Principatibus & Potestatibus, ad summum Parentem liber ascenderet. Tria enim in homine distincta ponebant, corpus, animam, & interiorem hominem; & hoc tertium ex superiori Pleromate derivatum existimabant, & relictis post mortem in inferioribus corpore & animâ, ad altiorem & supernam sedem unctione solum efferri. At quæso, unde hauserunt, tria hæc in homine esse, & quidem distincta & separabilia, corpus, animam, & interiorem hominem? Ex Scriptura? nequaquam, nam Genes. 2. v. 7. habemus: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ* (ecce formationem corporis) *& inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viventem*: ecce Animam à Deo inspiratam, quâ homo vivit vitâ non solùm animali, & dicitur homo animalis; sed & spirituali, & dicitur homo spiritualis & interior.

IX. Putabant fortè, unam eandemque animam præstare non posse vitam & operationes animales, & vitam & operationes spirituales, sed contra eos stat S. Th. 1. p. q. 76. art. 3. ubi ostendit, animam rationalem ex æquo excellentiorem vitam & operationes imperfectiores quales sunt animales continere & præstare posse: & hoc ex Arist. 2. de Anima text. 30., ubi *comparat diversas animas speciebus figurarum, quarum una continet aliam, sicut pentagonum continet tetragonum & excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum, & nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies, quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona, & per aliam pentagona, quia superflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur: ita nec per aliam animam Socrates est homo, & per aliam animal, sed per unam & eandem*. Ita S. Th. Cùm ergo Deus inspiravit Adæ spiraculum vitæ, quo factus fuit in animam viventem, & homo ad imaginem suam, inspiravit unicam animam, quâ secundum di-

diversas operationes esset homo animalis, & rationalis, seu spiritualis.

X: Nec opponant Paulum 1. Cor. c. 2. v. 14. dicentem: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur*: & 1. ad Thess. 5. v. 19. *Spiritum nolite extinguere*. Quibus videtur, duos homines distinguere animalem & spiritualem, seu spiritum ab homine animali, ut permanere possit homo, extincto spiritu. Non, inquam, nam animalis homo non dicitur, quia desit illi aliqua substantia, quę in homine spirituali sit: sed animales homines appellat (inquit August. L. 1. de Bapt. c. 15.) *qui carnaliter adhuc sapiunt, & carnalia de Deo, vel in hac, vel post hanc vitam desiderant*. Et expressiùs in L. 83. Quæst. qu. 67. *Qui ergo*, inquit, *vivit ex corpore, carnalis homo vel animalis homo vocatur: carnalis, quia carnalia sectatur, animalis autem quia fertur dissolutá lasciviá animæ suæ, quam non regit spiritus, neque coercet intra metas naturalis ordinis, quia & ipse se non subdit regendum Deo. Qui autem spiritu animam regit, & per animam corpus (quod facere non potest, nisi Deum habeat & ipse Rectorem, quoniam sicut caput mulieris vir, ita Caput viri Christus est) vocatur spiritalis*. Non ergo spiritalis homo est ab animali in substantia diversus, sed quia ille spiritui Dei se regendum subdit, iste desideriis carnis suæ servit.

XI. S. Hieronymus etiam ad illa verba *spiritum nolite extinguere* in Epist. ad Hedibiam q. 12. dicit, Spiritum Sanctum in se non extingui, sicut flamma in se extinguitur, sed extingui ei à quo aufertur, quia de ejus donis ampliùs non participat. Et inferiùs reprobatâ opinione quorumdam, qui triplicem in homine volebant affirmare substantiam, spiritus quo sentimus, animæ quâ vivimus, corporis quo incedimus; & admissâ sententiâ aliorum, qui dicebant, ex anima tantùm & corpore subsistere hominem, spiritum verò tertium non substantiam volebant intelligi, sed efficentiam, per quam & mens in nobis, & sensus, & cogitatio, & animus appellantur, & utique non sunt tot substantiæ, quot nomina: ipse mentem suam exponens: *Nos autem*, inquit, *in præsenti loco (ut supra diximus) spiritum qui cum anima & corpore integer conservatur, non substantiam Spiritus Sancti, quæ non potest interire, sed gratias ejus donationesque accipimus, quæ nostrâ vel virtute, vel vitio, & accenduntur & extinguuntur in nobis*.

XII. Idem sentit Gennadius Massiliensis Lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus (olim sub S. Augustini nomine) cap. 20. his verbis: *Non est tertius in substantia hominis spiritus, sicut Didymus contendit*:

dit: sed spiritus ipsa est anima pro spirituali natura, vel pro eo quòd spiret in corpore spiritus appellatus. Anima verò ex eo vocatur, quòd ad vivendum vel ad vivificandum animet corpus. Tertium verò, quod ab Apostolo cum anima & corpore inducitur, spiritum, gratiam Sancti Spiritus esse intelligamus, quam orat Apostolus, ut integra perseveret in nobis, ne nostro vitio, aut imminuatur, aut fugetur à nobis, quia „ Spiritus Sanctus effugiet fictum „. (Sap. 1. v. 5.) Ex his videtur, in hoc errore tria in homine ponendi, animam, corpus, & spiritum etiam Didymum fuisse, quamvis aliqui negent. Hoc verum est, quòd confutatus manet Heracleonis error, in homine præter animam & corpus statuentis hominem interiorem, seu spiritualem, qui solus à summo Parente derivarit, & solus ad eum revertatur.

XIII. Quartò errabant Heracleonitæ, quia Confessionem fidei, quæ ore & voce fit, inutilem esse, nec ad eam Christianum hominem teneri asserebant. Ita de Heracleone refert Clemens Alex. L. 4. Strom. pag. 502. dixisse, *Confessionem quidem unam esse fide & vitæ institutione, alteram verò voce. Atque quæ fit quidem voce confessio, fit etiam apud Potestates; quam solam, inquit, multi non rectè confessionem esse existimant. Possunt autem hâc confessione uti etiam hypocritæ. Sed nec oratio invenietur dicta esse universè ac generaliter: non enim omnes qui salvi fiunt, eâ confessione, quæ voce fit, usi sunt, & excessere* &c. Hæc & alia in sui dicti confirmatiouem apud Clementem Heracleon. Et sanè si vellet, solam confessionem vocis sine confessione cordis, & vitæ, seu operis hypocrisim esse; nec omnes generaliter ad confitendam voce coram Potestatibus fidem teneri, sed eos solùm, qui à Potestatibus interrogantur, ut suæ fidei confessionem etiam ore fateantur, eamque testentur; verum diceret & Catholicè sentiret.

Verùm quia, teste Clemente, re verâ volebat, neminem etsi à Judicibus de sua fide interrogatum teneri eam voce promere, sed eam posse voce negare, dummodo eam corde retineret & opere; ideò hæreticè, & contra Verbum Christi loquebatur: qui Matth. 10. postquam Apostolos docuit, quomodo se gerere deberent, cùm pro nomine suo in testimonium illis & gentibus vocarentur, & promisit se eis daturum in illa hora quid loquerentur, conclusit §. 32. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est.* Quod repetit Marci 8. v. 38. Lucæ 9. v. 26. De hoc fusè egi Tom. 1. in 2. 2. Quæst. 4. de actu externo Fidei, Dub. 2. & 3. In hoc ergo Heracleon conveniebat cum Simone, & Basilide,

de, qui docuerant, ad tuendam vitam licere urgente persecutione ore Christum negare; nec à Valentino Magistro suo recedebat, qui docuit non esse pro Christo subeundum martyrium. His novissimè adhæsit David Georgius, qui ut refert Prateolus L. 7. n. 10. asserebat stultum esse, si quis putaret esse peccatum abjurare Christum coram hominibus: & ideo stolidos vocabat Apostolos & Martyres, qui ob eam querelam se occidi permisissent. At stultus imo impius iste nebulo, qui contra Christi verba insurgere ausus fuit, cùm Paulus etiam dicat Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

XIV. Quintò de Baptismo ignis, referente Ittigio sect. 2. cap. 6. num. 3. ex eodem Clemente in Eclogis propheticis, effutiebat Heracleon ,, Baptizatum sive justum sive peccatorem loco sancti computandum, nihilque baptizatis obesse peccata: cum sicut ignis natura gelu non recipit, sed nives potiùs dissolvit: ita quoque semel baptizatus peccatorum reatum in se non recipiat, quantacumque peccata ejus operibus permixta fuerint ,, quod etiam narrat Auctor Prædestinati cap. 16. Hoc posito, baptizatis effrænis quæcumque flagitia impunè patrandi licentia concedebatur. Ex quo sequeretur, superfluè & insulsè Apostolos & maximè Paulum se gessisse, dum prædicando, vel scribendo ad jam baptizatos, monebant eos, ut à flagitiis abstinerent, & bona opera facerent, asserendo fidem sine operibus non sufficere. Imo cùm dum quis baptizatur profiteatur, se legem Christi suscipere ejusque mandata, fit ut arctiùs teneatur ea implere; & si non impleat, fidem frangat, & se baptizatum mentiatur, & culpam graviorem incurrat. Unde Christus in extremo judicio arguet, & condemnabit impios, non præcisè, quòd baptismum non susceperint, sed quòd opera pietatis non fecerint. Baptismus ergo amitti non potest, sed gratia per Baptismum accepta per mala opera amittitur; & qui in eis ad finem usque perseveraverint, nec pœnitentiam egerint, etiam stante Baptismo à regno Dei exclusi in gehennam detrudentur. De hoc S. August. Lib. de Fide & Operibus cap. 7. & seq.

XV. Sextò errabat; quia Mundum non esse per Verbum Dei conditum, imo Verbum esse posterius Mundo, ac proinde non æternum, asserebat. Hunc errorem Heracleoni tribuit Origenes in Joan., qui supponit, eum Commentarios in dictum Evangelium scripsisse, ubi enim Evangelium dicit de Verbo: *Omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil*: ipse impudenter interpretabatur omnia *quæ sunt in Mundo* per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil *eorum quæ sunt in Mundo*, ut suum tueretur erro-

rem, ante Mundum Verbum non fuisse. Hanc tamen impudentissimam blasphemiam vel Ethnici coercent, qui de Verbo Divino meliùs philosophantur apud Eusebium L. 11. Præparat. Evangel. ut Plato in Epimenide cap. 16. Plotinus cap. 17. Numenius cap. 18. & Amelius cap. 19. qui de Joannis apud nos Evangelistæ Theologia loquens: *Atque hoc planè Verbum erat*, inquit, *per quod sempiternum cùm esset, existebant omnia quæ fiebant, quemadmodum Heraclitus loqueretur: quod ipsum videlicet Barbarus etiam ille* (Joannem hoc nomine vocat, quia Hebræum) *apud Deum in Principii gradu ac dignitate constitutum, imo & Deum simul esse pronuntiat, per quod facta simpliciter omnia sint, in quo quidquid factum est, & vivens & vita, & aliquid pro sua quidque naturâ fuerit: idem porrò in corpora delabi tradit, & carne indutum, humanam speciem præseferre, sic tamen ut suæ interea naturæ majestatem ostendat: adeòque solutum ubi jam fuerit, Dei locum denuò capessere, ac Deum prorsùs eundem esse qui erat, priusquam in corpus, atque in carnem, hominemque descenderet.* Ecce Ethnicum (adeò potens est Veritas) Verbi & Christi Divinitatem contra Paulum Samosatenum, Photinum, aliosque, modernos etiam Socinianos, confitentem.

XVI. Non mirum ergo si ex Hebræis etiam Philo hanc veritatem agnoverit, & dicat Lib. 2. de Agricultura (apud Eusebium citato Lib. 7. cap. 13.) ubi: *Quisquis*, inquit, *eo se liberum pudore volet, qui dubitationem vulgò consequitur, is liberè palamque pronuntiet, nihil eorum quæ in materiam immersa sint ad sustinendam Orbis molem satis habere virium: at sempiternum illud æterni Dei Verbum longè potentissimum ac firmissimum esse columen Universi.* ac subindè probat, per Verbum omnia Patrem disposuisse, per ipsum omnia in suo ordine contineri, ut numquam dissolvantur. Num ergo in sententia Philonis Mundus potuit præcedere Verbum, si per solum Verbum Mundus disponitur & sustinetur? *Verbo* igitur *Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Psalm. 32. v. 6.

XVII. Aristobolus quoque alter scriptor Hebræus, qui Ptolemæorum imperio hanc sententiam genti suæ vindicans, de Verbo sub Sapientiæ nomine loquens, eam vocat Lucem ex qua lux universa prodiit, quam ex Peripateticis quidam facis instar esse voluerunt: *Verùm*, inquit, *id clariùs simul ac meliùs Salomon è majoribus nostris unus expressit, cùm eam Cœli Terræque molitione priorem esse diceret.* Ita Aristobolus apud Eusebium citato loco c. 14. alludit autem ad verba Proverb. 8. v. 22. ubi Salomon inducit Verbum increatam Dei Sapientiam ita de se ipsa loquentem: *Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quidquam faceret à*

prin-

principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole consliterant: Ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ. Quando præparabat Cælos, aderam: quando certá lege & gyro vallabat abyssos: Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: Quando appendebat fundamenta terræ; Cum eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.

Quare D. Paulus ad Coloss. 1. v. 15. de Christo, ut Verbum est Dei, ait: *Qui est Imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa, in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant.* Quid igitur adhuc desideramus ad hunc rejiciendum errorem, quem ne dum utriusque Testamenti sacræ Paginæ; sed & profani tum Hebræorum, tum Ethnicorum Scriptores unâ voce condemnant?

XVIII. Septimò errabat Heracleon, quòd animam hominis mortalem esse ponebat. Hunc errorem ex alio natum existimo. Cùm enim, ut vidimus, in homine præter corpus, & animam poneret quid tertium, nempè interiorem hominem, seu spiritum; & hunc diceret post mortem ad supremum omnium parentem efferri, forte dicebat, animam cum corpore interire. Sed neque hoc ejus doctrinæ cohærere videtur. Nam, ut ex Epiphanio dixi, asserebat, homine interiore ad suprema ascendente, ***evolantes hinc ipsorum animas Conditori qui in defectu versatur assistere, ibidemque apud illum commorari***. Si ergo anima humana post mortem Conditori assistit & cum eo commoratur, quomodo mortalis est ac moritur?

XIX. At quidquid sit, dicere animam hominis mortalem esse nedum est contra Fidem loqui, sed & contra saniorem Philosophiam etiam Ethnicam. Plato enim & Pythagoras volebant quidem humanas animas de uno in aliud corpus transmeare, sed eas interitus expertes statuebant. Unde Plutarchus L. 4. de Philosophor. placitis c.7. Pythagoras, inquit & Plato interitus expertem animam (dicunt); cùm enim exit, pervenire in incognitam sibi animam mundi: & paulò post subdit: Pythagoras & Plato ratione præditam partem non interire, esse animam quippe, non Deum, sed opificium æterni Dei. Brutam esse noxiam interitui. Idem sensit Porphyrius, de quo videatur Eusebius L. 11. Præpar.

Evang. ubi c.27. inducit Platonem in Alcibiade præter alia ita loquentem: *Animus ille noster, qui videri non potest, qui in alteram quamdam similemque sedem commigrans, eamque nobilem simul & castam, atque ab omni conspectu sejunctam apud inferos, ad bonum aliquem haud dubiè sapientemque Deum proficiscitur: quò quidem, si Deo placuerit, animo isti meo abeundum jam jam erit. Ille inquam noster animus, talis cum sit ab natura satus, simul atque liberatus corpore fuerit, evanescet illicò, ac funditùs, ut vulgus hominum loquitur, interibit? Per multum id quidem abest, mi Cebes, tuque ò Simmia: imo longè profectò verius quod sequitur. Si purus ex corpore discesserit, nihilque secum ex eo trahens, quòd nullum unquam hac in vita cum eo prudens volensque commercium habuerit, sed potiùs illud fugiens in se ipsum collectus perstiterit, quòd in eo meditationis genere totus semper esset: (quod dum agebat, hoc sanè agebat unum, uti rectè philosopharetur, ac re ipsâ facilè moriendi rationem secum ipse versaret. Quid enim? an hæc tibi mortis meditatio non videtur? Ita planè) Animus, inquam, hoc statu si discedet, ad illud continuò sese recipiet, quod sibi affine est, spectarique non potest, divinum quiddam utique, immortale simul ac sapiens, quò cum pervenerit, tunc demum felix esse incipit ab errore, inscitiâ, terroribus, insanis amoribus ac reliqua malorum humanorum contagione liberatus. Atque ut de initiatis dici vulgò solet, in Deorum societate deinceps totus verè ac perpetuus est.* Ita Plato animæ immortalitatem, ejusque beatitudinem perpetuam adeò clarè describit, ut non Philosophum Ethnicum, sed Theologum Christianum existimes.

XX. Porphyrius etiam (apud eundem Eusebium cap. 28.) ex Crotoniate inquit: *Qui semel animi hujus ideam noverit, ac præsertim quanta mens illa nostri moderatrix agitet versetque consilia, aut cujusmodi sæpissimè in nobis impetus efficiat, idem profectò similitudinem ejus cum Deo maximam deprehendet.* (Tum aliquot interjectis) *Nam si animum*, inquit, *naturæ Divinæ omnium longè simillimum esse constiterit, quorsum alias deinceps, quasi præfandi causâ, ejus immortalitati probandi rationes exquiras, ac non istam potiùs unam inter plerasque censeas?*

XXI. Scio, aliquos ex Philosophis Ethnicis Animam humanam mortalem esse existimasse, ut Stoicos, Epicureos, & alios: quorum error ex eo procedebat, quòd eam ad lineam corporum dejiciebant. Nam Zeno non in alio animam hominis consistere voluit, quàm in eo spiritu, quem homo emittit cum humore conjunctum: quare ut ait Cleanthes, Zeno & cum eo Heraclitus animæ naturam in sensu & exhalatione consistere dicebant ut apud Euseb. Lib. 15. de Præp. Evang. cap. 20., ubi etiam ex Ario Didymo re-

refert, ex Stoicis aliquos docuiſſe, animam quidem interire, ſed non in omnibus unà ſimul cum corpore. In aliquibus enim nempè ſapientibus permanere ad extremam uſque rerum omnium in ignem diſſolutionem; in aliis verò nempè ſtultis & animalibus ſtatim cum corpore interire. Plutarchus L.4. de Placitis Philoſophorum cap.3. tradit, Democritum nil aliud eſſe Animam docuiſſe, quàm igneam compagem partium mente ſolâ perceptarum, quæ formis ſint globoſis: Epicurum verò dixiſſe animam eſſe temperatum quiddam ex quatuor qualitatibus igneâ, aereâ, aqueâ, & quartâ innominatâ, conſiſtente in ſola vi ſentiendi. Tradit inſuper ibidem Plutarchus Anaxagoreos voluiſſe eſſe animam corpus aereæ naturæ; Stoicos, ſpiritum calidum. Tradit inſuper Dicæarchum poſuiſſe animam in ſolâ quatuor elementorum harmonia; Aſclepiadem verò Medicum in ſola ſenſuum exercitatione: qui omnes animam mortalem procul dubio ponebant. At omnes præfati Ethnici. Utinam hæreſis peſtilentiſſima apud aliquos, qui Chriſtianum nomen gerunt, hiſce etiam temporibus locum non obtineret.

XXII. Ad eam tamen è mentibus & cordibus hominum eliminandam laborarunt veteres Patres. Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone, Irenæus L. 5. c.7., Athenagoras Serm. de Reſurrect., Theophilus L. 2. ad Autolycum, Clemens Alex. L.4. & 5. Strom., Tertullianus L. de Anima c. 51. L. de Teſtimonio Animæ c. 4. & Lib. de Reſurr. Carnis c. 34., Origenes L. 7. contra Celſum; Cyprianus L. de Mortalitate, Arnobius L. 2. adversùs Gentes, Lact. L.3. Divin. Inſtit. c.18. & ſeq. & L.7. c.9. & 12., Athanaſius Orat. contra Idola & alii omnes, inter quos S.Auguſtinus L. de Immort. Animæ per totum, L.1. de Civit. Dei c. 22. & alibi.

XXIII. Hanc veritatem nos docuit Spiritus Sanctus in Scripturis utriuſque Teſtam.. Sapientiæ cap. 2. cùm quidam apud ſe non rectè ſed ſtultè cogitantes dicerent: *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus; quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum: quâ extinctâ cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diffundetur, quæ fugata eſt à radiis Solis, & à calore illius aggravata. Et nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Umbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur.* Indè ſibi ad omnes voluptates & omne ſcelus viam parantes dicebant: *Venite, coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra* &c.

Ho-

Horum igitur turpem insipientiam damnans Spiritus Sanctus v. 21. *Hæc*, inquit, *cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*. Et cap. 3. v. 1. *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori .... illi autem sunt in pace*. Et cap. 5. v. 16. *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum* &c.

XXIV. In novo etiam Testamento Veritas hæc apertiùs ostenditur: tum Matth. 1. v. 28. ubi Salvator dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam*. Quibus ostendit, non solas animas justorum post mortem permanere ad præmium, ut aliqui dicebant, sed & animas impiorum manere ad supplicium: quod Lucæ 16. Parabola de Lazaro & Epulone apertè demonstrat, & Christus ipse Matth. 25. de Impiis & Justis v. 46. ait: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*. Errorem oppositum damnavit Leo X. in Concilio Lateranensi 5. Sess. 8. anno 1513. Aliæ Heracleonis ineptiæ in suis super Joannem Commentariis videri possunt in Appendice ad calcem Operum S. Irenæi editionis Maurinæ à P. Massuet ex Origene extractæ, ubi inter multa pag. 373. dicitur: *Non immortalem esse existimat Heracleon animam, sed aptè comparatam ad salutem; ipsam esse dicens corruptibile illud, quod induit incorruptibilitatem, & mortale quod induit immortalitatem, cùm mors ipsius animæ absorpta fuerit in victoriam;* Sic quod Paulus 1. Cor. 15. v. 53. de solo corpore dixit, ad animam extendebat.

CAPUT XIII.

De Florino, Blasto, Bardesane, Berone, & Alexandro.

§. I.

Florinus & Blastus.

I. FLORINUM & Blastum presbyteros Romanos fuisse, & postea ab Orthodoxa Ecclesia & Fide ad Valentinianam Sectam defecisse, auctor est Theodoritus Lib. 1. Hæret. Fabul. cap. 23. his verbis: *Jam verò Florinus quoque & Blastus, qui in*

in presbyterorum catalogum Romæ erant cooptati, in Valentini perniciosam Sectam declinarunt. Horum lapsum deplorans Beatus Irenæus unam ad Blastum scripsit Epistolam, quam inscripsit de Schismate; alteram ad Florinum de Monarchia, seu quòd Deus non sit conditor malorum, quam refert Eusebius L. 5. Hist. cap. 20., & infra subjiciam. Et hujus gratiâ librum de Octonario seu Ogdoade etiam edidit.

Ex præfata Epistola colligitur, quòd Florinus in Imperatoris aula splendide agens, munus aliquod gesserat in inferiore Asia, cùm ibi sanctitatis & doctrinæ laude floreret Polycarpus. Tanti viri famâ permotus Florinus se in ejus disciplinam tradidit, nihilque non egit, ut se se illi probaret, sociumque & condiscipulum habuit S. Irenæum tunc adhuc adolescentem. Factus postea Romanæ Ecclesiæ presbyter in errorem lapsus, cùm aliorum fidem sollicitaret, ut ejusdem erroris reos faceret, gradu Florinus dejectus est. Condiscipuli, quem apud Polycarpum habuerat, lapsum dolens Irenæus, eumque ab errore revocare cupiens, ad eum præcitatam dedit epistolam.

II. Hujus Epistolæ fragmentum, ut refert Eusebius citato loco, tale est: *Hæc dogmata, Florine, ut parcissimè ac levissimè dicam, non sunt sanæ doctrinæ. Hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia, & in maximam impietatem eos conjiciunt, qui illis assentiuntur. Hæc dogmata ne ipsi quidem hæretici extra Ecclesiam positi proferre unquam ausi sunt. Hæc dogmata ii qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt. Vidi enim te cùm adhuc puer essem in inferiore Asia apud Polycarpum splendidè agentem in Palatio, & magnoperè laborantem, ut te illi approbares. Etenim ea, quæ tunc temporis gesta sunt meliùs memoria teneo, quàm illa quæ nuper acciderunt. Quippe ea quæ pueri didicimus simul cum animo ipso coalescunt, eique penitùs inhærent. Adeò ut & locum ipsum possum dicere, in quo Beatissimus Polycarpus sedens disserebat, processus quoque ejus & ingressus, vitæque totius formam & corporis speciem: sermones denique quos ad populum habebat, & familiarem consuetudinem, quæ illi cum Joanne, ut narrabat, & cum reliquis qui Dominum ipsum vidissent, intercesserat: & qualiter dicta illorum commemorabat, & quæcumque de Domino ab iisdem audierat. De miraculis quoque illius atque doctrina prout ab iis qui Verbum vitæ ipsi conspexerant, Polycarpus acceperat, eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum Scriptura Sacra consentiens. Hæc ego Divinâ mihi largiente clementiâ, tunc studiosus audiebam, non in charta, sed in corde meo audita describens: eademque per Dei gratiam assiduè repeto ac revolvo. Et in conspectu Dei affirmare*

mare possum, beatum illum & Apostolicum presbyterum, si quid ejusmodi unquam audiisset, exclamaturum continuò, & obturatis auribus suis dicturum fuisse, prout ipsi moris erat: Deus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem? Atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans, seu sedens, ejusmodi sermones audiisset. Hæc apud Eusebium Irenæi caritas & errorum suorum Florino horrorem & pudorem incutiens, ut ad Fidem, à qua recesserat, revocaret. Sed incassum.

III. Florini lapsum simul & Blasti idem Eusebius refert L. 5. cap. 15., ubi illorum temporum hæreticos referens: *Alii verò*, inquit, *in urbe Roma viguerunt, quorum dux fuit Florinus quidam presbyterii in Ecclesia gradu dejectus, & Blastus simili errore implicatus. Qui quidem quamplurimos ab Ecclesiæ gremio abstrahentes in suam sententiam perduxerunt. Cùm uterque seorsum novam doctrinam adversùs Fidei veritatem invehere laboraret.* Sed cùm non exprimat hic, quænam esset hæc doctrina nova, variè Auctores loquuntur. Valesius in cap. 20. Eusebii, putat fuisse Cerdonis & Marcionis duos Deos invehentium, unum bonorum, malorum auctorem alterum, Florini hæresim fuisse: ideoque contra eum Librum de Monarchia Irenæum scripsisse. Eusebius tamen L. 5. c. 20. citato videtur velle, primum ejus errorem fuisse quòd assereret, eundem Deum esse conditorem etiam malorum: quod asserit etiam auctor Prædestinati cap. *66.* ubi Florini dogma ita recenset, quasi statuerit, Deum animas quasdam immutabiliter malas creasse: quem errorem à Theodoro quodam exemplo Judæ proditoris, & meretricis conversæ, refutatum fuisse idem Auctor tradit. Consentit S. Augustinus L. de Hæres. cap. *66.* ubi relatâ hæresi Coluthianorum à quodam Coluthio, qui dicebat Deum non facere mala, subdit: *Floriniani à Florino, qui è contrario dicebat Deum creasse mala, contra id quod scriptum est* ,, Fecit Deus omnia, & ecce bona valdè ,,. *Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo Divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturæ, atque substantiæ, ubi Florinus errabat.*

IV. Probabile tamen est, quòd Florinus Irenæi rationibus & argumentationibus victus, non tamen convictus; ne hinc Deum mali auctorem faceret, illinc verò à Monarchia, quam hactenus propugnaverat deficiens, cum Cerdone & Marcione duplicem Deum induceret; mediam, ut sibi videbatur, inter utrumque extremum Valentini sententiam amplexus, cum eo insanire maluit, quàm cum Catholicis sapere. Quare Irenæus de illius salute semper solli-

sollicitus, eumque è novo errore extrahere studens scripsit Librum de Ogdoade seu Octonario. Unde Eusebius dicto c. 20. de Florino, inquit: *Qui cùm postea in errorem Valentini abreptus fuisset, iterum Irenæus ejus gratiâ librum de Octonario conscripsit*, in quo famosam Valentiniani Ogdoadem, seu primigenium Æonum octonarium confutavit. Qui tamen Liber ampliùs non extat. Aliqui istum vocarunt *Florianum*. Communiter tamen ex dictis *Florinus* nuncupatus est.

V. Blastus ex dictis Florini socius fuit, & quia ambo Romæ presbyteri, & quia ambo ab Ecclesia exauctorati, & quia ambo ab Ecclesiæ gremio, à qua plurimos suis erroribus abducebant, depulsi. Volunt in errore etiam fuisse socios, & utrumque in Valentini hæresim incidisse. Hoc tamen ultimum licèt Theodoritus asserat, à plerisque saltem in dubium vertitur; Blastum specialem errorem adoptasse volentibus. Quod ex eo colligunt, quod Irenæus Librum de Ogdoade (qui Valentini error fuit) & similiter Librum de Monarchia non contra utrumque, sed contra Florinum direxit. Contra Blastum Librum de Schismate edidit, quod indicat, hunc Ecclesiam Romanam Schismate scindere præcipuè intentasse. Diversa autem à Florino sparsisse Blastum, indicat Eusebius L. 5. Hist. cap. 15. citato dicens, quòd *uterque seorsùm novam doctrinam adversùs fidei veritatem invehere laboraret*; illud enim *seorsum* ostendit, non eandem sed quemlibet separatim suam doctrinam sparsisse. Quænam verò esset Blasti doctrina nova, quâ schisma in Ecclesiam Romæ inducere tentabat, si fidem habemus auctori additamenti ad Lib. Tertulliani de Præscrip. cap. 53., dicemus fuisse, quòd *Blastus latenter Judaismum vellet introducere; Pascha enim dicebat non aliter custodiendum esse, nisi secundùm legem Moysi 14. mensis*: quod cùm esset contra Ecclesiæ Romanæ morem, ideo schisma inducebat. In quo conveniebat etiam Florinus, estò aliis erroribus Ecclesiam turbaret: cùm enim iste in Asia fuisset, & Blastus natione Græcus esset, non mirum si Asianum morem Paschatis celebrandi Romam trahere conarentur. Blastum & Florinum ad tempora Commodi Imperatoris & Eleutherii Pontificis remittit Eusebius.

§. II.

De Bardesane, Berone & Alexandro.

I. DE Bardesane (seu Bardisane) hæc refert Eusebius Lib. 4. Hist. cap. 30. *Porrò ejusdem Imperatoris temporibus, cum hæreses numero quamplurimæ extitissent in Mesopotamia, Bardesanes*

quidam (Syrus) *vir disertissimus syriaco sermone, & acerrimus in disputando adversùs Marcionem aliosque variarum opinionum auctores atque assertores, patriâ linguâ Dialogos conscripsit unâ cum infinitis aliis opusculis. Quos quidem discipuli ejus (habuit enim ille quamplurimos auditores utpote qui fidem nostram fortiter assereret) ex Syriaco sermone in Græcum transtulerunt. In his est Dialogus de Fato ad Antoninum scriptus, sanè luculentissimus. Sed & alia multa ex occasione persecutionis, quæ tunc temporis in nostros grassata est, scripsisse dicitur. Atque hic primum quidem sectator fuit Valentini: postea verò cùm doctrinam illam improbavisset, & pleraque ejus dogmata fictas esse fabulas convicisset; ipse quidem sibi visus est, ad rectiorem sententiam transivisse: vetusti tamen atque inoliti erroris sordes non penitùs extersit*. Ita Eusebius.

II. Ex his conjicitur, Bardesanem primò Catholicum, & hæresum tunc grassantium acerrimum impugnatorem fuisse. Deinde in hæresim Valentini lapsum, eam postea reprobasse, non tamen ad Catholicam Fidem rediisse, sed retentis quibusdam erroribus particularem sectam condidisse, & in ea decessisse. Quamvis autem aliqui, inter quos S. Hieronymus L. de Script. Eccl. c. 33. videatur asserere, eum primò Valentini sectatorem fuisse: cùm tamen dicat Bardesanem in Mesopotamia clarum habitum fuisse, conjicitur, eum loqui de initio lapsus, non de initio vitæ Bardesanis. Cæterùm S. Augustinus idem quod Eusebius expressè dicit L. de Hæres. cap. 35. his verbis: *Bardesanistæ à quodam Bardesane, qui in doctrina Christi priùs extitisse perhibetur insignis, sed postea, quamvis non per omnia, in Valentini hæresim lapsus est*.

Apertiùs autem Epiphanius Hæres. 56. de Bardesane loquens: *Hic*, inquit, *è Mesopotamia oriundus ex urbe Edessa principio longè optimus vir fuit, ac libros quamplurimos conscripsit, cùm adhuc sanâ atque integrâ mente esset. Quippe in Ecclesia Catholica versabatur utriusque linguæ, Græcæ videlicet ac Syriacæ, peritus. Cùmque Abgaro Edessenorum Regulo* (Abgari nomen erat omnibus Edessæ Regulis commune) *viro sanctissimo familiaritate conjunctus esset, ac cum eo concorditer in omnibus se gereret, & ejusdem disciplinæ esset particeps, post ejus obitum ad Antonini Cæsaris usque tempora perseveravit, non Pii, sed Veri*.

Inde ejus in Fide constantiam exhibens, subjicit: *Quin etiam Apollonio Antonini familiari, ut se Christianum negaret suadenti, acquiescere noluit: ac propemodum inter Fidei Confessores relatus est. Etenim pietatis patrocinio fortissimè suscepto, sapienter imprimis respondit: negavitque mortem se timere, cujus, etsi Imperatori non resisteret, sibi nihilominus necessitas immineret*. His celebratâ Bardesanis

sanis constantiâ, ad ejus infelicem lapsum transiens Epiphanius ait: *Ita vir ille præclarissimis ornamentis præditus hactenus fuit, donec infelici fato suum illum in errorem incidit, similiter atque egregia navis, quæ infinitis onusta mercibus, ad portum illisa, non modò jacturam rerum omnium facit, sed & vectoribus exitium adfert.* Hâc Epiphanii narratione apparet, Bardesanem initio fuisse virum Catholicum, sed postea miserè in exitium ruisse.

III. Quoad errores, in quos Bardesanes prolapsus est, dicit Epiphanius citato loco num. 2., quòd cùm ad Valentinos miserrimè se applicasset, *multa hic perinde & alia principia & productiones invexit; mortuorum Resurrectionem sustulit. Itaque privatam hæresim condidit*: additque præter Vetus & Novum Testamentum aliquos libros apocryphos adhibuisse. De primo errore, nempè pluribus principiis ac productionibus, ideft pluralitate Æonum, qui erat apud Valentinianos præcipuus, dubitatur, an ejuratâ ex parte Valentini sectâ illum in sua retinuerit. Certè illius Sectarii inter suos errores illum non recensebant; nam, ut habet Origenes in Dialogo de recta in Deum fide sect. 3., quidam Marinus Bardesanista interrogatus, quid de fide in Deum sentiat, respondit: *Deum ego quoque unum esse, ut etiam ille sentio, fideique prima rudimenta puto, unum Deum esse sentire. Tria autem sunt, in quibus non idem sentimus quod Catholica Ecclesia*. Interrogatus autem: *Quænam sunt?* Respondit: *Diabolum à Deo creatum esse non dicimus: Christumque ex muliere natum esse negamus, & corpus resurgere*. In tribus ergo errabant. Primò, quia Diabolum à Deo creatum negabant, quia putabant eum naturâ non voluntate malum; sed cum non admitterent alium Deum auctorem malorum, Diabolus à quo creatus est? an à se est, & sic alter Deus est? Secundò, quia Christum ex muliere natum esse negabant, sed corpus de Cœlo impatibile attulisse asserebant: quem errorem ex Valentino haustum retinebant, & proinde ejus passionem & mortem adversùs omnium Evangeliorum testimonia inficiabantur. Et adversùs eadem tertiò corporis resurrectionem negabant; cùm nihil apertiùs, quàm Christi & universalem omnium resurrectionem Scripturæ testificentur: & sic fidem Christianam radicitùs evertebant, ut dicit Paulus 1. Cor. 15. v. 13. & 14.

IV. Alium errorem quidam, inter quos Lambertus Danæus Opusc. de Hæres., Bardesani impingunt, nimirùm quòd Fatum tandem admiserit: in Disputatione enim habita cum Abiba Astrologo (de quo Epiphanius n. 1.) hujus rationibus victum, fatum, contra quod antea scripserat, mutatâ sententiâ dicunt approbasse. Et hoc colligere se putat ex S. Augustino L. de Hæres. c. 35., ubi de

Bardesane dicit: *addens de suo, ut fato adscriberet constellationes hominum*. Sed isti sine fundamento divinantur. Testibus Epiphanio & Eusebio supra relatis, Bardesanes Librum adversùs fatum conscripsit, illudque Imperatori obtulit, de quo Theodoritus L.1. Hær. Fab. c. 23. *Ego quoque*, inquit, *in ejus libros incidi, quos & contra fatum scripserat, & adversus Marcionem*. Libri contra fatum fragmentum extat adhuc apud Eusebium L.6. de Præpar. Evang. cap. 10. Disputasse cum Abiba Epiphanius dicit; sed quod è certamine victor non exierit, imo victus sententiam retractarit; quo antiquo monumento probatur? Fortè ex allatis S. Augustini verbis? At norint, verba illa à purioribus Augustini codicibus abesse, ideoque ab aliquo inerudito asserta, ut notat Baronius ad ann. 175. num. 19. & Vigerus in Notis ad Eusebii L.6. de Præp. Evang. c.10. Quomodo enim vehemens Fati oppugnator, Fatum, & quidem *de suo*, propugnasse credendus est? Unde meritò Patres Maurini à sua accurata editione verba illa exulare fecerunt.

V. De tempore, quo Bardesanes vixit, si Eusebium & Epiphanium audimus, dicemus verisimile esse, quòd perseveraverit Catholicus usque ad tempora Antonini Veri, cui Librum contra Fatum obtulit, à Fide verò defecerit sub Soteris Pontificatu post annum 174. imperante adhuc Marco Aurelio Antonino, vulgò dicto Philosopho. De morte, anno & genere mortis ejus altum est apud Veteres silentium. Filium habuisse Armonium græcis litteris apprimè institutum Athenis in Græcia, qui etiam linguâ syriacâ multa conscripsit, auctor est Theodoritus L.1. Hæret.Fab. c.23. Hæresis hæc non diù in se duravit, quamvis in subsequentibus hæresibus revixerit.

VI. Beronem Valentini discipulis accenset Ittigius sect. 2. de Hæresiarch. cap. 6. 10., quem dicit Valentini scholâ desertâ ad pejora dogmata conversum fuisse. De hoc nullum aliud profert testimonium, nisi Hippolyti Portuensis Episcopi, qui in Sermone de Theologia & Incarnatione contra Beronem & Helicem Hæreticos num. 5. hæc habet: *Bero quidam nuper, & alii quidam Valentini phantasiâ desertâ, deteriori irretiti sunt pravitate, dicentes assumtam à Verbo Carnem, fuisse eadem, quæ Divinitas operata est, operatam. Divinitatem verò compassibilem carni propter exinanitionem; convertibilitatem simul & commixtionem, seu confusionem, atque utriusque in invicem mutationem dogmatizantes*. Quibus apparet, Hæreticos ipsos voluisse in Incarnatione Naturas Divinam & Humanam fuisse invicem permixtas, confusas, & unam in aliam transmutatas, & in hunc errorem à Valentini schola Beronem transiisse. Hunc tamen Beronis errorem, cùm à nemine indicatum

repe-

repererim, & dubium sit, an sermo præfatus verè sit Hippolyti Portuensis, aut alterius longè junioris, ut idem Ittigius observat, rem de Berone in medio relinquam.

VII. E' Valentini factione prodiit etiam quidam Alexander, cujus meminit Tertullianus L. de Carne Christi c. 16. & 17., ubi contra ipsum probat Christum ex Virgine carnem sumsisse, eique improperat, quòd Valentini psalmis, quasi idonei alicujus auctoris, usus fuerit. Hic fortè est ille quem S. Hieronymus in procemio Comm. in Epist. ad Galatas, & Epist. 89. (modò 74.) ad Augustinum appellat *Alexandrum veterem hæreticum*. Meminit etiam inter Valentini discipulos idem Tertullianus L. adv. Valentinianos cap. 4. cujusdam *Theotimi*, de quo dicit: *Multum circa imagines legis Theotimus operatus est*. Et *Axionici*, de quo: *Solus*, inquit, *in hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integrâ custodiâ regularum ejus consolatur*. Verùm hi non minùs obscuri sunt, quàm Cossianus à Theodorito L. 1. Hær. Fab. memoratus.

CAPUT XIV.

De Ophitis.

§. I.

Ophitæ serpentem adorant.

I. Ophitæ (inquit S. Augustinus L. de Hæres. c. 17.) *à Colubro nominati sunt; Coluber enim Græcè* Ophis *dicitur. Hunc autem Colubrum, qui decepit Adam & Evam, Christum arbitrantur. Sed habent etiam verum Colubrum, quem nutriunt & venerantur: qui & incantante Sacerdote egreditur de spelunca, & ascendit super altare innixum speluncæ, & oblationes eorum lambit, & involvens se circa eas regreditur ad speluncam: & ita confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi à serpente Christo, ut illi putant, sanctificatas. Tradunt autem hujus serpentis cultum à Nicolaitis sive Gnosticis derivatum.*

II. Caussam autem, cur serpentem, cujus malignâ suasione nostri primi parentes decepti tot mala in posteros traduxerunt, venerarentur, dicebant esse, quia scientiam boni & mali homini inspiravit, quam eos habere Deus noluerat. Ita Philaster Hæresi 1. his verbis: *Primi sunt Ophitæ, qui dicuntur Serpentini; isti Colubrum venerantur dicentes, quòd hic prior initium nobis scientiæ boni*

boni & mali attulerit. Unde ei Dominum invidisse afferunt, quia scientiam primus detulerit mulieri bonæ rei atque malæ, perque illam ita ad genus omne hominum permanaverit, propter quod & de Cœlo primo dejectus est, inquiunt, in alterum (octo enim Cœlos ponebant teste Epiphanio Hæres. 37. n.4.) *Unde eum & de Cœlo ajunt adventurum, & velut aliquam Dei virtutem esse eumdem æstimant, atque eum adnuntiant adorandum.* Ita insani isti invidiæ Dei tribuebant omnia infortunia, quæ generi humano evenerunt, cùm ea invidiæ Diaboli adscribat Scriptura Sap. 2. v. 22. dicat: *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

III. Horum deliria Hæres. 37. num. 5. Epiphanius ita describit: *Propterea*, inquiunt, *Serpentem colimus, quòd Deus iste* (Serpentem appellant Deum) *multitudini hominum scientiæ ac cognitionis causam attulit* (veriùs dicerent *abstulit*). *Jaldabaoth* (Judæorum apud ipsos Deus) *supremæ Matris, ac Parentis memoriam extinctam inter homines esse cupiebat. Sed iis persuasit Serpens, ac scientiam importavit, totamque adeò divinorum mysteriorum cognitionem cum viro ac muliere communicavit. Ob id iratus Pater Jaldabaoth, ac derivatam in illos ejusmodi scientiam iniquo animo ferens, è Cœlo illum deturbat. Inde Regem è Cœlo delapsum Serpentem esse dictitant ii, qui non alterius se quàm Serpentis partibus addixerunt. Igitur propter hanc ab illo conceptam scientiam venerari se Serpentem fatentur, eique panem insuper objiciunt. Verum quippe Serpentem in cista nutriunt, quem mysteriorum tempore stipatis ad ejus cavernam in mensa panibus invitant. Ipseque aperto foramine è latebris erumpit. Atque ubi pro sua calliditate stoliditatem illorum agnovit, mensam conscendens circum panes implicatur. Hanc absolutissimum esse sacrificium censent. Unde, ut à quodam accepi, non modò panes istos, quibus circumvolutus est Serpens, frangunt ac distribuunt; sed etiam quilibet admoto ore Serpentem exosculatur; sive cautionibus quibusdam ad mansuetudinem bestia mollitur; sive alio Dæmonis artificio innocua redditur. Hanc quidem adorant miseri, & Eucharistiam vocant, cùm appositos panes tortuosis flexibus ac circumvolutionibus ambierit. Ac demum supremum Parentem per illum, ut ajunt, celebrantes, mysteria sua perficiunt.* Ita Epiphanius Ophitarum ineptias describit.

IV. Omnem igitur Divinorum scientiam à Serpente, contra Jaldabaoth voluntatem, acceptam Ophitæ referebant, quem ideo summis honoribus venerabantur. Hinc Auctor Appendicis ad Lib. Tertulliani de Præscript. cap. 47. ait: Ophitæ *Serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipsi Christo præferant. Ipse enim, inquiunt,*

scien-

ſcientiæ nobis boni & mali originem dedit. Hujus autem animadvertens potentiam & majeſtatem Moyſes, inquiunt, æreum poſuit Serpentem: & quicumque ipſum aſpexerunt ſanitatem conſecuti ſunt. Ipſe, ajunt prætereà, Chriſtus in Evangelio ſuo imitatur Serpentis ipſius ſacram poteſtatem dicendo: & ſicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.

At malè hæc, & ineptè ad ſuum intentum Ophitas detorquere, oſtendit Epiphanius citato loco n.7., nam Moyſes Serpentem erexit, ut Judæi, qui morſibus Serpentum lædebantur, illius aſpectu ſanarentur: *Si enim morſus illi Serpentium erant iidemque pernicioſi, conſequitur, minimè bonum eſſe Serpentem. Quod verò tum à Moyſe eſt erectum, ſolâ ſui contemplatione medebatur: non itaque quòd ita Serpentis natura ferret, ſed quòd ita Deo viſum eſſet, qui quos Serpentes pupugerant, iis per Serpentem mali remedium paraverat. Neque verò mirum eſſe cuiquam oportet, ſi unde quiſpiam læſus fuerat, inde medicinam acceperit.* Quod verò fecit Moyſes in deſerto, figura fuit illius, quod in Evangelio dixit Chriſtus ſe facturum, nempè, ut ſicut qui Serpentum morſibus fuerant appetiti, erecto Serpente ſanabantur: ita homines, qui Serpentis diaboli morſibus ideſt peccatis ſauciabantur, Chriſto in Crucem elato à morſibus ſibi ab antiquo Serpente illatis in Chriſtum aſpicientes ſanarentur. Ita Epiphanius diſcurrit. Et ad hoc reſpexiſſe exiſtimo Paulum, cum Hebr. 12. v.2. ait: *Aſpicientes in Auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem.* Super quæ S. Thomas Lect. 1. *Hoc*, inquit, *ſignificatum fuit per Serpentem æneum elevatum pro ſigno, in quem aſpicientes curabantur*. Quod & S. Auguſtinus Tract. 113. in Joan. ita ante expoſuerat.

V. At quia, ut ſupra indicavi, volebant, Serpentem illum, quem adorabant, eſſe Chriſtum, & abutebantur Chriſti verbis Matth. 10. v. 16. *Eſtote prudentes ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut Columbæ*; eos monet Epiphanius §. 8., hæc Chriſtum dixiſſe, non quia ipſe eſſet Serpens, ſicut nec erat Columba; ſed ut in Serpente imitarentur ſpeciem prudentiæ, & in Columba ſimplicitatis. In Serpente enim, etſi ratione veneni letifero, duplex prudentiæ ſpecimen apparet: unum quod appetitus ab aliquo *toto in caput complicato corpore, illudque protegens & occultans, ſummâ calliditate reliquum corpus opponit*. Quo monemur, ut ſive hoſte perſequente, ſive quàvis ingruente calamitate noſtra omnia ferro & flammis exponamus, ſolumque tutemur Caput, hoc eſt Chriſtum caput noſtrum non abnegemus. Alterum, quod ut Phyſiologi teſtantur, cum è cavea ſitiens ad aquam bibendi gratiâ prorepit, virus ſecum non affert, ſed in latibulo relinquit, atque ita ad potum

tum

tum egreditur. Quo docemur, cùm ad Ecclesiam, vel ad orandum, vel Dei mysteria sumenda convenimus, nullum nobiscum scelus, voluptatem nullam, nullum improbitatis vestigium in animis nostris afferre debere. In hoc imitabimur etiam Columbæ simplicitatem, in cujus specie ideo apparere voluit Spiritus Sanctus, ut sciremus, innocentis Columbæ simplicitatem ei gratam esse, & quod ad bonum attinet, prudentes, quod verò ad malum simplices & innocentes essemus. Ita discurrit Epiphanius.

§. II.

Aliæ Ophitarum fabulæ.

I. Porrò ut suum fabulosum systema efformarent, Æonum genealogiam suo modo confinxerunt, unicuique barbarum nomen affingentes, ut notant Irenæus L. 1. c. 34. (modò 30.) Summa ergo hujus genealogiæ hæc erat. Prunicus, idest prima omnium mater genuit Jaldabaoth, ipsamet tamen ignorante Jaldabaotho genuit Jao, Jao genuit Sabaoth, Sabaoth genuit Adonæum, Adonæus genuit Eloeum, Eloeus genuit Orcum, Orcus genuit Astapheum. Qui omnes servato nativitatis suæ ordine septem Orbes condiderunt, primus primum, & sic de reliquis. Dicebant insuper Jaldabaoth præfatis filiis suis, seu nepotibus interclusisse ea quæ supra se erant, ne fortè illa conspicientes, scirent, alia adhuc extare ipso Jaldabaoth superiora, ut neminem se superiorem agnoscentes, ipsum solum tanquam Deum haberent, unde tradit Irenæus eum dixisse: *Ego & Pater & Deus, & super me nemo.*

Ut verò Jaldabaoth insaniam castigaret Prunicus mater fecit, ut septem illi ab eo geniti filii hominem producerent, qui cùm ab initio tanquam vermis humi reptans erigi non posset, mater vim illam quam Jaldabaoth impertierat, ab eo abstulit, & ejus scintillam quandam, hoc est animam, homini infudit. Tunc homo pedibus suis constitit, atque omnes Cœlestes orbes cogitatione transcendens, Patrem illum Jaldabaoth superiorem agnovit, & laudibus extulit. Hoc ægrè ferens Jaldabaoth, feminam condidit vocatam Evam, cuius formam mirati cæteri genuerunt ex ea Angelos. At Prunicus mater vim à Jaldabaoth inspiratam clam ei abstulit, immissòque in eam Serpente, fecit, ut ejus suasione decepta ipsa primum de vetito fructu manducaret, deinde in societatem criminis Adamum traheret, quo uterque supremæ virtutis, & divinorum mysteriorum scientiam adeptus, à Jaldabaoth & cæte-

cæteris mundi opificibus abſceſſit. Quare iratus Jaldabaoth, quem Judæorum Deum putabant, Adam & Evam ac Serpentem è Paradiſo in hunc Mundum dejecit, ubi corpora illorum antea levia pellucida & ſpiritualia, in craſſiora tardiora infirmitatibus obnoxia mutata ſunt, atque ipſa anima languore fracta remanſit.

II. His aliiſque nugis fabuliſque veritatem de conditione lapſuque hominis in Geneſi deſcriptam adulterabant Ophitæ, & quod pejus eſt, à Serpentis ſuaſione communicatam homini ſcientiam divinorum aſſerebant; cùm potius ſcientia quam à Deo perfectam acceperat, Serpenti adhærendo, magna ex parte corrupta permanſerit. Et maximè quia Serpentem cujus fraude deceptam Evam dicebant, quem execrari debuiſſent, venerabantur, & Chriſtum ipſum eſſe, & Jaldabaoth filium eſſe dicebant. Unde meritò Epiphanius eos redarguens n. *6.* *Qui verò*, inquit, *Serpentem convenit cœleſtem eſſe Regem, cùm adversùs parentem inſurrexerit? Aut quomodo ſi cognitionem impertiat, Evæ impoſuiſſe dicitur? Nam qui fraude aliquá ſcientiam affert, non is ſcientiam, ſed pro ea ignorationem communicat. Quod illis* (Ophitis) *accidere certiſſimá ratione conficitur; cùm enim ſumma in inſcitia verſentur, eam nihilominus ſcientiam eſſe putant.*

III. Ophitarum prænarrata dogmata, nedum Catholicis, ſed & Gentilibus ipſis offenſioni erant, qui putantes eadem Chriſtianos omnes ſentire & facere, Chriſtianis omnibus ea improperabant, inter quos Celſus. Cui tamen Origenes L. *6.* contra Celſ. num. 28. hæc opponit: *At ſcire debuit, qui ſtant à Serpentis partibus, quaſi boni conſilii auctor hominibus fuerit, atque hac in re Titanum Gigantumque fabulas longè ſuperant, & idcircò Ophiani dicti ſunt, eos tantùm abeſſe ut Chriſtiani ſint, ut Jeſum non minùs Celſo calumnientur, nec in eorum ſodalitium ante quemquam admitti, quàm Jeſum execratus fuerit. Vide igitur quàm abſurdum Celſo fuerit, in ſuis adversùs Chriſtianos libris, ut Chriſtianos proponere homines, qui nec Jeſu nomen audire ſuſtinent, ne ut hominis quidem ſapientis, & benè compoſitis moribus. Quid inſanius, vel furioſius non ſolùm iis, qui à Serpente tamquam bonorum auctore denominari ſe volunt, ſed Celſo etiam, exiſtimante Chriſtianos earumdem rerum, atque Ophianos poſtulari poſſe? Ac Græcus ille quidem Philoſophus* (Diogenes) *cui tantoperè cordi erat frugalitas, quique exemplo fuit, nihil poſſidentem vitá beatá frui poſſe, Cynicum ſe appellavit: at impii illi, quaſi Serpentes ipſi eſſent, non homines, quorum Serpens hoſtis eſt, à bellua hominibus infenſiſſima & maximè horrenda, dari ſibi nomen Ophianorum gloriantur, & magnopere jactitant Euphratem quemdam, à quo* do-

doctrinam acceperunt. Hactenus Origenes, qui subinde plura adversùs Ophianos seu Ophitas congerit.

IV. Duo hic singularia, quæ apud alium auctorem non legi, dicit Origenes. Unum, Ophianos neminem in suam sectam admisisse, qui ante non fuisset Jesum execratus. Licèt enim Ophiani de Jesu catholicè non sentirent, eum tamen ita exhorruisse, ut neminem suæ sectæ nisi Jesu priùs saltem in totum ejurato, vellent admittere, iis quæ statim dicam consonum non videtur. Alterum quod Ophianorum hæresis auctor fuerit quidam nomine *Euphrates*. Ut ut sit, probabile videtur, auctorem fuisse hominem Ægyptium obscuri nominis, cùm maximè in Ægypto mos adorandi Serpentes viguerit, sicut & alia ferarum genera: cujus testis est Philo apud Euseb. Lib. 1. Præpar. Evang. cap. 10., ubi primò dicit, Tauutum quemdam Draconis Serpentumque naturæ divinitatem aliquam tribuisse, quam opinionem Phœnices & Ægyptii comprobavere. Inde addit, Serpentem, quem venerabantur, à Phœnicibus appellatum fuisse *bonum Dæmonem*, ab Ægyptiis verò *Gnepheum*, cui etiam Caput accipitris ob hujus velocitatem inserebant. Epeis verò apud illos sacrorum summus interpres scribit: *Unus omnium maximè divinus erat Serpens ille, qui Accipitris formam præseferebat, idemque aspectu jucundissimus; quippe enim ubi oculos aperuisset, continuò primigeniæ suæ regionis loca omnia luce complebat: sin autem conniveret, illicò tenebræ succedebant*. Porrò idem Philo tradit, quòd Ægyptii mundum depingentes, rotundum circulum aerio colore flammisque sparsum exprimere solebant, cujus in medio Serpens extensus Accipitris formâ collocabatur. Hæc Ophitas imitatos fuisse ex dictis constat, nam Serpentem in caverna alebant, quem ad sua sacrificia peragenda evocabant.

V. Gnosticorum seu Valentinianorum Ophitarum Sectam ramum fuisse, colligi videtur ex fabulosa Æonum genealogia, quam suo modo, ut dixi confingebant. Unde Irenæus L. 1. cap. 35. modò 31. Ophitas, quos cum Cajanis recenset, de schola Valentini prodiisse refert, eisque ultimum locum assignat. Clemens Alexandrinus L. 7. Strom. pag. 765. Ophitas iis annumerat, qui ex rebus quas venerantur nomen sumsere, unde Ophitæ ab angue, quem colebant, dicti sunt. An verò ritum colendi anguem ab Ethnicis sumserint, verisimile est, cùm nemo hæreticorum anteriorum, nec Valentiniani Serpentis cultum adoptarint, & maximè, si, ut dixi, Secta auctorem habuit Ægyptium. Et idem Clemens in Admonit. ad Gentes pag. 9. dicit: *Signum Bacchicorum Orgiorum est Serpens mysteriis initiatus*.

VI. De tempore, quo Ophitæ eruperunt, ambigitur. Philaster

ſter Ophitas & Cajanos cap. 1. & 2. refert tanquam primos, qui ante adventum Chriſti ſurrexerunt. Sed primos eos vocat non ratione temporis, quaſi ante omnes exorti ſint, ſed ratione argumenti, à quo ſuam hæreſim hauſerunt; errarunt enim in re poſita initio & in primo limine Veteris Teſtamenti. Alii tamen qui inter hæreticos Novi Teſtamenti eos collocant, diſcordes ſunt: nam SS. Auguſtinus & Epiphanius poſt Heracleonem eos ponunt, & conſequenter poſt Valentinum; Tertullianus, ſeu Auctor Capitis 47. Lib. Præſcript., eorum ante Carpocratem meminit. Theodoritus poſt Colorbaſios, & Colorbaſios. Hinc fit ut incertus ſit annus quo prodiere. Eos ad annum Chriſti 145. refert Baronius, nempe ad tempora Adriani & Antonini, ex eo motus, quòd ut ex Origene dictum eſt ſupra, noti erant Celſo, qui illis temporibus vivebat: cui conſentit Ricciolius parte 3. Chronolog. Catal. 2.; Lambertus Danæus in Opuſc. de Hæreſ. c.17. eos ſtatuit anno 165. At ſecundùm ordinem à S. Auguſtino ſervatum poſt annum 153. ſtatui deberent. Quamdiu verò duraverit error iſte, cenſet Baronius citato loco ex Origene Lib. 6. contra Celſum ejus ætate, nimirum tertio ſeculo circa medium Ophitarum nomen obſcurum fuiſſe, & vix aliquos illius ſectæ extitiſſe. Alii tamen putant, eorum veſtigia adhuc anno 521. tempore Juſtiniani I. Imperatoris, imo anno 681. quo ſexta Synodus Conſtantinopolitana celebrata fuit, adhuc manſiſſe. Quia Juſtinianus Leg. 11. Cod. de Epiſcop. audientia & L. Ariani Cod. de Hæreticis, & prælaudata Synodus act. 11. in Epiſtola Sophronii cum pluribus aliis Hæreticis damnant & anathematizant etiam Ophitas, quos non ſaltem nominatim damnaſſent, ſi jam evanuiſſent.

§. III.

Ophitarum errores recenſiti.

I. PRætermiſſis fabulis de ſuorum Æonum genealogiis, de quibus ſatis ſupra dictum eſt, Ophitarum palmaris error, unde nomen acceperunt, & Serpentarii dicti ſunt, fuit, quòd Serpentem qui Evam decepit, tanquam communicatorem omnis ſcientiæ hominibus, honore & cultu proſequebantur, & proinde Diabolum, cujus ille lingua fuit, velut Numen adorabant. Hic ex Baronio ad ann. 145. n. 14. obſervare licet, Diabolum Chriſti Crucis virtute percuſſum, ex Idolis fugatum, & penitùs profligatum impio ſanè conſilio priſtinam illam, quam olim decipiens primos parentes induerat, formam reſumſiſſe, ut hominem, quem

olim è Deo abstraxerat, etiam Christo eriperet, sibique Divinum honorem conciliaret. Nec hoc contentus quemdam Alexandrum Magum è schola Appollonii Thianæi excitavit, qui Serpentem sub nomine Æsculapii adorandum exponeret, ac plures in Oriente deciperet, ut ex Luciano in Pseudomonte ibidem narrat Baronius.

II. Secundò Deum creatorem Mundi & auctorem Legis Deum maledictum appellabant (ex Origene L.6. contra Celsum). Hunc quem vocabant Jaldabaoth, Judæorum Deum esse putabant. Propterea Veteris Testamenti Prophetas rejiciebant: etenim eos non veri & summi Dei Prophetas extitisse, sed Jaldabaoth & filiorum sive nepotum ejus, missos ut eos glorificarent, asserebant: *Sic autem eos distribuunt* (inquit Irenæus L.1. c. 34. modò 30.) *hujus quidem* (Jaldabaoth) *Moysen fuisse, & Jesum Nave, & Amos & Abacuc. Illius autem* Jao, *Samuel, & Nathan, & Jonam, & Michæam. Illius autem* Sabaoth, *Eliam, & Joel, & Zachariam: Illius autem* Adonei *Esaiam & Ezechiel & Jeremiam & Daniel. Illius autem* Eloei *Tobiam & Aggæm: illius autem* Horei, *Michæam & Nahum: illius autem* Astaphæi, *Hesdram & Sophoniam. Horum unus quisque glorificans suum Patrem & Deum* prophetavit.

III. Tertiò Serpentem illum, qui Evam suggestione fefellit, & quem ipsi colebant, dicebant esse Christum qui Evæ scientiam superiorum communicavit, ut ex dictis apparet. Quo nihil magis impium. Tum quia Serpentem, qui decepit Evam laude dignum existimabant, cùm tanquam humani generis hostem horrere debuissent. Unde in deceptionem inciderunt, quam timens Apostolus 2. Cor. 11. v. 3. prædicens: *Timeo autem*, inquit, *ne sicut Serpens Evam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo*. Ita S. Aug. L. 2. de Gen. contra Manich. c. 26. Quæ enim insanior corruptio, quàm Serpentem deceptorem dicere fuisse Christum Redemtorem? Tum quia Christus Filius Dei & Verbum Patris factus homo contra Serpentem venit, ut hominem in sanctitate & justitia conditum, & inde Serpentis fraude spoliatum, suâ passione & morte justitiæ & sanctitati restitueret: *Ut* enim *erecto Serpente ii, qui morsu erant appetiti, repente liberati sunt: ita Christo in Crucem sublato animæ nostræ à peccati morsibus sunt exemtæ* (Epiphanius n.7.) Quidam verò teste Irenæo L.1. c. 34. vel 30. citato num. 15. *Ipsam Sophiam Serpentem factam asserebant, & contrariam Factori Adæ extitisse, & agnitionem hominibus immisisse, & propter hoc dictum Serpentem omnium sapientiorem*.

IV. Quartò Christum à Jesu (ut ex præfatis hæreticis multis) distinguebant, Christum in Jesum descendisse dicentes. In quo

quo etiam fabulas miscebant, & maximè quòd Christus descenderit per septem Cœlos;& sensim Filiorum seuNepotum Jaldabaoth, qui eos condiderant, evacuasse virtutem. Descendisse autem non solùm in hunc Mundum, sed induisse primùm sororem suam Sophiam; & hos sponsum & sponsam esse dicebant: & propterea Jesum, quem ex Virgine per operationem Dei generatum esse dicebant, sapientiorem & mundiorem & justiorem hominibus fuisse, quia Christo & Sophiâ indutum,& sic factum esse Jesum Christum. Non tamen statim Jesum discipuli ejus cognoverunt, sed tunc solùm cùm descendente Christo in eum cœpit virtutes perficere, & curare, & annuntiare incognitum Patrem, & se manifestè filium hominis confiteri. Hæc ex Irenæo. Quæ Theodoritus etiam confirmat L.1. Hæret. Fab. his verbis: *Jesum autem dicunt esse alium præter Christum, & eum quidem qui Deus est, ex Virgine esse natum; Christum autem è Cœlis ad ipsum descendisse.* An verò Christus ad Jesum descenderit statim ac conceptum & natum, an solùm cùm super baptizatum Spiritus Sanctus descendit, probabilius hoc secundum eos voluisse putatur.

V. Quintò de Christi passione, morte, & resurrectione dicebant, Jesum invidiâ Judæorum passum fuisse & mortuum, non tamen Christum: Jesum verò resurrexisse, non quidem secundùm corpus mundanum, sed secundùm corpus & animam spiritualem, quam Scintillam luminis appellabant. Itaque Jesu corpus à mortuis excitatum dicebant, non illud terrenum, quod caro & sanguis est (hæc enim, ajebant, regnum Dei possidere non possunt; unde quidquid mundanum acceperat, mundo dimisit) sed illud corpus, quod animale & spiritale vocabant, partem videlicet corporis subtiliorem & aeream; seu potiùs animam tum animalem tum spiritualem, quam utramque corpoream esse finxerunt, unâ tamen parte crassiori, cujus comparatione altera subtilior dicta fuerit spiritalis. Hoc erat ludicrum resurrectionis genus à Catholica fide alienum, quod Ophitæ admittebant.

VI. Hoc totum exponens Irenæus num. 13. dicit, quòd visis prodigiis, quæ Christus faciebat, & maximè quòd incognitum Patrem ejusque filium se appellaret: *Irascentes Principes & Patrem Jesu, operatos ad occidendum eum: & in eo cùm adduceretur, ipsum quidem Christum cum Sophia abstitisse in incorruptibilem Æonem dicunt, Jesum autem crucifixum; non autem oblitum suum* (hominem) *Christum, sed misisse desuper virtutem quandam in eum, quæ excitavit eum in corpore, quod & corpus animale & spiritale vocant; mundialia enim remisisse eum in mundo. Videntes autem discipuli resurrexisse eum, non enim cognoverunt, sed ne ipsum quidem Jesum,*

Jesum, cujus gratiâ à mortuis resurrexit. Et hunc maximum errorem inter discipulos ejus fuisse dicunt, quoniam putarant eum in corpore mundiali resurrexisse, ignorantes,, quoniam caro & sanguis regnum Dei non apprehendunt,,. 1. Cor. 15. v. 50. Quibus mendacem & illusorem faciunt Jesum Christum, quando dubitantibus discipulis, an esset spiritus, Lucæ 24. v. 39. dixit: *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes*. Et ut omnem dubietatem auferret voluit manducare cum illis. Vel ergo eis illusit, vel, quod verum est, corpus mundiale sicut ante, post resurrectionem habuit.

VII. Addit idem Irenæus, quòd confirmare volentes descensionem Christi in Jesum, & ascensionem ab eo, dicebant Jesum neque ante baptismum, neque post resurrectionem à mortuis aliquid magni fecisse: quia ante baptismum Christus nondum in eum descenderat, post resurrectionem verò jam ascenderat ab eo ad incorruptibilem Æonem, nec ei ampliùs unitus erat. Addebant insuper, Jesum post resurrectionem decem & octo mensibus commoratum fuisse cum discipulis suis, docendo paucos ex discipulis suis, quos sciebat capaces tantorum mysteriorum, & postea receptus est in Cœlum, Christo sedente ad dexteram Patris. Addebant per Jesu resurrectionem spoliatum fuisse Jaldabaoth dominio, quod sibi vindicarat in animas sanctas, jamque deinceps penes ipsum non fore, ut spirituales rursùm demittant in seculum purgandas, sed eas tantùm quas insufflaverat, idest animales. Quæ Platonicæ Metempsychoseos fabulam sapiunt.

VIII. Sextò errabant circa Eucharistiam: eam enim in puris panibus, circum quos serpens quem colebant, obvolvebatur, ut supra exposui, constituebant; & sic nullis adhibitis verbis à Christo institutis consecratos dicebant, magnum Sacrificium vocantes. Unde Eucharistiam verum Christi corpus continere negabant, eo maximè, quia ex dictis Christo Jesu verum corpus non tribuebant.

CA-

CAPUT XV.

De Cajanis, & eorum erroribus.

§. I.

Unde dicti, eorum ortus, duratio, & mores.

I. Cajani, seu Cainitæ ex S. Augustino L. de Hæresibus cap. 18. sic dicti fuere, quia Cain honorabant, sicut ex dictis Ophitæ vocabantur, quia Ophim, ideſt Serpentem colebant. Aliquæ enim ſectæ ab Auctore nomen accipiunt, aliæ autem ab errore quem profitentur, ſeu ab iis quos honorant denominantur. Hinc Clemens Alex. L. 7. Stromat. pag. 745. ait: *Alii autem ex poſitionibus & iis quæ ipſi honorarunt, ut qui appellantur Cajanitæ, & Ophiani*. Idem ſentiunt Epiphanius Hæreſ. 38. num. 1., & quotquot de Cajanis locuti ſunt. Unde ſingularis eſt Honorius Auguſtodunenſis, qui Cajanos ſeu Cainitas ſic dictos cenſet, quia Cain oderant. Nam præterquam quod contra omnium ſententiam loquitur, non video, cur hæreticis annumerandus foret qui Cainum odit, cum potiùs nemo Catholicus ac pius ſit, qui ſceleſtum fratricidam non deteſtetur. Porrò Cajani, quamvis à Cain nuncupati, non tamen ſolùm Cain ſed alios quoque impios, de quibus intra dicam, venerabantur. Turpiſſima quoque ut ſibi licita admittebant.

II. Quis hujus hæreſis ſub hoc nomine Auctor fuerit à nemine quem viderim indicatur. Cujus autem ex præcedentibus hæreſis hæc ſurculus fuerit, eſtò quoad cultum Cain nullam ante ſe recognoverit, alia tamen ex variis prioribus ſectis excerpſit. Hinc Auctor Appendicis ad Lib. de Præſcript. Tertulliani c. 47. Cainitas Nicolaitarum ſobolem putat. Alii Gnoſticorum, & Carpocratianorum, quorum impuritates imitabantur. Alii, ut Epiphanius Hæreſ. 38. num. 2., omnium præcedentium nequitiis ſordidatos fuiſſe exiſtimant: etenim eorum flagitiis indicatis ſubdit: *Atque iſtud ipſum eſt, quod ab illis abſoluta cognitio dicitur; quandoquidem ut per nefanda omnia flagitiorum genera impunè ita volitarent, à ſuperioribus ſectis velut parentibus, Gnoſticorum videlicet, Nicolai, atque affinium Valentinianorum, & Carpocratis dogmatibus occaſionem nacti ſunt*. Et Irenæus L. 1. c. 31. al. 35. inter eos qui à Valentino ſunt, Cajanos recenſet dicens: *A talibus matribus & patribus & proavis eos, qui à Valentino ſunt, ſicut ipſæ ſententiæ & regulæ oſtendunt eos* &c. II. His

II. Hic positis, non erit multum laborandum de tempore, quo Cainitæ emerserunt. Quidquid enim fit de anno, quem Ricciolius vult fuisse Christi 144. & alii 159., certum videtur, Cajanos simul & Ophitas circa tempora Antonini Pii Ecclesiam turbasse. Nec obest, quòd Philaster hæresim Cajanorum referat velut secundam ab Orbe condito. Nam ut Cap. præcedente dictum est, Philaster ibi primo omnium loco ponit Ophitas, non quasi primos tempore, sed quia ex initio Mundi, nempe à Serpente primorum parentum deceptore, sui erroris argumentum sumsere: ita Cajanos secundo loco narrat, quia ex Caino Adæ primogenito occasionem errandi nacti sunt. Et hâc ratione, ut dicam, tertio loco Sethianos collocat, qui in Seth tertio genito Adæ errorem suum collocarunt. Imo de Cain agit etiam Hæref. 128., ubi refert Hæreticos quosdam excusantes Cain à peccato, quòd Abel fratrem occiderit, quia à Deo acceperat dominium in ejus vitam; & Hæref. 129. alios refert volentes, Deum permisisse Cain post fratricidium vivere, & noluisse à quopiam occidi, ut pœnitentiâ posteros instrueret. Quorum utrumque falsum est; nam Cain occidendo fratrem turpiter peccavit, & iram Dei in se concitavit: nec imposterum ùllum signum pœnitentiæ reliquit.

III. De Cajanorum genere & patria nihil certi habemus. Refert Ittigius in Appendice ad cap.4.de Hæref. n.48., Bolducium in Tract. de Ecclesia post Legem tradere, Cajanos ex Cinæis pullulasse, eorumque institutum à Kenan filio Enos ortum habuisse: sed hoc absque ulla ratione asseritur. Voluerunt ergo alii, eos ex Chaldæa prodiisse, alii ex Ægypto, atque inde in vicinas gentes effusos; inter quos Lambertus Danæus Opusc. de Hæref., putans, sibi favere Epiphanium Hæref. 39. contra Sethianos num.1., ubi de Cajanis loquens ait: *Nisi me fallit memoria, puto me cùm in Ægypto essem, in eam hæresim incidisse, neque enim penitus loci recordor, ubi cum istis congressus sum.* Sed hæc verba ostendunt quidem, Epiphanii ætate aliquos ex Cajanorum & Sethianorum secta in Ægypto extitisse, non tamen ibidem ortum suum habuisse. Probabile tamen fit, quòd sicut Valentina hæresis in Ægypto natales habuit, ita & Cajana, quæ ex dictis, ejus ramusculus fuit. Diu tamen non durasse indicat Epiphanius laudato loco, sicut nec ubique diffusam, dicens: *Alia est Sethianorum hæresis, quæ non ubique reperitur, uti nec Cajanorum ... Ac nescio, an non pleræque sectarum istiusmodi radicitus extirpatæ sint. Quidquid enim à Deo non est, consistere non potest, sed etsi aliquanto tempore vigeat, perenne nihilominus esse nequit.*

IV. Porrò nec ubique diffundi, nec diù consistere poterat secta,

cta, quæ impiis dogmatibus turpissimos etiam mores admiscebat: imo cùm quodcumque etsi infandum scelus ac enorme flagitium patrandum esset, docebat suos, ut Angelos quosdam invocarent, ut eis in præfatis impietatibus patrocinio essent. Ita præter Irenæum L. 1. c. 31. modò 35. referunt Epiphanius & Theodoritus. Epiphanius quidem citatâ Hæres. 38. n. 2. ait: *Quilibet enim illorum hujus occasione dogmatis nefaria quædam perpetrans, seque execrandis in libidinibus ac flagitiorum genere omni volutans, singulorum Angelorum nomina, tam verorum, quàm ab ipsis confictorum invocans, unicuique detestandum aliquod facinus ac peccatum, velut præcipuum attribuit, ac qualecumque suum scelus certi cujuspiam ad Angeli nomen accommodat. Cum enim ejusmodi aliquid committunt, hunc in modum præfari solent.* O Angele N. tuum opus exerceo. O Potestas N. actione tuâ fungor. *Atque istud ipsum est, quod ab illis absoluta cognitio dicitur*: & ut notat n. 1. *negant liberari ullos posse, nisi per omnia* (flagitia) *transierint: quod & Carpocrates opinatus est*.

Theodoritus verò L. 1. Hæret. Fab. de Cajanis: *Cum*, inquit, *faciunt ea quæ sunt vetita, alicujus Angeli nomen invocant, tanquam illi utique intemperantiam largientis, & in unaquaque impudicæ actionis specie hoc faciunt. Pro variis enim impudicitiæ formis, totidem quoque numero Angelos eis dicunt respondere, qui earum rerum operatione coluntur.* Si de Angelis malis & Dæmonibus locuti fuissent, certè hos suarum enormitatum patronos, imò & instigatores sperare potuissent: at si Angelos sanctos intellexissent, hos non patronos, non auditores, sed execratores & divinæ justitiæ ultores timere debuissent: ac sibi dictum à S. Juda in Ep. v. 9. *Væ illis, qui in via Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt* &c. de quo infra.

§. II.

Cajanorum errores.

I. Conformis eorum moribus erat Cajanorum doctrina. Primò Cain, Core, Datan, Abiron, & Sodomitas, quos Scriptura detestatur, laudabant, venerabantur, colebant. Ut suum de Caino fundarent errorem, asserebant cum superioribus Hæreticis, Adamum & Evam, non à Deo, sed à quibusdam virtutibus fuisse conditos. De suo autem hæc addiderunt. Duplicem virtutem fingebant, aliam superiorem, quam *Sophiam*, aliam inferiorem & posteriorem, quam *Hysteram* vocabant; & huic Cœli, & terræ fabricationem tribuebant. Ab utraque Adamum & Evam

originem traxisse asserebant, quos autem genuere filios, non item. Nam ambas virtutes cum Eva congressas Cain & Abelem genuisse sic affirmabant, ut superioris & fortioris ideſt Sophiæ filius fuerit Cain, inferioris verò ideſt Hysteræ Abelus: propterea secum invicem rixatos, Cain, qui à fortiori virtute progenitus fuerat, inferioris & infirmioris sobolem Abelum occidisse.

Ad eandem cum Caino prosapiam pertinere volebant Core, Datan, Abiron, Sodomitas, Esau, & quotquot in Veteri Testamento scelerum infamiâ notantur: hos enim opinione suâ laudandos, ac secum generis cognatione conjunctos, ut perfectiori ac sublimiori scientiâ cæteris ornatos asserebant. Et quamvis Mundi Opifici invisos continuisque insidiis appetitos, nihil tamen detrimenti ab eo accipere potuisse, quòd semine suo progenitos mater Sophia tutata fuerit, & in supernum Æonem commutatos ad se tandem rapuerit.

II. Hæc iniquissimi illi, dicentes malum bonum, & bonum malum; quæ referunt Irenæus L. 1. c. 35. modò 31., Auctor Appendicis ad Lib. de Præscript. c. 47., & Epiphanius Hæres. 38. num. 1. his verbis: *Qui Cajani vulgò nuncupantur, hæresim suam à Caino cognominarunt. Hunc enim prædicant, & Parentem suum appellant.... Igitur Cajani à potentiori quadam virtute ac Cœlesti auctoritate derivatum esse Cainum prædicant, necnon & Esau & Core cum suis, itemque Sodomitas: Abelum verò ab imbecilliori virtute prodiisse. Quamobrem illos omnes opinione suâ laudandos, ac secum necessitudine conjunctos asserunt, deque ejusmodi cum Caino, & Sodomitis, Core, & Esau cognatione gloriantur, ac perfectæ sublimiorique scientiæ illos adscribunt. Ideo Mundi hujus Opificem putant, cùm ad eos funditùs profligandos incumberet, nocere nihil omnino potuisse. Ab eo quippe semetipsos occultasse, & in supremum Æonem esse commutatos: unde & fortissima illa virtus est. Nam illos ad se se sapientia utpote necessarios admisit.* Et infra n. 2. *Nam Cainum fortioris cujusdam esse Virtutis, & Abelum infirmioris sentiunt. Quas ipsas Virtutes cum Eva congressas utrumque genuisse sic affirmant, ut alterius Abelus sit, Cainus alterius. Quin Adamum atque Evam iisdem à Virtutibus, sivè Angelis originem traxisse: quosque genuere postea liberos, Cainum, inquam, & Abelum, secum invicem rixatos esse, & qui à fortiori virtute propagatus fuerat, inferioris imbecilliorisque sobolem occidisse.* Ita Epiphanius.

III. Ne verò ex scelestioribus impiis aliquem sine speciali honore relinquerent, Judam ipsum proditorem, tanquam insigni sapientiâ præditum colebant, & affinem suum esse jactitabant, ei excellentem quandam vim cognitionis tribuentes, ex Epiph. n. 1.

Di-

Divinâ enim quâdam virtute instigatus Christum prodidit: sive quòd, ut alii blasphemabant, malus esset & contra veritatem prædicaret; sive ut, quemadmodum alii volebant, saluti nostræ consuleret, & Jesu Christi Cruce ac morte cœlestium rerum nobis salutem procuraret. Noverant enim (ajebant) Mundi Principes, si Christus in Crucem tolleretur, ipsorum exhaustum iri potentiam omnem: quare veritus Judas, ne mortem ejus impedirent, maturavit omnemque lapidem movit, ut eum Judæis traderet. Hanc enim fuisse causam volunt, cur è Cœlo delapsus sit, ut fortis in ipso solidiorque Virtus perficeretur, ac de infirmiore triumphum referre doceret. Hæc ex Epiphanio num. 3. Exsecrandus sanè triumphus, in eo situs (in eorum sententia) ut unusquisque per nefanda omnia flagitiorum genera volitaret. Nemo enim (ajebant) perfectam cognitionem, ipsamque proinde salutem adipisci poterat, nisi turpissima quæque opere pertransierit.

IV. Hæc erat Cajanorum doctrina, quâ malum bonum, bonum verò malum dicebant; dum Cainum, Core, Judam Iscariotem aliosque, quorum impietas in Veteri & Novo Testamento apertâ voce damnatur, isti amant ac suis præconiis tanquam perfectos & bonos celebrant, Abelem autem, cujus pietas & innocentia passim laudatur, tanquam malum oderunt. Cui aliam impietatem addentes dicebant, bonos eos esse, qui à fortiori virtute, malos verò qui ab infirmiori essent progeniti; sicque non voluntate ac deliberatione, sed naturâ bonum esse aut malum.

V. Cæterùm Cainum non esse honore & laude, sed potiùs execratione dignum, ipsa Dei sententia manifestat, qui Genes. 4. v.11. *Maledictus*, inquit, *eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua*: cui Cain culpam suam agnoscens, desperatè respondit v.13. *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Quis nisi insanus laude & honore dignum judicat eum, qui horrore sui sceleris percussus, illud adeò grave confitetur, ut irremissibile sit? Idem de Juda proditore dicito; is enim cum proditionem consummasset, sceleris enormitate conceptâ: *Peccavi* (inquit Matth. 27. v.4.) *tradens sanguinem justum*, & projecto sacrilegii pretio *abiens laqueo se suspendit*. Ecce ambo isti, Cain & Judas Cajanorum insaniam, eos honore & laudibus celebrantium, ore & facto proprio condemnant. Si Cain fortiori virtute impulsus Abelem occidit: cur inferioris virtutis vocem, ad quam sanguis Abel clamabat (ut Cajani sentiebant) adeò timuit? num virtus fortior eum tueri non poterat? Si Judas non malitiâ sed superiori scientia motus Christum Judæis tradidit, vel quia contra legem prædicabat, vel ut saluti nostræ ejus morte consule-

fuleret: cur se peccasse fatetur? cur desperatè ad laqueum currit?

Quamobrem (inquit Epiphanius num.7.) *non ex certa singularis illius beneficii scientia quod in Mundum derivaret, Dominum Judas prodidit ut illi mentiuntur: sed ita potiùs, ut & suum esse Dominum sciverit, & quàm idipsum Mundo salutare esset ignoraret. Fieri ne potest, is ut salutis hominum curam gerat, qui ab ipsomet Salvatore* perditionis filius *appellatus fuerit: & illud audierit* (Matth. 26. v.24.) „ Bonum ei erat si natus non fuisset homo ille?... *Item* „ Væ ei per quem filius hominis tradetur„? *Etenim Judas hæc in se comprobavit omnia, atque & laudatorum suorum, & suammet ipse dementiam vel invitus ostendit. Nam posteaquam tamen triginta illos argenteos accepit, pœnitentiâ ductus pecuniam illam restituit, tanquam mali aliquid perpetrasset, cùm sibi tum iis qui Cruci Christum affixerunt. Dominus verò per se quod nobis atque universo bonum erat efficiens, se ipsum tradidit, ut saluti omnibus esset. Non igitur proditori Judæ, sed benignissimo Salvatori gratias agimus, qui animam pro nobis, ovibus videlicet suis, exposuit, ut ipse dixit.*

VI. Quomodo autem Judas peccaverit tradendo Christum, qui se ipsum & quem Pater pro nobis omnibus tradidit, & qui oblatus est, quia ipse voluit, ostendi supra Tom. 4. p.2. cap. 24. §.2. n. 15. &c. quæ huc referri poterunt. Interim audiatur S. Augustinus Tract.7. in Cap.4. Ep.1. S. Joannis dicens: *Ecce Christum tradidit Pater, tradidit Judas. Nunquid non quasi simile factum videtur? Traditor est Judas, ergo traditor est Deus Pater? Absit, inquis*. Et paulò post: *Si Pater tradidit Filium, & tradidit se ipsum Filius, Judas quid fecit? Facta est traditio à Patre, facta est traditio à Filio, facta est traditio à Juda. Una res facta est. Sed quæ res discernit Patrem tradentem Filium, se ipsum Filium tradentem, & Judam discipulum tradentem Magistrum suum? Quia hoc fecit Pater & Filius in caritate: fecit autem hoc Judas in proditione. Videtis, quia non quid faciat homo considerandum est, sed quo animo & voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Judam: Patrem benedicimus, Judam detestamur. Quare Patrem benedicimus, Judam detestamur? Benedicimus caritatem, detestamur iniquitatem. Quantum enim præstitum est generi humano de tradito Christo? Nunquid hoc cogitavit Judas ut traderet? Deus cogitavit salutem nostram, qua redemti sumus: Judas cogitavit pretium quo vendidit Dominum. Filius ipse cogitavit pretium quod dedit pro nobis: Judas cogitavit pretium, quo vendidit Dominum. Diversa ergo intentio diversa facta fecit*. His S. Augustinus, asserens Judam ne quidem cogitasse de nostra salute, Cajanorum dementiam palam retundit.

VII. Se-

VII. Secundus Cajanorum, non quidem omnium, error erat quòd Christus ideo à Juda justè traditus fuerit, quia instituta Legis violare conabatur. Licèt enim Cajani omnes in Judæ proditione à noxa & infamia purganda convenirent, in assignanda tamen causâ duplicem excogitarunt viam. Una erat, Judam benè se gessisse in traditione Christi, quia saluti humani generis cooperatus fuit. Sed hanc ut falsam jam reprobavimus. Altera erat, & magis impia, qua dicebant, Jesum virum pravum extitisse, & sacrarum Legum violatorem: ideoque Judam optimè se gessisse tradendo illum Judæis interficiendum. Hujus meminit Epiphanius n. 3. *Quidam enim* (ait) *Christum, quòd malus esset ac Legis instituta violare auderet, à Juda proditum existimant*. Falsò tamen, nam Jesus circumcidi voluit, præsentari in Templo, Pascha celebrare, aliaque Legis præcepta custodire. Quod & protestatus fuit Matth. 5. v. 17. dicens: *Nolite puta. e, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere*: idest ea quæ in Lege figurata & à Prophetis prædicta de me, consummare.

VIII. Judæi tamen calumniam hanc impingebant Jesu, quòd esset Legem subvertens & populum. Unde frequenter accusabant eum, quòd Sabbatum non custodiret, & Jo. 9. v. 16. quidam ex Pharisæis dicebant: *Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit*. Populi autem subversionem coram Pilato improperabant ei Lucæ 23. v. 2. dicentes: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari*. Et v. 3. *Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc*. Joan. quoque 18. v. 30. interroganti Pilato, quam accusationem afferrent adversùs Jesum, uno ore responderunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*. Ab his ergo didicerant ex Cajanis illi, qui ut Judam tuerentur, Jesum fuisse hominem pravum asserebant. Quos tamen mendacii Judas ipse redarguit, dum ait, Matth. 27. *Peccavi tradens sanguinem justum*. Cui tùm Latronis in cruce pendentis testimonium accessit, qui Lucæ 23. v. 41. ait: *Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit*. Tum Centurionis v. 47. dicentis: *Verè hic homo justus erat*. Cui adhærentes quæ aderant Turbæ *percutientes pectora sua revertebantur*. Cajani igitur oppositum sentientes Latronis, Centurionis, Turbarum, & Judæ ipsius confessione convicti, recedant.

IX. Duos alios errores videtur Cajanis impingere S. Hieronymus. Unum in Lib. adversùs Vigilantium, quòd scilicet de Martyrio malè sentirent, & contra eos Tertullianus Librum de Scorpiaco scripserit, ait enim: *Scribit adversùs hæresim tuam, quæ olim erupit adversùs Ecclesiam... Tertullianus vir eruditissimus insigne* vo-

volumen, quod Scorpiacum vocat, rectissimo nomine; quia arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffundit, quæ olim appellabatur Cajana hæresis. Unde infertur, eos idolothyta comedere, aut alios idololatriæ ritus frequentare, scrupulum sibi non fecisse. Et hoc eorum doctrinæ consocium videbatur; qui enim Judam laudabant, quòd Christum prodiderit quia hominem pravum; non mirum, si ejus mandata servare, & vitam pro ipso dare neglexerint.

Alterum idem S. Hieronymus Cajanis errorem tribuit; dari nempè aliqua peccata irremissibilia, quæ Christus sanguine suo purgare non possit. Ita Epist. 83. modò 82. quæ est ad Oceanum: *En*, inquit, *consurgit mihi Cajana hæresis, atque olim emortua vipera contritum caput levat, quæ non ex parte, ut ante consueverat, sed totum Christi subruit Sacramentum. Dicit enim esse aliqua, quæ Christus non possit purgare sanguine suo, & tam profundas scelerum pristinorum inhærere corporibus atque animis cicatrices, ut medicinâ illius attenuari non queant.* Hoc ex Cain & Juda, quos ipsi venerabantur eos didicisse crediderim: uterque enim de venia desperavit. Cain Gen. 4. v. 13. *Major est*, ait, *iniquitas mea, quàm ut veniam merear;* & desperatè vitam transegit. Judas cognitâ sceleris sui atrocitate cucurrit ad laqueum de venia desperans, tanquam impossibili. Cajanos quoque blasphemasse Legem & Deum Legis auctorem, carnisque resurrectionem negasse, scribit S. Auguft. L. de Hæres. cap. 18. Hi tamen errores non fuerunt eorum proprii, sed ab antecedentibus Hæreticis accepti.

§. III.

Cajanorum scripta & alia.

I. UT suis erroribus patrocinium afferrent Cajani, Libros aliquos confinxerunt. Primus & præcipuus erat, quem vocabant Evangelium Judæ. Totum hujus scriptionis studium erat ostendere, duas esse Virtutes, unam fortiorem quam Sophiam appellabant, alteram imbecilliorem quam Hysteram hoc est Uterum nuncupabant, & hanc esse Mundi opificem asserebant. Sub prioris & potentioris tutelâ fuisse Cain, Esau, Core, & Sodomitas; ideoque Mundi opificem, quamvis eis contrariam, nihil in eos prævaluisse, sed à Sophia tandem abreptos fuisse in Æones translatos. Horum omnium cùm plenam scientiam haberet Judas, proditionem Jesu machinatus est, ut sic opera Mundi dissolveret. Ita Irenæus L. 1. cap. 35. modò 31. de Cajanis dicens: *Alii rursùs Cain*

Cain à superiori principalitate dicunt, & Esau, & Core, & Sodomitas, & omnes tales cognatos suos confitentur: & propter hoc à factore impugnatos, neminem ex eis malè acceptos. Sophia enim illud, quod proprium ex ea erat, abripiebat ex eis ad semetipsam. Et hæc Judam proditorem diligenter cognovisse dicunt, & solum præ cæteris cognoscentem veritatem, perfecisse proditionis mysterium: per quem & terrena & cœlestia omnia dissoluta dicunt. Et confictionem afferunt hujusmodi, Judæ Evangelium illud vocantes.

Deinde aliud scriptum subjiciens, ait: *Jam autem & collige eorum conscriptiones, in quibus dissolvere opera Hysteræ adhortantur. Hysteram autem fabricatorem Cœli & terræ vocant: nec enim aliter salvari eos, nisi per omnia eant, quemadmodum & Carpocrates dixit*: idest nisi omnia flagitiorum, & obscenitatum genera patrent: quæ omnia eos adimplevisse superiùs ostendi.

II. Prælatorum Evangelii Judæ, & Voluminum adversùs Hysteram meminit Epiphanius Hæres. 38. n. 1. Qui num. 2. alios duos Libros memorat quidem nefandissimos, quorum unum, qui ad suas manus pervenit, ita describit: *Pervenit & ad nos certus eorumdem Liber, in quo sceleratissima nescio quæ vocabula commenti sunt; in eoque ista continentur. Hic est, inquit, Angelus, à quo Moyses excæcatus est; iique Angeli sunt, à quibus Core, Dathan & Abiron, eorumque sectatores occultati subtractique sunt.* De alio autem Libro subdit: *Quin alium insuper Pauli Apostoli nomine Libellum excogitarunt, præpostera libidine refertum, quem & ii, quos Gnosticos vocant, adhibere solent, quod Pauli Anabaticum vocant, cujus suppositititii Operis ansam ex eo ceperunt, quòd Apostolus ipse testetur, se in tertium usque conscendisse Cœlum, & arcana ibidem audisse verba, quæ non licet homini loqui* (2. Cor. 12. v. 4.) *Hæc autem, inquiunt, arcana illa verba sunt.* At præter quam quod tam turpia ac nefanda Paulum audisse in Cœlo, nemo nisi cum horrore excipiet: quomodo ea enarrasse dicebant Paulum, qui dixit, ea non licere homini loqui? Ita eos irridet Glycas p. 2. Annal., ubi agens de hoc Cainitarum Libro quem Anabaticum vocant, ait,,, Circumfertur ,, apud eos liber, quem Anabaticum ab ascensu vocant. Continentur in hoc ea, quæ Paulus id temporis conspexerit, quo in ,, Cœlum tertium ascendit: Retinent hunc illi Librum, non animadvertentes, Paulum profiteri, se tum verba quædam audisse, quæ linguis hominis efferri sit nefas. Atque illa certè verba ,, nec prolata fuisse unquam, nec à mortalium quoquam cognita,,.

Hunc librum fortè fuisse illum, qui sub nomine Apocalypsis Pauli olim circumferebatur, colligunt aliqui ex S. August. Tract. 98. in Joannem, ubi rejiciens quandam Apocalypsim sub nomine Pauli,

Pauli, in qua quidam jactabant contineri ea quæ Paulus in raptu vidit, ait: *Cùm verò dixerit, quæ non licet homini loqui; isti qui sunt, qui hæc audeant impudenter & infeliciter loqui?*

III. In honore Judæ proditori exhibendo, Cajanis prævivit Cerinthus; ab hoc enim Judam honoratum tradit Philaster Hæref. 36., qui etiam Hæresi 34. peculiarem hæresim statuit eorum, qui Judam honoraverunt. Puto tamen hìc Philastrum Cajanos iterum indicasse: cùm enim bicipiti errore laborarent, uno quo Cain & alios nequam Veteris Testamenti venerabantur, altero quo proditorem Judam tanquam justum honore prosequebantur; pro primo eos inter hæreticos Veteris Testamenti recenset, pro secundo verò hæreticos Novi Testamenti suo tempore annumerat. Post Cajanistas, referente Theophylo Raynaudo in Juda proditore pag. 689., magno Judam affectu prosequutus dicitur Michael Balbus Imperator, quippe qui Judæ decreta apotheosi cum beatis annumerasse dicitur. Ad Cajanos accessisse quoque, idem Raynaudus refert, Calvinistas Occitanos ad S. Ægidium, quos dirutis Christi & Apostolorum imaginibus, solam Judæ effigiem illæsam reliquisse ex Floremundo Remundo tradit. Licèt autem Ittigius sect. 2. c. 3. n. 5. velit, hos alia de causa Judæ imaginem solam reliquisse, fortè quia periculum non erat, ut eam Catholici venerarentur: fatetur tamen, Cajanis in articulo de Judæ salute haud dissimilem fuisse quemdam Anabaptistam, cujus mentio fit apud Hornbeckium in Summa Controv. p. 390., & Græculos quosdam, de quibus Leo Allatius in Tract. de Libris Ecclesiæ Græcor. pag. 324.

IV. Cajani hæresi quoque addictam fuisse quamdam Quintillam, quæ Baptismum destruxit, testari videtur Tertullianus, qui peculiari Tractatu de Baptismo Quintillam illam refutavit. Hanc tamen non illam, à qua secta Quintillianorum, de quibus Epiphanius Hæref. 49. nomen sumsit, censet Ittigius citato loco num. 9. Secta enim Quintillianorum ad Montanistas refertur, cùm tamen Montanistæ Baptismum non destruxerint: nec de Quintillianorum origine quicquam certi ex ipso Epiphanio colligatur.

V. Priusquam huic hæresi finem imponam, non reticendum existimo, Philastrum duas hæreses de Cain referre, unam c. 128. quam inscribit *de peccato Cain*, asserentem, Cain interficiendo Abelem non peccasse, quia hoc potestate sibi à Deo traditâ fecit, cùm Gen. 4. v. 7. ei dixit: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*: quasi ei dixerit, tu eris dominus fratris tui. Sed licèt hoc daretur, quia Cain erat major natu, & in Lege Primogeniti aliquâ prærogativâ honoris supra fratres eminerent, non tamen ex hoc inferri potest, Deum dedisse Caino talem potestatem, quâ posset fra-

fratrem impunè occidere, aliàs quomodo ob fratris necem Deus ipsum maledictum pronuntiasset? quomodo Cain ipse se à quocumque occidendum expavisset? *Non ergo* (inquit Philaster) *ita dicit Scriptura, dominari illum fratri suo, ut eum interficeret, sed dominaberis cogitationi tuæ malæ utique, quæ est in arbitrio tuo, ut cujusque hominis arbitrio atque voluntate, aut projiciat de corde suo malam cogitationem immissam à Diabolo, aut non projiciendo crimen incurrat perpetuum.*

VI. Alteram de Cain hæresim exponit Philaster cap. 129. Cur post fratricidium mortem potiùs, quàm dimissionem optanti, Deus vitam concesserit. Cui respondit, Dominum ex indulgentia, ut ad pœnitentiam eum invitaret, hoc fecisse juxta illud Ezechielis 33. v. 11. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat*: unde & signum ne occideretur, accepit. Sed quoniam nullum signum pœnitudinis in eo unquam repertum fuit, ideo nec dum ipse, sed omnes posteri ejus paternæ impietatis hæredes Deo exosi tandem diluvio perierunt.

CAPUT XVI.

De Sethianis.

§. I.

Sethiani qui & unde orti.

I. SETHIANI, seu Sethitæ à Seth tertio genito Adæ appellati sunt. Cum enim Cain interfecto Abele in Orientalem plagam profugus secessisset, ibi ductâ uxore posteros sibi seorsim propagaturus; Adam ut Abelis jacturam repararet, ex uxore sua Eva tertium genuit filium quem vocavit Seth. Sic legitur Genes. 4. v. 25. *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* (Seth enim interpretatur *Positus* seu *Compensatio*) Ejus generatio in Scriptura laudatur. Unde à Seth Christi genealogiam ducere S. Lucas cap. 3. v. 38. minimè dubitat, dum ait: *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*. Ab isto ergo Seth Sethiani appellati sunt, sicut à Caino Cajani, quia à Seth genus se traxisse gloriabantur. Ita Epiphanius Hæres. 39. num. 1. *Igitur*, inquit, *Sethiani à Setho Adami filio genus se traxisse gloriantur. Quem quidem magnoperè prædicant, eique quæ ad justitiam pertinent omnia, eorumque signa ac cætera generis hujus attribuunt.*

II. Sethiani autem inter hæreticos computati sunt, quia de Setho, & productione hominis, & aliis multa falsa, fabulosa, & Scripturæ Divinæ contraria confixerunt; in aliquibus cum Cajanis, ut ait Epiphanius citatus num.2.; in aliis cum Ophitis, cum quibus eos jungunt Irenæus L.1.c.34.modò 30. & Theodoritus L.1.Hæret. Fab.: ideoque etiam ipsi è Valentini scholâ aliqua excerpserunt. Quo fit, ut licèt Philaster eos referat inter hæreticos ante Christum sicut & Ophitas & Cajanos; hoc est, ut dixi, quia ex iis quæ ante Christum imò ab initio Mundi fuere, sui erroris occasionem sumserunt, non quia eo tempore prodierint. Licèt etiam Tertullianus Sethianos collocet ante Carpocratem & Valentinum, quemadmodum & Ophitas & Cajanos, & alii ante alios; tutior tamen videtur ordo quem servant SS. Augustinus & Epiphanius, eos ponentes post Valentinum, & ferè simul cum Cajanis, Ophitis, aliisque supra recensitis de scholâ Valentini exortis; & proinde ætate Antonini Pii Imperatoris & ante annum Domini 161.

III. Quis hujus hæresis auctor extiterit, nullus dixit. Supposito eam fuisse fœtum è Valentini doctrinâ prodeuntem, ab aliquo ejus scholæ discipulo confictam credere abs re non est. Cùm enim Valentini doctrina utpote nimiis fabulis conferta plus Ethnicismi, quàm Christianismi sapere videretur, aliqui eam temperare & emollire, & ad Scripturæ veritatem magis attrahere conati fuere. Sic quidam legentes, serpentem Evæ scientiam boni & mali promisisse, serpentem bonorum auctorem confinxere, unde Ophitæ. Alii in Cain robur & fortitudinem, quâ supra Abel prævaluit considerantes, ad eum ceu aliquod Numen venerandum seducti sunt: & hinc Cajani. Alii tandem Seth pietatem flagitii à Cain patrati reparatricem venerati, in oppositam viam abeuntes, omnem Scripturam in Seth laudem detorserunt, ut dicam; & hi Sethiani. Ita humani generis hostis, de uno in alium errorem homines trahens, eos à veritate Christiana avertere conabatur.

§. II.

Sethianorum systema.

I. IN Sethiani systematis substantia omnes ferè conveniunt, in modo tamen illud exponendi aliqua diversitas est. Philaster Hæref. 3. ita exponit: ***Sethianorum hæresis, quæ Seth filium Adæ postea genitum, hocque appellatum nomine veneratur, quòd post interfectionem Abel beatissimi natus est, ex quo Sethiani appellantur, colentes eum & dicentes, quòd duobus creatis hominibus in initio, & An-***

Angelis in dissensione constitutis, tenuit virtus in Cælo feminea: apud eos enim masculi & feminæ dii, deæque esse putantur. Quod pervidens, inquiunt, mater, quia occisus est Abel justus, cogitavit ut pareret justum Seth, in quem & collocavit magnæ virtutis spiritum, ut possent destrui virtutes inimicæ. De Seth autem ipso Christum Dominum genus deducere ajunt. Quidam autem ex eis non solùm genus de eo deducere, sed etiam ipsum Christum esse asserunt atque opinantur. Hæc ex Philastro Sethianæ hæreseos. Quibus apparet, eam erraste, quòd Mundum & homines ab Angelis masculo & femina productos assereret, ex discordia inter Angelos ortam Abelis necem, cui reparandæ mater substituit Seth: ex quo vel Christus processit, vel ipse Seth Christus est. Concordat S. August. Lib. de Hæref. c. 19. dicens: *Dicunt enim eum* (Seth) *de superna matre natum, quam perhibent convenisse cum superno Patre, unde Divinum semen aliud nasceretur, tanquam filiorum Dei.*

II. Qui verò primi inter homines fuerint apud ipsos producti, Tertullianus seu Auctor L. de Præscr. cap. 47. fuisse putat Cain & Abel: *Duos homines*, inquit, *ab Angelis constitutos, Cain & Abel, propter hos magnas inter Angelos contentiones & discordias extitisse;* cui adhærere visus est Philaster. At Epiphanius Hæref. 39. n. 2. oppositum sentiens ait, Sethiani *cum superiore Cajanorum hæresi hac ex parte consentiunt, quòd asserunt, duos ab initio homines extitisse, à quibus Cainus & Abelus exorti sunt.* Quæ opinio probabilior est: quis enim credet, eos adeò fuisse cæcos, ut cùm in sacra Genesi legerent ex Adamo & Eva velut prioribus genitum fuisse Cain & Abel, illis omissis, hosce inter homines primos effingerent? Sed mendacibus omnia pervia sunt. Si enim neglectâ Scripturâ, quæ dicit, Deum fecisse hominem masculum & feminam, duos confingere homines ab Angelis masculo & femina genitos non erubuerunt; pari ratione Cain & Abel, quos ab Adam & Eva genitos Scriptura tradit, velut primos ante omnes proponere ausos fuisse, incredibile non est.

III. Quæ sequuntur ex Epiphanio compendio referam. Orta ergo de hominibus à se formatis inter Angelos contentione, ac prævalente vi in Caino, Abel ab eo interfectus fuit. Hoc casu permota superna Mater (*quippe matres ab his in Cælo & feminæ maresque collocantur, ac propemodum etiam generis necessitudines, stirpiumque capita*) visoque Abele injustè occiso, ut jacturam repararet secum animo cogitans Sethi generationem procuravit, eique vim suam indidit: suscepto enim à supero cœlestique Patre semine concepit ac peperit Seth, ut ex puritate quâ conceptus fuerat, & ejus posteri concipiendi erant, justitia firmaretur, & Angelorum, qui

& Mundum fabricaverant, & duos homines ab initio produxerant, vires everterentur. Et propterea Sethi genus separatim ab illa origine deductum est, utpote electum, & ab reliqua stirpe, Caini nempe, sejunctum.

IV. Verùm progredientibus temporibus cùm ii qui de Caini genere erant commixti fuissent cum iis qui erant de genere Sethi, vel Angeli cum hominibus fuissent congressi, ex qua promiscuâ confusione nova quædam genera essent constituta; dicebant, supremam illam Matrem aquarum eluvione contrariam omnem factionem delere cogitasse, ut incorrupta ac justa Sethi stirps ad cœleste genus scintillamque justitiæ conflandam in terris sola retineretur. Verùm clam ignorante ipsâ Angelorum industriâ, Chamum è genere suo nempe Caini prognatum in Arcam introducit. Cùm enim Angeli didicissent, genus omne suum diluvii aquis exterminandum, mirâ calliditate, quo mali generis, cujus auctores erant, reliquias foverent, Chamum in eam cum Noe & aliis clanculum intrudunt: quo factum est, ut postea sicut ante diluvium ab ipso error, & omnis generis flagitia in Orbem terrarum fuerint inducta. Atque ita Mundus ad pristinam perturbationem denuò revolutus, perinde atque ante diluvium malorum copiâ redundavit. Hactenus ex Epiphanio. Similia tradit Tertullianus, seu Auctor Appendicis ad L. de Præscr. cap. 47.

V. Ex hactenus allatis liquet, Sethianos suâ fictâ genealogiâ Sacram Scripturæ narrationem ad suum intentum detorquere ac profanare voluisse. Etenim cùm Scriptura dicat, ab exordio Deum duos condidisse homines masculum & feminam, Adamum scilicet & Evam; ipsi duos homines posuere ab Angelis conditos, fortè ob illa verba *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* pluralem numerum indicantia. Agit Scriptura de fratricidio Caini invidiâ moti, quòd Abelis fratris munera Deo accepta essent; addiderunt Sethiani, hoc à potentiori Virtute seu Angelo Caino assistente evenisse. Scriptura dicit, posuisse Deum semen aliud pro Abel, quem Cain occiderat, ex quo conceptus & natus est Seth ex Adamo & Eva; Sethiani Adamo & Evâ omnium parentibus omissis, fabulabantur, Seth à quadam Virtute seu Dea femina, accepto semine, non ab Adamo, sed ab alia Virtute seu Deo masculo, quem supernum Patrem vocabant, conceptum & natum fuisse. Cùm Scriptura dicat Gen. 6. *Videntes filii Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*, hi per filios Dei intelligentes Angelos, voluerunt ex horum commixtione cum filiabus Seth natum esse quoddam hominum genus nequam, quos Scriptura Gigantes appellat. Ad quod genus ne-

nequam delendum cùm Deus diluvium miserit; hoc Sethiani à Matre missum ajebant, ut semen Seth incorruptum servaretur. Tandem cùm Scriptura dicat, in Arca fuisse solùm Noe cum filiis, & uxoribus; ipsi volvere ab adversaria virtute Cham, quem de semine Cain mentiebantur, insciâ supremâ Matre, ut postea Mundum corrumperet, fuisse intrusum. Hisce fabulis Scripturam Sethiani deturpabant.

VI. De extollendo Seth solliciti plerique Sethianorum dicebant, Dominum nostrum Jesum Christum, non à Setho solùm ducere temporalem originem, sed fuisse ipsummet Sethum à suprema Matre ab initio genitum, postea ad justitiam stabiliendam de Cœlo in terras ab ea missum; & proinde Christum appellatum. Ita refert Epiphanius num. 3. dicens: *Cæterùm à Setho continuatâ generis successione Jesus Christus prodiit, non ipse quidem generis stirpe procreatus, sed in hunc Mundum admirabiliter introductus. Idem enim qui illis temporibus Sethus fuit, modò Christus appellatus, à cælesti matre de Cælo missus ad homines descendit.* S. Augustinus tamen L. de Hæres. de Sethianis agens: *Quidam*, inquit, *eos dicunt, Sem filium Noe Christum putare.*

VII. Variis Libris à se sub nomine clarissimorum virorum conscriptis, seu veriùs confictis, utebantur: *Etenim* (inquit Epiphanius num. 5.) *certos libros clarissimorum virorum nominibus inscriptos circumferunt, ex quibus septem omnino Setho tribuunt; alios verò* allogenos, *hoc est generis alterius, nuncupant. Est & alius Liber, falso Abrahami nomine, quem pro Apocalypsi venditant, omni nequitiâ refertus. Præter quem alterum à Moyse, reliquos ab aliis editos mentiuntur.* Ita sub horum virorum nominibus, suis nugis ac flagitiis auctoritatem conciliare & simplicibus imponere nitebantur.

Occasionem scribendi Libros sub nomine Seth, dicit Sixtus Senensis L. 2. Bibliothecæ Sanctæ verbo Seth, accepisse Sethianos ex eo quòd Josephus L. 1. Antiquit. referat, quòd filii Seth Sideralem scientiam ad Cœlestium cognitionem excogitaverint. Cùmque scirent, Adamum prædixisse duos universales rerum interitus, unum incendio, alterum diluvio; veriti, ne hæc notitia priùs periret, quàm posteris innotesceret, eam duabus columnis lateritiâ unâ, lapideâ alterâ inciderunt, ut, si unam diluvio deleri contingeret, nempe lateritiam, lapidea superstes esset; & hanc refert Josephus, temporibus suis adhuc in Asia extitisse.

Addit etiam idem Sixtus Senensis, fuisse quamdam gentem in principio Orientis juxta Oceanum, apud quam ferebatur quædam Scriptura nomine Seth inscripta de Stella in Christi ortu apparitura,

ra, quam videntes Magi iter Bethlehem arripuerunt. De hac locutus sum superiùs Tom.4. p.1. cap.11. §.1. n. 3. Baronius tamen ad ann. Christi 1. & Augusti 42. num.25. eam Scripturam ut apocrypham & à Sethianis confictam rejicit dicens „ E quibusdam autem „ apocryphis Seth nomine scriptis Libris multa de Magis feruntur, deque Stella, quæ illis apparuit, quòd formam pueri crucem gestantis exprimeret: sed quia hæc commenta ab hæreticis „ Sethianis excogitata videntur, ut inania prætermittimus.

§. III.

Sethianorum systema & fabulæ confutantur.

I. ERrabant & fabulabantur primò Sethiani, dum in Cœlo ponebant Deos masculos, Deasque feminas. Hæc fuit Ethnicorum superstitio ponentium in Diis suis sexuum diversitatem, quos supra rejeci Tom. 1. cap. 4. §.9. num. 30. Quæ ibi dixi adeat Lector. Puto tamen, Sethianos potiùs quàm ab Ethnicis, à Valentini doctrina hunc errorem hausisse: cùm enim Valentinus multitudinem Æonum excogitasset, quos in masculos & feminas distinxit, in quo ejus discipuli postea variè eum imitati sunt, ut vidimus; Sethiani hanc doctrinam reformare volentes, duos tantùm Æones retinuerunt; unum masculum, quem supernum Patrem vocabant; aliam feminam, quam supremam omnium Matrem dictitabant, & ab hac Seth genitum esse fingebant. Eorum tamen dementiam corrigit Scriptura, quæ uni Deo tribuit creationem Mundi, productionem hominis & omnium. *Verus* autem *Deus*, teste S. Augustino L. 4. de Civit. Dei c. 27. *nec sexum habet*, *nec ætatem*, *nec definita corporis membra*.

II. Errabant secundò, quia volebant, Seth à superna Matre, & vi quâdam superiore genitum, ut Angelos seu virtutes adversarias confunderet. Propterea Setho uxorem nomine Horæam tribuebant: *Nam* (inquit Epiphanius num. 5.) *cùm nonnullæ sint hæreses*, *quæ vim quamdam esse statuunt quæ Horæa nominetur; illi vim ejusmodi*, *Horæamque Sethi conjugem extitisse prædicant*. Sed si ad Scripturam magis quàm ad fabulas attendissent, hominem fuisse Sethum illum, nec ab aliis origine diversum, Caini & Abelis germanum, & ab eisdem Parentibus in lucem editum, & omnes ab eodem uno Deo omnium conditore Adamo & Evæ concessos. Quare sicut cùm de Caini generatione loquitur, dicit Eva Gen. 4. *Possedi hominem per Deum*: ita cùm de Seth loco Abelis ei donato loquitur ait v. 25. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel*, *quem occi-*

occidit Cain. Ab eodem ergo Deo & iisdem parentibus, à quibus processerant Cain & Abel, processit & Seth. Quare insaniunt Sethiani, dum ajunt, hunc ex semine cujusdam supernæ Matris genitum fuisse. Ita ex Epiphanio.

III. Cain & Seth, excepto Abele maturâ nondum ætate sublato, uxores duxisse certum est. Uxorem tamen Seth non fuisse Horæam, seu vim aliquam superiorem, ut Sethiani fingebant, S. Epiphanius num. 6. sic exponit: *Extant in Jubilæis, qui Liber Genesis parva dicitur, uxorum Caini Sethique nomina: ut qui confictas illas fabulas in hominum vitam invexerunt, pudore omnino suffundantur. Etenim cùm Adamus utriusque sexus liberos suscepisset, necesse per illa tempora fuit, ut filii matrimonia cum sororibus inirent. Neque id erat interdictum: propterea quod genus aliud erat hominum nullum. Quin etiam Adamus ipse cum sua, ut ita dicam, filia conjugio sociatus est, quam de ejus corpore Deus effinxerat. Nefas enim illud non erat. Et ex illius liberis Cainus sororem natu majorem duxit Savem nomine. Sethus porrò Adami filiorum tertius post Abelum genitus cum alia sorore Azura conjunctus est. Fuerunt & alii Adamo liberi, ut in parva illa Genesi scriptum est, novem scilicet secundùm priores illos tres, ut in totum filias duas, mares duodecim susceperit: è quibus occisus unus undecim superstites relicti sunt*. Quibus apparet, Sethi uxorem fuisse Azuram sororem suam ex iisdem quibus ipse parentibus natam, non Horæam ab exteriori vi ipsi conjunctam.

IV. Errabant tertiò, quia ab initio duos homines productos fuisse dicebant. Quos Epiphanius num. 4. his verbis retundit: *Neque enim duo conditi sunt homines, sed unus dumtaxat Adamus, à quo Cain & Abel Sethusque geniti. Tum reliquæ deinceps ad diluvium usque generationes, non à duobus hominibus, sed ex uno solùm capite, nimirùm Adamo, profectæ sunt. Sed & ab uno rursùs Noemo post diluvium, non à diversis insequentium origo deducitur: à Noemo, inquam, qui è Sethi prosapia fuit, genus omne hominum derivatum est, non bifariam divisum, sed unâ stirpe comprehensum. Ex qua tam Noemus, quàm ejus uxor prodiit, eorumque liberi Sem, Cham, Japhet, necnon & singulorum conjuges, qui quidem omnes unius è Sethi genere procreati sunt, non à duobus hominibus producti, qui nunquam in terris fuerunt, quemadmodum isti fabulantur*.

V. His ab Epiphanio quartus eorum error præcluditur, quo dicebant, Cham fuisse de stirpe Cain, & furtim ignorante supernâ Matre in Arcam intrusum, & ab isto non à sola Noemi stirpe fuisse post diluvium humanum genus propagatum, & ad pristinam corruptionem ejus posteritate revolutum. Hoc enim falsum esse, apertè demonstrat Scriptura, quæ Cham filium Noe fuisse dicit

Gen. 5.

Gen. 5. v. 31. *Noe verò cùm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Japhet*. Cap. 6. v. 9. de Noe: *Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Japheth*. Et cap. 10. v. 1. *Hæ sunt generationes filiorum Noe Sem, Cham, & Japheth* &c. Quas generationes ordine recto legere est. Gen. 5. ordine autem inverso Lucæ 3. ubi v. 37. Noe dicitur filius Lamech, *Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malalael, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*. Cùm ergo Cham filius fuerit Noe, & Noe de generatione Seth; quâ insaniâ Cham de stirpe Cain fingitur? Cùm rursùs soli tres filii Noe Sem, Cham, & Japheth & uxores eorum ingressi sint in Arcam; unde iste alius Cham de stirpe Cain in Arcam clam & insciâ omnium matre intrusus? An hæc quam supremam omnium Matrem, imo & Deam, nuncupabant, ignorantiæ ac deceptioni erat obnoxia, ut Chamus, quem ipsa in Arca nolebat, latenter, eâque insciâ per fraudem fuerit intrusus? Apage nugas.

VI. Errabant quintò, quia Sethum fuisse Christum à superna Matre pro hominum salute de Cœlo missum effutiebant: quo cum Ophitis conveniebant. Nam sicut illi Serpentem, qui Evam allocutus fuit, Christum fuisse ex dictis asserebant: ita isti Christum fuisse ipsum Seth de Cœlo in terras missum. Quare & isti Christum in tempore de Maria Virgine natum esse, ac totum Incarnationis, & cætera mysteria evertebant. Hanc dementiam dissimulare non valens Epiphanius, postquam ex Genesi 5. v. 8. dixit, Seth cùm egisset nongentos duodecim vitæ annos, sicut Adam ante ipsum, & cæteri post ipsum, & ipse mortuus est, ait: *Quænam ergo ratio patitur, Sethum istum, qui & illo tempore mortuus est, & filios reliquit, qui suum quoque vitæ tempus obierunt, Christum esse Dominum, qui repræsentandæ hominum vitæ ac salutis desiderio de Virgine sit Maria natus, cùm idem ante omne tempus esset à Patre genitus, apud quem perpetuò manet, Deus ipse, Verbumque subsistens? Qui postremis temporibus venit in Mundum, & ex Virginis Mariæ utero effictâ sibi carne, atque circumfusâ, tum assumtâ simul animâ numeris omnibus absolutus homo factus est. Postea verò quàm vitæ nobis Mysteria prædicasset, justitiæ in agendo cultores discipulos instituit; ac tum per se se tum per illos humanum genus disciplinæ suæ documentis erudiit. Neque tamen aut Sethianorum illa dogmata tradidit, aut sibi ipsi Sethi nomen imposuit: id quod strenui illi nugatores, ac velut ebrii mendacissimè prædicant*. Ita eos perstringit Epiphanius.

VII. Tandem dicebant, corruptionem humani generis, ob quam illud diluvio Deus cogitavit delere, ex concubitu & commixtione Angelorum cum filiabus hominum prodiisse: sic enim intel-

intelligebant verba Genesis c. 6. v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*: per filios Dei Angelos accipientes. Unde in Editione veteri Septuaginta Interpretum, quâ antiquitùs Patres utebantur, legebatur: *Videntes Angeli Dei filias hominum*. Hinc factum est, ut plures ex antiquioribus & Orthodoxis Patribus in hanc opinionem descenderint, ut Justinus Martyr in Apolog. 1. ad Antoninum Pium, Athenagoras in sua pro Christianis Legatione, Clemens Alexandr. L. 3. Strom., Tertullianus L. de Velandis Virginibus cap. 7., Cyprianus L. de Habitu Virginum, Lactantius L. 2. Divin. Inst., & alii priorum seculorum Patres. De hoc egi in Theol. Tom. 5. in 1. p. Tract. de Natura Angel. Qu. 2. Dub. 1. §. 4. n. 22. &c. quæ ibi dixi huc revocari possunt. Cæterum existimo huic falsæ opinioni occasionem dedisse aliam, quæ tunc circumferebatur, nimirùm, Angelos non esse puros Spiritus, sed habere corpora, subtilia tamen & aerea, ideoque putabantur æstus libidinis capaces esse. Sed cùm postea compertum sit, Angelos puros esse spiritus; quæ olim opinio habita fuit, in errorem abiit; & maximè cùm Sadducæis quærentibus, mulier quæ septem successivè habuit viros, cujus in resurrectione futura esset uxor: respondit Christus Matth. 22. v. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo*. Angeli ergo uxores accipiendi, ac se cum feminis carnaliter commiscendi, capaces non sunt. Pro aliis ea quæ loco citato dixi, Lector adeat.

VIII. Quoad præsens satis sit, in prælaudatis Genesis verbis per filios Dei intelligi viros de genere Seth, per filias hominum feminas de genere Cain; nimirùm, cùm viri de stirpe Seth amore capti feminas de stirpe Cain accepissent uxores, ex tali consortio orta fuit in humano genere universalis corruptio. Ita inter cæteros exponit Theodoritus qu. 47. super Genes.; qui fortè ad Sethianos alludens: *Quidam*, inquit, *nimis stupidi & stolidi existimarunt eos Angelos esse, putantes suæ forsan intemperantiæ patrocinium habituros, si Angelos ejusdem criminis reos tenerent*. Inde considerans, Deum propter hoc decrevisse punire homines, cùm tamen contra Angelos à quibus homines seducti, & injuriam passi fuissent, nihil decreverit, ait: *Hæc omnia indicant, homines esse eos, qui vitam iniquam amplexi sunt. Quòd si Angeli filiabus hominum permixti essent, homines ab Angelis essent injuriâ affecti, qui vi illorum filias corrupissent. Injuriam quoque passi essent à Deo creatore, eò quod Angelos illi servientes non puniret. Verùm hæc, ut arbitror, ne pater quidem mendacii dicere auderet*.

Deinde ostenso ex Scripturis, quomodo etiam homines vocentur

tur filii Dei, imo & Dii, concludit, filios Seth tanquam pios & justos cognominatos fuisse Dei filios: qui ante non commiscebantur filiis Cain dictis filiis hominum, ob inflictam ab omnium Deo maledictionem, sed separatim intra suam tantùm progeniem nubentes semen sanctum multiplicabant. Sed multo post tempore, videntes filii Seth filias Cain valdè speciosas & pulchras, illecti insuper instrumentis musicis quibus utebantur, se immiscuerunt cum illis eas in uxores ducentes: & tunc multiplicata sunt mala in terra, adeò ut omnis caro corruperit viam suam: qua de causa Deus cataclysmum misit ad delendam omnem carnem. Hæc est legitima & Catholica præfati Textus explicatio. De qua videri potest idem Theodoritus Lib. 5. Divin. Decret. Epitome cap. de Angelis, ubi eisdem rationibus quibus supra monet, ne cum audierimus Scripturam dicentem *Ingressi sunt filii Dei ad filias hominum*, Angelos incorporeos accusemus: quia Deus ob hoc punivit homines, non Angelos.

CAPUT XVII.

De Archonticis.

§. I.

Archontici qui, unde, & quo tempore orti.

I. ARCHONTICI, dicit S. Augustinus L. de Hæres. cap. 20., *à Principibus* sunt *appellati*, quia eorum præcipuus error fuit, ut dicam, quòd Mundus à Principibus seu Angelis conditus fuerit. Cùm enim, ut ex Clemente Alexandr. L. 7. Strom. aliàs dixi, ex hæresibus quædam appellationem sumant ex nomine Auctorum, quædam ex loco, aut gente, quædam ex operationibus, & aliæ à proprio dogmate; ex hoc Archonticos S. Augustinus denominat, quia apud Græcos Princeps *Archos* dicitur, & ideo Nicetas ait, nomen his à dogmatibus impositum est. De his apud antiquiores, ut Irenæum, Tertullianum, aliosque coævos Patres altum silentium est; quod indicat eorum ætate nondum fuisse exortos, ut infra dicam. Primus qui de eis fusè disseruit est S. Epiphanius Hæref. 40.; inde S. Augustinus loco citato pauca de eis dicens, & Theodoritus L. 1. Hæret. Fab. de Ascodrytis vel Ascrodupetis agens Archonticorum meminit. Post eos tamen eos recensuerunt Isidorus L. 8. Ethymol. cap. 5. eos Archontiacos vocans, Damascenus L. de Hæref., Rhabanus Maurus L. de

Inſtit. Cleric. cap. 58., Nicetas L. 4. Theſauri cap. 13., Honorius Auguſtodunenſis L. de Hær. ſub nomine Archontianorum, & ex poſterioriribus plures.

II. Quæ ſpectant circumſtantias Auctoris, modi, ortus, & progreſſus, non melius me expoſiturum puto, quàm ſi Epiphanii verba loco citato tranſcribam. Hæc ergo dicit n. 1. *Proxima huic* (Sethianorum) *eſt Archonticorum hæreſis, quæ tamen haud plerisque extra Palæſtinam in locis cernitur. Quanquam virus ſuum in majorem etiam Armeniam diffuderunt; imò & in Armenia minore lolium iſtud certo ab homine diſſeminatum eſt, qui paulò ante Conſtantii Imperatoris obitum ex Armenia in Palæſtinam profectus eſt Eutactus nomine, ſive Atactus potiùs, hoc eſt moribus perturbatus. Qui cùm infelix illud dogma combibiſſet, in patriam reverſus profiteri cœpit quod didicerat.*

Ejuſmodi porrò velut ab aſpide venenum à ſene quodam hauſerat nomine Petro, ſed minimè hâc appellatione digno; qui in Eleutheropolis, & Jeroſolymorum finibus habitabat tertio ab Hebrone lapide, oppido quod Cabarbarica nominant. Huic porrò ſeni veſtitus erat initio aſperitate ipſa horribilis, & ad ſimulationem affectatus; ac cùm extrinſecùs ovis pelle eſſet indutus, lupus erat intùs rapaciſſimus & occultus: Anachoreta quippe eſſe videbatur in ſpelunca degens; qui quidem plerosque abdicatis fortunis omnibus ad ſe pertraxit, Paterque vulgò, cùm ob ætatem, tùm ob habitum ipſum appellari ſolebat; idem quidquid habebat, in egenos diſtribuere, ac quotidie ſtipem erogare.

Sed ab ineunte ætate variis hæreſibus ſe addixerat. Poſtea ad Aetium Epiſcopum delatus, ac Gnoſticorum hæreſis convictus, à Sacerdotio exauctoratus eſt: Illius quippe loci creatus olim fuerat Presbyter. Deprehenſus itaque & ab Aetio pulſus in Cocbaben Arabiæ oppidum profectus eſt: ubi Ebionæorum, ac Nazaræorum ſemina pullulare cœperant, ut in multis refutandis hæreſibus antea monuimus. Poſtremò velut ætatis maturitate ſapientior factus, poſtliminio rediit, abditum illud virus in pectore ferens, & ignotus omnibus, donec tandem nonnullis è ſermonibus, quos in aliquorum aures inſuſurrabat pro hæretico compertus, à nobis excommunicatus, & mediocritatis noſtræ operâ convictus eſt. Unde in ſpeluncam deinceps abſceſſit, omnium execratione damnatus, & tàm à fratribus derelictus, quàm à plerisque, à quibus neceſſaria vitæ præſidia ſuppetebant.

Ad hunc itaque ſenem ille, quem dixi Eutactus, ſi hoc nomine vocandus eſt, cùm ex Ægypto veniſſet, ab eoque impiis dogmatibus eſſet imbutus, talem peſtem velut exquiſitas merces ſecum in Patriam revexit. Erat hæc, ut diximus, Armenia minor in vicina Satalæ regio-

regione. Quò cùm esset reversus, contagione suâ quamplurimos illic infecit. Nam se in locupletum quorumdam, ac Senatorii ordinis feminæ, aliorumque primariorum amicitiam insinuans, per eos utpote Principes viros infinitis hominibus exitium attulit. Sed eum Dominus celeriter è medio sustulit, cùm jam zizania sua sparsisset.

III. His Epiphanius hujus hæresis historiam accuratè describit, cui utpote nedum coævo, sed de multis teste oculato, specialis fides habenda est. Auctor ergo fuit Petrus quidam vir senex specie anachoreta, externo habitu & gestis pietatem spirans, sed corde pestiferam hæresim gestans, uno verbo exteriùs ovis, intùs lupus. In Palæstinæ oppido Cabarbarica dicto tertio ab Hebrone lapide degens in quadam spelunca diù latens hæresis suæ venenum secretò insinuabat: donec tandem detectus & ad Aetium Episcopum delatus, Gnosticorum labe convictus, à Sacerdotio quo ibi fungebatur exauctoratus est. Post hæc in Arabiam se conferens in Cochabe oppido pedem fixit, ibique Ebionæorum, & Nazaræorum hæresim etiam ebibit. Inde postliminio reversus in spelunca iterum latens, sed quibusdam sermonibus quos in aliquorum aures insusurrabat, ut hæreticus detectus, & proinde ab Epiphanio ipso excommunicatus iterum, omnibus exosus ac derelictus latebras quæsivit.

Ad hunc in spelunca degentem Eutactus ex Ægypto accessit, qui ejus impiis dogmatibus imbutus, ea in patriam Armeniam minorem secum delata utriusque sexus Magnatibus instillavit, eorumque ope infinitis hominibus exitium attulit, Divinâ tamen ultione celeriter è vita sublatus interiit circa Constantii Imperatoris obitum. Ita Archonticorum hæresis à Petro excogitata, Eutactum habuit propagatorem.

IV. Quæ hactenus dicta sunt difficultatem, & quidem non modicam excitant de tempore, quo hæc hæresis exorta fuit. Si enim audimus Prateolum L. 1. verbo *Archontici*, dicet nobis, sub Antonino Pio circa ann. 160. eam emersisse; si Ricciolium consulimus 3. p. Chronol. Catal. 2. audiemus eam exortam sub Imperio Marci Aurelii Antonini, qui Antonino Pio successit an. Christi 176: sed si ad Epiphanium attendimus, eam duobus seculis posteriorem fateri cogimur. Cùm enim dicat, Petrum illius sectæ auctorem à se convictum & excommunicatum fuisse, eum suo vixisse tempore necesse est affirmare: cùmque Epiphanius Salaminæ, postea Constantiæ dictæ, in Cypro Episcopatum susceperit circa annum Domini 368., obieritque circa annum 402., fiet ut intra hoc tempus Petrus Archonticorum sectæ Auctor vixerit; maximè, quia idem Epiphanius ex supra relatis scribit, hæresim hanc ab Eutacto Petri disci-

discipulo in Armenia minore disseminatam fuisse paulo ante obitum Constantii, Magni Constantini filii.

Quid ergo dicemus? num mendacem accusabimus Epiphanium, quasi rem suo tempore, & à se partim gestam narret, quæ ante duo secula gesta fuere? Num erroris accusabimus alios, qui hanc Sectam ac si duo ante secula emerserit enarrant; imo & ipsum Epiphanium contra se statuemus, dum hæresim hanc hæresibus secundi seculi jungit? Absint hæc omnia. Non aliâ viâ scopulum hunc declinare possumus, quàm si dicamus, neminem ex præfatis Scriptoribus respexisse ad tempus, quo hæresis ista emersit, sed potiùs ad continuationem hæresum in eisdem erroribus sibi succedentium. Unde cùm Epiphanio testante Archontici fuerint surculus ex Ebionæis, Nazaræis, Gnosticis, & Valentinianis enatus, & ab omnibus aliquem errorem participans, ideo cum illis istos conjungere satiùs existimarunt, quàm separatim suo tempore recensere.

V. At nedum in dogmatibus sed & in moribus à præfatis Hæreticis se exortos fuisse, Archontici ostenderunt. Hoc indicat S. Augustinus dicens de eis: *Operantur etiam quandam turpitudinem;* eam tamen ait Epiphanius n. 2. hypocrisi tegere studebant: *Eorum aliqui fœdissimis libidinibus corpora sua contaminant. Alii jejunia simulantes Monachorum specie simplicibus illudunt, ac se bonorum omnium abdicatione venditant.* Hinc Gnosticos Ebionitas aliosque quorum hæredes imitati, à stupris incestis adulteriis aliisque libidinibus non se abstinebant, quamvis ea falsa anachoreticæ vitæ professione occultare satagerent.

VI. Suos quoque Libros & isti confinxerant, quorum auctoritate suas impietates ac errores se fulcire jactabant. De his Epiphanius num. 2. ait: *Cæterum isti apocryphos quosdam libros finxerunt. E quibus duo sunt Symphoniæ nomine, Major videlicet, ac Minor. Præter quos nonnullos alios iis quibuscum agunt percensere solent, ut errorem suum multis auctoritatibus affirmare ac probare videantur. Habent & quos... Alienigenas vocant sic inscriptos libellos. Ita ex Anabatico Esaiæ, & id genus apocryphis argumenta depromunt.* De libro inscripto Symphonia, ex quo suum erroneum systema de Mundi opificio desumebant, loquitur etiam Theodoritus citato loco. Sed de hoc infra.

VII. Quamdiù sub hoc nomine hæresis hæc duraverit, certò statui non potest. In se ipsa & sub hoc nomine parum durasse, semina tamen suorum errorum in alias posteriores propagasse, censerem. Tot enim erroribus compacta erat, ut præteritas & quæ fuerunt postea hæreses complecti videretur. Quare cum Epiphanio num. 8.

num. 8. *Id unum attexam, illam mihi hæresim, ob multiplicem Archonticorum appellationem, variæ ac perplexæ serpentum improbitati quàm simillimam videri. Nescio enim quo pacto sic tanquam multis ex anguibus confusis in unum ac promiscuis pestifera illius erroris venena conflata sunt.* Archonticis Ascodrytas, vel Ascodrupetas jungit Theodoritus citato loco: sed hi an illis coævi, an ex illis orti fuerint, non dicit. S. Hieronymus in proœmio Lib. 2. in Epist. ad Galat. Ascodrobos appellat, & suâ ætate adhuc viguisse scribit, dum aliis cum eis enumeratis, ait: *Antiquæ stultitiæ usque hodie manent vestigia.* Post S. Hieronymum tamen eos adhuc viguisse, nemo scribit.

§. II.

Archonticorum errores de Mundi initiis, & Angelis.

I. PRæcipuus Archonticorum error à quo appellationem sumserunt, ut dixi, fuit, quòd non Deo, sed septem vel octo Principibus, Orbium Cœlestium & rerum omnium productionem & regimen tribuebant. Quibus & hucusque dictis apparet, omnes illorum temporum hæreses in hoc ut uni Deo jus creationis eriperent, ad hunc finem varias ineptasque fabulas confinxisse. Nunc de Archonticis, dicit Epiphanius n. 2. ex libro quo utuntur Symphonia nuncupato, *Cælestes Orbes octo vel septem esse definiunt: Horum in singulis residere Principes: ita ut per septenos Orbes distributi sint, atque unus in quolibet Princeps existat. Certos porrò unicuique Principi ordines esse descriptos. Supra quos omnes octavo in Cælo Lucidam Matrem cæterarum hæreseon more constituunt.* Et paulo infra: *Jam verò in unoquoque, ut dictum est, Cælo Principem & Potestatem cum Angelis aliquot apparitoribus collocant. Quemlibet enim Principem, suos sibi genuisse ac procreasse satellites;* fortè ex commixtione supremæ, quam fingebant, Matris cum eorum singulis.

Idem ait Theodoritus citato loco, ubi de Ascodrytis loquens: *Ex his autem*, inquit, *nonnulli, qui dicuntur Archontici, confictis quibusdam Libellis eos vocant Revelationes Prophetarum. Unum autem appellarunt en Symphonia, in quo septem Cælos conscripserunt. Unumquemque autem ipsorum habere unum Principem, Matrem autem quandam Photinam esse supremam.* Ubi supremam matrem, quam Epiphanius *Lucidam* vocat, *Photinam* appellat. Hæc Archontici acceperunt à Gnosticis & Valentinianis, qui similia loquebantur, quamvis pluribus aliis fabulis intermixta: de quibus Irenæus L. 1. c. 5. & ex eo Epiphanius Hæres. 31. quæ est de Valentino

tino

tino num. 18. hæc refert, nempe: *Septenos Cœlestes Orbes* (Patrem, ac Deum omnium) *fabricasse: supra quos Conditorem collocant, atque ob hanc causam Hebdomadem eum nominant: uti Matrem Achamoth, Ogdoadem, quo primigeniæ ac primæ de Pleromate Ogdoadis numerum observent. Orbes verò illos septem spirituales esse Angelos; ut & Conditorem ipsum Angelum Dei similem faciunt.* Sicut ergo Valentiniani septem Cœlos admittebant, & in octavo Matrem quam vocabant Achamoth collocabant, ita Archontici in eodem octavo Cœlo Matrem Lucidam, seu Photinam posuere.

II. In hoc tamen præcisè quòd septem Orbes seu Cœlos asserebant, pro hæreticis habendi non sunt. Nam septem esse Cœlos juxta numerum septem planetarum, Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii & Lunæ, fuit communis Philosophorùm sententia, à qua plerique recentiores non recedunt, quibus Theologi addunt octavum, quem Cœlum empyreum ac Beatorum sedem appellant. Et quidem plures esse Cœlos affirmat David Psal. 148., cùm dicit: *Laudate Dominum de Cœlis... Laudate eum Cœli Cœlorum.* Numerum autem Cœlorum, nempe quot sint Cœli, quæstionem esse fidem non tangentem scribit S. August. L. 12. de Genes. ad litt. cap. 29., & 34. de numero Cœlorum, an septem sint, vel octo, vel novem, aut decem juxta varias Philosophorum sententias, nil definire vult. Hinc Cæsarius Dialog. 2. ait Cœlorum *numerum quidem nullus Sanctorum unquam pronuntiavit, excepto uno Apostolo, qui ad tertium se pervenisse clamat. Non tamen in eo numerum ipsum collocat: nam quod inquit se raptum in tertium Cœlum usque, per articulum* usque *subinnuit etiam alios supra tres constitutos esse. Et Davides divinorum Auctor carminum*, Laudate Dominum de Cœlis, *inquit. Et socii Ananiæ*, Benedicite, *inquiunt*, Cœli Domini Dominum. *Utrique numerum per spiritum subticentes.* Nec ideo tamen probari quis censeat sententiam Basilidis, qui tercentum sexaginta quinque Cœlos juxta numerum dierum anni confinxit. Hoc enim commentum fuit ex insana ejus mente unicè conceptum.

III. Nec etiam in hoc errasse dicendi sunt, quia cuique Cœlo unum Principem seu Angelum præsidere dicebant. Nam præterquam quod sententia multorum Philosophorum Christianorum est, dari Intelligentias Cœlorum motrices ex Aristotele Lib. 8. Phys. text. 52. & Lib. 12. Metaphys. text. 34. qui text. 43. tot esse statuit Intelligentias quot Orbes, quia unicuique Orbi una Intelligentia motrix assignata est; ad hanc sententiam accedere videntur ex Patribus aliqui exponentes illud Job c. 9. *Sub quo curvantur qui portant Orbem*, ubi S. Gregorius L. 9. c. 10. per eos, qui portant

Orbem

Orbem, Angelicas Virtutes intelligit dicens: *Ipsi enim portant Orbem, qui regendi Mundi curas administrant*. Et sanè si ex Daniele habemus, cuique genti datum à Deo fuisse unum Angelum, qui ei velut Princeps præsideat, imò & cuique homini ut eum custodiat Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: quidni etiam cuique Cœlo Angelum, qui ejus motum regeret, destinavit? Huc spectare videntur verba alia Job. c.26. *Columnæ Cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*. Per columnas enim Cœli Angelos, quibus administratur motus Cœli, plures intelligunt.

IV. In eo igitur errabant Archontici tum quia, ut ait S. Augustinus Lib. de Hæref. c.10. Universitatem quam Deus condidit opera illorum Principum esse asserebant, facientes eos Cœlorum conditores, non Deum. Tum quia super eos ponebant superiorem Matrem, quam ex commixtione cum præfatis Principibus concepisse ac genuisse Angelos inferiores dicebant: sicque Principes illos inferiorum Angelorum genitores esse fabulabantur. Quibus uno vero Deo secluso, iis, quos loco ejus effinxerant, sexus diversitatem, & carnalem commixtionem tribuebant, & præcipuè (quod hic notandum specialiter est) quòd Angeli non omnes simul à Deo creati fuerint, sed successivè inferiores à superioribus, nempe à Principibus geniti. In quo turpiùs errarunt quàm Avicenna L.9. Metaph. c.4., qui ponens cuilibet Cœlo motricem intelligentiam, voluit, primam per actum suum intelligendi produxisse inferiorem; dum ipsi volebant, superiorem Intelligentiam, non per actum intelligendi, sed carnali commixtione genuisse inferiorem.

V. Error tamen iste à Scriptura configitur, quæ inter opera Domini Angelos enumerat. Sic Theodoritus L. 5. Divin. Decret. Epitome c. de Angelis, ubi postquam initio dixit: *Angelos autem nec ut Græcorum Poetæ & Philosophi in Deos referimus ... neque ut statuunt hæreticorum fabulæ, esse creationis effectores definimus, neque coæternos esse dicimus Deo universorum*: circa finem subdit: *Ab universorum autem Deo factos esse credimus. Ita enim docti sumus. Psalmista enim David præcipiens Angelis & cœlestibus Potestatibus Deum laudare subjunxit* „ Quia ipse dixit & facti sunt, ipse mandavit & creati sunt „. *Et rursus* „ Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis „. *Tres autem pueri, Deo in fornace benedicentes, omnem quidem creaturam ad laudum societatem vocarunt, primam autem Angelos. Ita autem habet laudationis principium* „ Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula „. *Deinde protinus subjungunt* „ Benedicite Angeli Domini Domino „ *docentes, eos quoque esse partem Divi-*

Divinorum operum. Divinus autem Apostolus nos hoc apertiùs docuit Coloss. 1. v. 16. *Cùm enim Domini nostri Jesu Christi mentionem fecisset, subjunxit, quòd in ipso creata sunt omnia quæ in Cœlo & in terra, sivè visibilia, sivè invisibilia, & iis quæ videntur relictis tanquam manifestis, dicit ordines invisibilium* ,, Sivè Throni, sivè ,, Dominationes, sivè Principatus, sivè Potestates, omnia per ,, ipsum & in se creata sunt ,,. *Hæc de Angelis sentire didicimus*. Idem docuerat S. Augustinus L. 11. de Civit. Dei c. 9., ubi ait quòd licèt expressè in loco Genesis cap. 1. ubi agitur de Mundi opificio, scriptum non sit, Angelos esse opus Dei, id tamen evincunt alia Scripturæ loca: atque eadem ferè refert, quæ ex Theodorito adducta sunt.

VI. Angelos autem omnes simul creatos fuisse, non inferiores à Superioribus successivâ generatione, probat idem Theodoritus citato loco dicens: *Immortali autem naturæ supervacanea est generis divisio; neque enim incremento opus habent, cùm non diminuantur, neque coitu, cùm sint à corporibus liberi. Et hæc docet Sacra Scriptura: Angelos enim non duos ab initio solos, quemadmodum homines fabricatus est, sed quotquot voluit produxit Myriadas. Quæ enim ab interitu aliena est natura, non eget incremento.* Eadem dicit L. 3. de Græc. affect. Serm. de Diis & Angelis: *Neque enim Deus ab initio multos numero homines luto effinxit, sed virum unum dumtaxat unamque mulierem, duorumque commixtio totam Continentem, marisque omnis Insulas genere humano complevit. Naturam autem eorum spirituum, qui videri non possunt, nequaquam ex duobus constituit, sed universam simul semelque creavit. Quot enim millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tot repentè simul produxit, ut superfluus continuò illis futurus fuerit feminarum usus, qui ut immortales propagatione non indigent, utque incorporei commixtionem non patiuntur.* His Archonticos, aliosque similes Theodoritus enervat.

VII. Errabant, seu veriùs blasphemabant secundò: Principem septimi Orbis, quem Sabaoth appellabant, & Deum Judæorum Mosaicæ Legis auctorem, genuisse Diabolum. Ita refert Epiphanius num. 5. *Illud verò*, inquit, *affirmant, Diabolum septimæ Potestatis, hoc est Sabaoth esse filium. Sabaoth porrò Judæorum esse Deum, cujus malus filius sit Diabolus, qui in terra consistens parenti suo reluctetur. Eundem verò parentem, neque ejusmodi, hoc est malum, esse, neque Deum tamen illum esse qui comprehendi nequeat; sed ad sinistram Potestatem pertinere.* Hunc errorem hauserant ex prioribus Hæreticis, ut notavi supra de Basilide c. 2. §. 3. num. 7. Sic Deum Judæorum summum verum & unicum Deum, Angelorum & Principatuum Creatorem, inter Angelos & Principatus po-

nentes, ultimo & infimo in loco nempe in septimo Cœlo collocabant. Mendacem ergo faciunt Moysen, qui Deum, à quo accepit Legem & quem Judæi colebant, eum esse scribit qui creavit Cœlum & terram, qui solus Dominus, unus Deus est, imo qui solus *est qui est*, & ipsum *esse* est, quia à se ipso est. Exodi 3. v. 14. Deuter. 6. v. 4. Et c. 10. v. 14. Judæos monens, ut timeant Deum suum ait: *En Domini Dei tui Cœlum est, & Cœlum Cœli, terra, & omnia quæ in ea sunt*. v. 17. *Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus & potens & terribilis*. Unde David Psal. 46. omnes gentes ad eum laudandum invitans: *Omnes gentes*, inquit, *plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram*. Istorum autem error ex eo prodibat, quòd Deum Judæorum seu septimi Cœli Principem, in cæteros tyrannidem exercere, eosque violenter opprimere fingebant. Sed eos, inquit Epiphanius Hæref. 40. num. 6., Scriptura ipsa redarguit, quæ *Angelos & Archangelos commemorat, non ejusmodi ut contrarii Deo sint, sed administratorios spiritus ad ministerium missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Quemadmodum enim & in terra quodlibet regnum plures habet Principes uni Regi subjectos, non ei contrarios, idem multò magis in Cœlestibus contingere necesse est; quòd illic nec invidia, nec æmulatio, neque legum violatio, nec seditio ulla fit &c. Quare Potestates stabilitæ ibi sunt, ut summo Deo & Conditori concentum laudum efforment: & tales eos vidit ac descripsit Isaias cap. 6.

Transeo ad aliam insaniam, quâ dicebant, Deum Sabaoth ac Judæorum genuisse Diabolum; putabant enim, ut dixi, Angelos humano more per coitum genitos. Sed hac dementiâ omissâ, si dixissent, in generali Angelorum creatione productum etiam illum, qui voluntate ac vitio suo rebellem ac desertorem cum sociis se fecit, & Diabolus dicitur, verum dixissent, ejusque lapsum cum Isaia c. 14. v. 12. deplorassent: *Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer qui mane oriebaris? .. Qui dicebas in corde tuo: In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum sedebo in monte Testamenti... Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris*. Sic enim faterentur, eum à sui conditione bonum, vitio ac superbiâ suâ malum ac impium se fecisse. Verùm quia volebant, eum ex natura & conditore malum & Diabolum esse, eis adversatur S. Augustinus Lib. 19. de Civit. Dei c. 13. dicens: *Nec ipsius Diaboli natura, in quantum natura est, malum est, sed perversitas eam malam fecit: in veritate non stetit, sed veritatis judicium non evasit: quia in ordinis tranquillitate non*

non mansit, nec ideo tamen à potestate ordinatoris effugit. Bonum Dei, quod illi est in natura, non eum subtraxit justitiæ Dei, quá ordinatur in pœna, nec ibi Deus bonum insequitur quod creavit, sed malum quod ille commisit. Theodoritus etiam L. 5. Divin. Decret. Epitome cap. de Diabolo & Dæmonibus, ex Ezechiele c. 28. hoc idem probat, concludens: *Porrò autem alia quoque multa licet invenire, per quæ facilè sciri potest, quòd bonus creatus Diabolus suá sponte ad vitium declinavit. Satis est autem etiam quòd Lucæ 15. ei minatus est Christus supplicium, ad ostendendum eum suá sponte improbitatem elegisse. Non est enim justi Dei proprium eum punire, qui necessitate malus fuerit.*

VIII. Tertiò insaniebant dicentes, ex congressu Diaboli cum Eva conceptos & natos fuisse Cainum & Abelem. Hanc esse insaniam Scriptura demonstrat, quæ utrumque ex congressu Adæ cum Eva genitum dicit. Cain quidem Gen. 4. v. 1. *Adam verò cognovit uxorem suam Evam, quæ concepit & peperit Cain.* Abelem autem v. 2. *Rursumque peperit fratrem suum Abel.* Hoc non obstante contemtâ Genesi, quàm à Moyse Dei Judæorum falsò, ut ajebant, hoc nomine inscripti ministro scriptam sciebant, Epiphanio teste num. 5. rem aliter se habuisse effutiebant; sed *Diabolum ad Evam accedentem cum ea perinde ac vir cum muliere solet, consuetudinem habuisse, deque ea Cainum & Abelum suscepisse.* At fortè subjungit Epiphanius ibi muniebant se dicto Christi Jo. 8. v. 44. [*Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est & pater ejus.* Quæ verba stolidissimi homines ad Cainum ab initio homicidam, & mendacem referebant, quia Diabolus pater ejus homicida & mendax fuit: *Ut nimirum* (ait Epiphanius) *Diabolum esse Cainum efficiant, eo quòd dixerit,* homicida est ab initio: *atque patrem ejus esse Diabolum ostendant: Diaboli verò patrem* (quæ blasphemia est nuper refutata) *mendacem illum Principem, quem in caput suum blasphemantes, ipsum esse Sabaoth stolidissimi homines putant, quod nomen Dei cujusdam proprium esse volunt.*

IX. Verùm quàm nedum impia, sed & stolida sit hæc interpretatio statim apparet. Nam si hinc deducunt, Cain naturâ filium Diaboli à Christo nuncupatum; cur hoc etiam non dicunt de Scribis & Pharisæis, quibus ibi Christus dicit: *Vos ex patre Diabolo estis?* Cur non potiùs de Juda proditore, quem Christus Jo. 6. v. 71. Diabolum appellavit dum ait: *Nonne ego vos duodecim elegi: & unus ex vobis Diabolus est?* Non ergo Judas, Scribæ, Cain Diabolus

bolus aut filii Diaboli vocantur, quia naturaliter ab ipso geniti, sed quia Diaboli filii morum similitudine & imitatione. De quo S. August. Tract. 42. in c. 8. Joan. *Ecce*, inquit, *unde filii ejus: quia talia desideratis, non quia de illo nati estis. Quæ sunt illius desideria?* „ Ille homicida erat ab initio„. *Ecce quid est, desideria patris vestri facere vultis. Quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis dico. Et ille invidit homini & occidit hominem. Diabolus enim cùm invideret homini, serpente indutus locutus est mulieri, & de muliere veneuavit & virum. Mortui sunt Diabolum audiendo, quem non audissent, si Dominum audire voluissent: positus enim homo inter eum qui creavit, & eum qui lapsus est, obtemperare debuit Creatori, non deceptori. Ergo ille homicida erat ab initio. Videte genus homicidii, fratres, homicida dicitur Diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus: ad hominem venit, verbum malum seminavit, & occidit.* Ex his Augustini verbis patet, nec Judæos, nec Cainum, nec Judam fuisse naturâ filios Diaboli, sed imitatione; quia sicut iste invidiâ occidit Adam & Evam spiritualiter, ita Cain invidiâ occidit fratrem, Judas Christum, mortem temporalem intentando. Hoc unum hìc addam; juxta Adversarios, non solus Cain fuit filius naturalis Diaboli, sed etiam Abel. Cur ergo Cain fuit naturâ malus, Abel verò justus? Cur Cain malitiam patris in se habuit, non verò Abel?

X. Desipiebant quartò, quia dicebant, Cain non ex invidia, quia Abel acceptus esset Deo, eum interemisse, sed ex zelotypia, quia Abel acceptior sibi videbatur sorori, quam uterque amabat. Testis est S. Epiphanius num. 5., ubi postquam Cain & Abel ex Diaboli congressu cum Eva in eorum opinione ortos fuisse narravit, subdit: *Ex quo factum afferunt, ut in alterum unus insurgeret, pro ea videlicet invidiá, quá in se mutuò concitabantur: ac non ideo quòd Abelus Deo esset acceptior, uti se se res habet: sed novo quodam mendacio veritatem dissimulant. Ambos enim, ajunt, sororis amore flagrasse; ideo Cainum in Abelum concitatum, ipsum interemisse.* Quod apertè contradicit Scripturæ, ubi Genes. 4. causam livoris Cain contra Abelem non aliam designat, nisi quia sacrificium Abelis placuit Deo, non autem Caini. Ita v. 3. *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui & de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: Ad Cain verò & ad munera ejus non respexit: Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.* Indè invitatum Abelem in agrum occidit. Ubi hìc de amore mutuo erga communem sororem? S. Augustinus L. 15. de Civit. Dei c. 7. factum ita exponit: *Cognito itaque Cain, quòd super ejus*

ejus germani ſacrificium, non ſuper ſuum reſpexerat Deus, utique fratrem bonum mutatus imitari, non elatus debuit æmulari. Sed quia contriſtatus eſt & concidit vultus ejus, hoc peccatum maximè arguit Deus triſtitiam de alterius bonitate, & hoc fratris. Hoc quippe arguendo interrogavit dicens „ Quare contriſtatus es, & quare concidit facies tua „? *Quia enim fratri invidebat, Deus videbat; & hoc arguebat*. Ex invidiâ ergo, quòd Abel acceptus eſſet Deo, Cain eum occidit, non ex zelotypia erga ſororem. Ideo Joann. Ep. 1. c.3. v.12. ait: *Non ſicut Cain qui ex maligno erat & occidit fratrem ſuum. Et propter quod occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem juſta*. Et ad Hebr. cap.11. v.4. Paulus: *Fide*, inquit, *plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo*. Non autem juſtus prædicaretur Abel, ſi ex impuro erga ſororem amore fuiſſet occiſus.

XI. Deſipiebant quintò, ut refert Epiphanius num.7., quia dicebant, Adamum ex Eva conjuge Sethum germanam ſuſcepiſſe ſobolem. Verùm per ſupremam Virtutem, cum miniſtris & Angelis melioris Dei delapſam, Sethum ipſum raptum fuiſſe, & in locum ſurſum ſublatum, ibique diuturno tempore alitum; longo demum intervallo in hunc Orbem fuiſſe demiſſum, ac ſpiritualem ſimul & corporeum redditum, ne à Caino vel cæteris Conditoris Mundi poteſtatibus opprimeretur. Addentes, Sethum eundem creatorem atque Mundi opificem deſiiſſe venerari, & illam agnoviſſe Virtutem, quæ nullo comprehendi nomine poteſt: necnon adversùs Auctorem Mundi ejuſque Principatus & Poteſtates pleraque detexiſſe. In quo cum Sethianis ex parte conveniebant. Nam præter ſupradictos, cum illis etiam aliquos Libros Sethi nomine inſcriptos, & ab eo confingebant editos. Tum ſeptem alios ſeptem ejus filiorum nomine; totidem enim filios habuiſſe dicebant; addentes inſuper Prophetas duos, Martiadem neſcio quem, & Marſianum, quos in Cœlum raptos tertiâ die deſcendiſſe fingunt; & alias commentitias & ridiculas fabulas, quibus in verum & Omnipotentem Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti multa contumelioſa impiè blaſphemabant, ipſum Principem ac inventorem omnis nequitiæ aſſerentes, ac proinde ſuâ ſe confeſſione jugulantes. Hæc ex Epiphanio.

XII. Unde optimè eos ſic perſtringit. Quomodo enim Princeps & auctor omnis nequitiæ eſt, qui ſtupra, adulteria, rapinas, & omnis generis nequitias ſuis legibus prohibet, & eas patrantes ſeverè punit? talis eſt Mundi Conditor quem Judæorum Deum ipſi vocant, & hoc ex Libris ipſo mandante Judæorum Populo à

Moyſe

Moyse datis apparet. Non est igitur inventor nequitiæ, qui eas prohibet Mundi Creator & Judæorum Deus, sed ille, quem sibi ipsi confingunt, cujus præsidio ac patrocinio omnia obscena & turpia se patrare ut dixi impunè confidunt: ac propterea verum Deum quia prohibet detestantur. Ita Epiphanius: *Si malorum inventor is ac maleficus est, nonne bonus vel eo ipso comprobabitur... quòd contra stupra, adulteria, rapinas, ac cupiditates & injurias decreta multa condiderit? Nam Judæorum illum esse Deum utique confitentur. Judæis porrò Legem illam tulit, quâ sunt ea omnia prohibita, quorum inventor ab illis asseritur. Satanæ verò Pater qui demum appellari potest, qui tam multa adversùs illum ediderit, si ab illo summo, quem Deum nominant, alienus est: nec idem est Omnipotens ille Deus, Rex & Dominus noster, qui in Lege & Evangeliis, ac Prophetis, & ab Apostolis celebratur* (1. Cor. 3.): Dominus Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, *ut idem apertè Christus in Evangelio testatur* (Matth. 11. 25.) „ Confiteor tibi Pater Domine Cœli ac terræ „ *quibus Patrem suum universorum esse Deum significat?* Hæc ergo paucis concludo. Si Deus Sabaoth Deus Judæorum malitiæ omnis inventor est, cur eam in Lege prohibet? Si Satanæ pater est, qui homines ad nequitias incitat, cur multa adversùs eum edidit, & non potiùs ei ceu suo Ministro fideli patrocinatur?

§. III.

Archonticorum errores alii.

I. PRæallatis insaniis alias nec minùs impias Archontici adjiciebant, quas brevi stilo concludam. Primò ajebant, seu veriùs fabulabantur, Animas cibum esse Principatuum & Potestatum Cœlis præsidentium, nec sinè illis vivere posse, quòd à cœlesti rore procreatæ illos foveant ac vegetent. Ita Epiphanius n. 2. *Principatuum Potestatumque cibum animam appellant; sinè qua vivere illos non posse, quòd à cœlesti rore procreata vegetet illos ac foveat.* Ita quoque Theodoritus L. 1. Hæret. Fab. loco citato: *Principum autem*, inquit, *nutrimentum dicunt esse animas, & sine eo non posse illos vivere.* Singularis certè dementia, quæ in nullius etsi Ethnici aut Barbari Philosophi mentem venerit, ut dicerent Deorum suorum cibum ac nutrimentum, sinè quo vivere non possent, esse animas hominum. Corporei ergo & corruptibiles erant hi Archonticorum Principatus, si egebant cibo ut possent vivere; corruptibiles quoque erant animæ, si in nutrimentum & substantiam Principatuum transibant.

II. Ni-

II. Nihilominus de eadem anima eodem Epiphanio teste hæc addebant: *Quæ cùm ad cognitionem pervenerit, ac baptismum Ecclesiæ nomenque Sabaoth, qui Auctor est Legis effugerit, ad singulos evolare cœlestes Orbes, seque apud unamquamque Potestatem excusare: sicque ad supremam Matrem, atque omnium pervenire Parentem, à qua in hunc Mundum delapsa sit*. Igitur animam, quam ante dicebant cibum fieri & nutrimentum cœlestium Potestatum, modò asserunt, si baptismum effugerit, eas omnes liberè evadere, & ad supremam conscendere. Quid hinc? Non aliud certè volebant, nisi animas, quæ in cibum Potestatibus serviebant, & à supernis excludebantur, solas esse animas baptismate Deo & Christo initiatas. Has enim Principes manducabant, reliquas baptismo non tinctas ad superna liberè transilire permitti.

III. Ex quo apparet, Archonticos aliis impietatibus hanc etiam addidisse, ut Baptismum & sacra Christianorum Mysteria execrarentur. Ita sanè ait Epiphanius num.2. *Baptismum damnant: tametsi inter eos sint qui Baptismo antea initiati fuerint. Mysteriorum communionem ac bonitatem repudiant tanquam alienam, & in nomine Sabaoth repertam. Hunc enim septimo in Orbe versari ac tyrannidem exercere prædicant, cæterosque violenter opprimere*. Ita quoque Theodoritus Lib. 1. Hær. Fab. agens de Ascodrytis. Archontici, inquit, *anathematizant lavacrum & mysteriorum communionem, ut quæ fiant in nomine Sabaoth. Dicunt enim eum in septimo Cœlo tyrannidem exercere*. At de Sabaoth quod volunt fingant, fingant eum Judæorum Deum nuncupatum, in septimo Cœlo exercentem tyrannidem: quid hinc contra Baptismum, & cætera Christianæ Religionis Mysteria & Sacramenta? Si de Circumcisione aliisque Judaicis Ritibus sermo esset; hæc Dei Sabaoth ac Judæorum Leges tyrannicas appellare eorum insaniæ consonum videri posset. At de Baptismo & aliis Christianæ Legis Mysteriis, quorum auctor est Christus; quâ ratione ea tanquam tyrannica Sabaoth mandata execrantur? Dicent ne Christum Dei Sabaoth fuisse filium? At cùm ipsi unicum Dei Sabaoth filium Diabolum statuant, fiet, ut Christum Diabolum esse blasphement: Christum, inquam, cujus in Orbem adventus ad eripiendum Diabolo Principatum hujus Mundi directus fuit. Qui Diabolum ab eo adorari postulantem ejecit Matth. 4. v. 4. Qui Diabolum palam è corporibus ejiciebat, qui eum mendacem & mendacem patrem ejus publicè traducebat Jo. 9. v. 44. & Jo.12. v. 32. dicebat: *Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foràs*. De quo Paulus Colofs.2.v.15. ait: *Et expolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*. Hic ergo Christus Principatuum & Po-

& Poteſtatum debellator, erit una ex Poteſtatibus, vel ab una ex eis deſcendens, & in Mundum miſſus? Hic ergo ut à Principatibus homines redimeret Baptiſmum & cætera Myſteria ſuo Sanguine ſanctificata & roborata ad ſalutem hominum inſtituit. Cur ergo Archontici ea repudiant?

IV. Verùm contra iſtos tempus tero. Eorum & aliorum, ut refert Theodoritus citato loco de Aſcodrytis, error is erat, nempè *non oportere Divina Myſteria, quæ ſunt inviſibilium ſigna, per res quæ videntur peragi; nec incorporea per ſenſibilia & corporea. Eſſe autem perfectam redemtionem veram ejus quod eſt cognitionem. Quæcumque enim videntur ex ignorantia & affectione conſtituta per cognitionem diſſolvuntur. Oportet ergo, etiam ſpecialem eſſe redemtionem, quapropter nec eos qui accedunt baptizant, nec ab eis peragitur myſterium baptiſmatis. Vocant enim redemtionem univerſorum cognitionem*. Alia ergo præter dictam cauſa erat, cur Baptiſma & alia Myſteria rejicerent, quia utpote res viſibiles & corporeæ, ineptæ eſſent ad effectum redemtionis, quæ ſpiritalis eſt & inviſibilis, conſequendum.

Hæc ſi ita ſunt, peto: Cur ex ipſis aliqui capitibus mortuorum oleum & aquam injicientes, ſperant eos inviſibiles & potentiores fore adversùs Poteſtates? Aqua in Baptiſmo auctoritate Dei & Chriſti vivis nihil prodeſt, & aqua & oleum mortuis eorum genio injecta, tantum roboris afferet? Et tamen hoc idem Theodoritus de eis refert, dicens: *Aliqui autem alii poſt mortem, mortuorum capitibus oleum & aquam injiciunt. Ita enim dicunt fore, ut ipſi ſint inviſibiles, & potentiores iis, quæ intercedunt, Dominationibus & Poteſtatibus*. Sic qui loquitur mendacia, ſibi contradicat, neceſſe eſt.

V. De Reſurrectione tandem fabulabantur, animas quidem reſurrecturas, non tamen corpora. Ita de eis refert Nicetas his verbis: *Improbant verò reſurrectionem mortuorum, atque ſolam animam reſurgere, ac in cibum Principatibus & Potentiis cedere contendunt*. Et infra: *Poſtremò reſurrectionem mortuorum continuâ Filiorum ex Patribus generatione jam fieri dicunt*. In quo errabant & deſipiebant. Errabant, quia alios priores Hæreticos ſecuti corpora ſurrectura inficiabantur. Deſipiebant verò, quia animarum reſurrectionem, quam ſolam admittebant, jam fieri dicebant, ſivè quia in cibum Principatuum tranſirent, ſivè quia continuâ filiorum generatione, quæ unius jam fuerat anima, alterius fieret.

Errorem, quo negabant corporum reſurrectionem, deſtruere conatur Epiphanius num. 8. dicto Chriſti Jo. 2. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Ipſum autem loqui de tem-

templo corporis sui, dicitur ibi. v.21., ac de corpore vero, non apparente, Dei solius beneficio, non Potestatum, ut illi dicebant. Sic ergo habet: *Templum enim corpus suum vocabat, quod hominum manibus evertebatur, hoc est, interficiebatur. Nam quòd verum corpus non esset, sed specie dumtaxat appareret, cujusmodi illi fuisse statuunt, nequaquam hostium in manus venire, aut, ut pollicebatur, excitari die tertiá potuisset. Hæc igitur Dei administratio perspicuè declarat, mortuos ad vitam sine ulla controversia restitui: nec animæ purgatione ullá opus esse, aut apud singulas Potestates causam illi suam esse perorandam: quod isti, uti dictum est, temerè prædicant: sed uno Dei beneficio dumtaxat indigere, quo cum fide rectè facta conjungat.* Quæ ultima verba corrigunt errorem supra rejectum, quòd animæ eorum qui Baptismum suscepissent, à Potestatibus detinerentur.

In Resurrectione verò animarum, quam solam admittebant, verè desipiebant. Vel enim eas verè resurgere putabant: & sic eas mortales ponere debebant, quia vera resurrectio ejus est qui per mortem cecidit; vel animas resurgere, ut verè volebant, apud eos erat de uno in aliud corpus transire, vel per nutrimentum in corpora Principatuum, vel per generationem continuam filiorum de uno ad aliud corpus: & hæc Resurrectio non erat, sed Transmigratio de corpore corrupto ad corpus genitum. Nec erat resurrectio, quam in fine Mundi futuram docet Fides; sed resurrectio jam peracta & quæ continuò peragitur. Hoc teste Epiphanio n. 8. eorum delirium erat, ut *Resurrectionem demum accidisse jam dicerent, illis ipsis producendis liberis quos Parentum quisque genuisset: nec aliam mortuorum expectandam esse resurrectionem.* Hi fuerunt Archonticorum errores ac dementiæ. Quibus patet, & inferiùs patebit, nisi in deliria ruere posse, qui à Christiana veritate recedit.

CAPUT XVIII.

De Cerdonianis.

§. I.

Cerdo quis fuerit, & quo tempore vixerit.

I. CERDONIANI à Cerdone nominati sunt, ait S. Augustinus L. de Hæres. c.21. Duo tamen hujus nominis fuere. Unus Cerdo sub Trajani Imperio Episcopus Alexandrinus tertius ab Aniano, cujus meminit Eusebius L.3. Hist. cap.21., fuit-

fuitque vir æquè Catholicus ac Sanctus. Alter Cerdo, de quo hic sermo erit, fuit hæreticus & quidem nequissimus. Occasionem suæ hæresis à Simone accepisse, censet Irenæus L.1.c.28. modò 27., atque etiam à Saturnino, putat Epiphanius Hæres.41.: ubi eum facit etiam Heracleonis in schola successorem, aut, si velis discipulum, ait enim: *Tam his, quàm Heracleoni quidam Cerdo successit ab eadem schola profectus, & è Simone ac Saturnino nactus initia.* Hinc Damascenus L. de Hæres. *Cerdoniani*, inquit, *à Cerdone Heracleonis discipulo appellati sunt*. Marcionis verò alterius pessimi Hæresiarchæ, de quo Cap. sequenti, magistrum Cerdonem facit Theodoritus L.1. Hæret. Fab.

II. Quæ Cerdoni patria fuerit, ignoratur: è Syria tamen fuisse oriundum, & in Syria habuisse domicilium, credibile est; quia in primo ejus adventu Romam è Syria profectus narratur à Philastro Hæres. 43. & Epiphanio Hæres. 41. n.1.: ubi de Cerdone ait: *Qui cùm è Syria Romam peregrinandi causâ miser accessisset, sui juxta ac Sectatorum suorum labes quædam ac pernicies fuit. Miserrima quippe tunc est hominum natura, cùm Dei viam relinquens, & à Divina se vocatione segregans, longiùs aberrat.* Eique ac similibus Apologum canis accommodans, subdit: *Quibus illud de canis fabula contingit, qui in ejus quod in ore gestabat umbram intentus, & in aquam despiciens, dum eodem cibo quem mordicùs ferebat, majorem umbram esse suspicatur, diducto rictu illum ipsum qui verus erat perdidit. Sic illi repertâ viâ, dum ejus umbræ, quam in falsa opinione circumferunt, compotes fieri student, non modò divinitùs concessum illud, quod ore, ut ita dixerim, ferunt, alimentum amiserunt, sed insuper exitium sibi ipsis attulerunt.* Ita Cerdoni accidit; Romam enim appulsus, ibi dolos erroribus miscens, modò Catholicam Fidem professus, modò abjiciens, modò pœnitens, modò apostata; sic Prothei instar mutatâ sæpiùs formâ nullius tenax, tandem abjectâ fide quàm ore saltem gestabat, vanâ errorum umbrâ illectus se ipsum perdidit: unde iteratos illius lapsus ferre ampliùs non valens Ecclesia, à sacris fidelium cœtibus in perpetuum exulare illum coegit.

III. Contigisse autem hæc, Hygino Romanam Ecclesiam regente, & Antonino Pio imperante circa annum Christi 141. vel juxta alios 152., ac eodem ferè tempore quo Valentinus Romam advenerat, constanter affirmant omnes Veteres. Irenæus Lib. 1. cap.28. modò 27. ait: *Et Cerdon autem quidam ab iis qui sunt erga Simonem occasionem accipiens, cùm venisset Romam sub Hygino, qui octavum* (nonum apud alios) *locum Episcopatus per successionem ab Apostolis habuit* &c. Epiphanius Hæres.41. num.1. *Igitur*, inquit, *Hygini Papæ temporibus fuit, qui in Apostolorum Jacobi & Petri Pau-*

Paulique successione nonum locum tenebat. Theodoritus etiam L. 1. Hæret. Fab. c. 24. Cerdonem fuisse scribit tempore Antonini primi. Ex quibus Nicephorus L. 4. Hist. c. 3. ait: *Sub Pio Antonino, Ecclesiæ Romanæ Hygino præsidente, Irenæus Valentinum & Cerdonem hæresum suarum auctores fuisse scribit.*

IV. Hic tamen controversia insurgit, quomodo verificari possit, quòd Cerdon Romam advenerit anno 141., vel 144. secundùm alios, & quòd advenerit sub Hygino; cùm eo tempore usque ad annum 152. quo martyrium subiit, Ecclesiam Romanam rexerit Telesphorus Hygini Præcessor. Quam controversiam dirimunt aliqui, inter quos Cardinalis Cozza Comment. in Hæres. Cerdonis, distinguendo inter tempus, quo Cerdo Romam venit jam hæreticus quidem, sed se Catholicum simulans, & tempus quo non ampliùs valens venenum hæreseos quod gerebat in pectore tegere, latenter saltem evomere cœpit; sed quia à quibusdam piis & Catholicis reprehensus, pœnitentem se fingebat, sicque fidelium animos suspensos & ambiguos de ejus fide non parvo tempore detinuit: donec tandem in apertum erumpens, & accusatus, à fidelium communione segregatus fuit, vel ut aliqui volunt, se segregavit. Si ergo inspiciatur tempus, quo Romam venit, quo latuit, & quo se Catholicum ac erroris pœnitentem pluries se fecit, hoc sub Telesphoro contingere potuisse admittunt: at si inspiciatur tempus, quo Catholici ac pœnitentis excusso pallio errores suos palam profiteri non erubuit, & propterea ab Ecclesia extorris pronuntiatus fuit; hoc Hygino Ecclesiam jam gubernante accidisse.

V. Hanc Cerdonis simulationem indicat Irenæus L. 3. c. 4. dicens: *Cerdon autem, qui ante Marcionem, & hic sub Hygino, qui fuit octavus Episcopus, sæpè in Ecclesiam veniens, & exomologesim faciens, sic consummavit: modò quidem latenter docens, modò verò exomologesim faciens, modò verò ab aliquibus traductus in his quæ docebat malè, & abstentus est* (vel ut aliqui vertunt abstinuit) *à religiosorum hominum conventu*. Idem ex Irenæo refert Eusebius L. 4. Hist. c. 11. his verbis: *Cerdon verò ... cùm ad Ecclesiam venisset, & errorem suum confessus esset, ita deinceps perseveravit: interdum occultè docens, interdum rursùs confitens errorem, nonnunquam convictus impiæ doctrinæ, eoque nomine à fratrum conventu remotus*. Ex quibus omnibus inferri licet, suam, quam primò in Oriente professus fuerat, Romæ confessum hæresim fuisse, & cùm pœnitentis speciem exhibuisset, tandem Romæ in Ecclesiam admissum. Sed cùm reiteratis lapsibus malam fidem suam ostenderet, tandem sub Hygino, vel à fidelium consortio abstentum fuisse, vel abstinuisse. Et proinde estò sub Telesphoro Romæ dubiæ

 fidei

fidei Cerdo fuerit habitus, sub Hygino tamen ut hæreticus palam fuit pronuntiatus.

Confirmat hæc Tertullianus L.2. Carminum adv. Marcionem circa finem sic:

Post illum socius Legis, certusque magister
Cum vestri sceleris socius præcursor & auctor
Advenit Romam Cerdo, nova vulnera gestans;
Detectus, quoniam voces & verba veneni
Spargebat furtim: quapropter ab agmine pulsus
Sacrilegum genus hoc genuit spirante Dracone.
Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ
Composita à Petro, cujus successor & ipse
Jamque loco nono Cathedram suscepit Hyginus.

VI. De Cerdonianorum moribus nihil exprimunt Patres. Statuto tamen, quòd Cerdo fuerit Heracleonis discipulus qui unà cum Colorbaso, Marco, & Ptolemæo de schola Valentini tam doctrinam hauserant quàm mores, credibile valdè est, Cerdonem illos imitatum pravæ doctrinæ turpes quoque mores copulasse, ut ad sui sequelam faciliùs alliceret incautos. Cùm enim repudiaret (ut dicam) Legem, quâ omnes turpitudines prohibentur, credendum est, eas suis tanquam licitas Cerdonem insinuasse.

VII. Non diù tamen saltem sub Cerdonis nomine, hanc hæresim durasse existimo, sed à Marcionis Secta absorptam in hanc transmigrasse; Marcion enim discipulus in malitia & errore prævaluit supra magistrum. Propterea Patres ad extirpandum Marcionis nomen & doctrinam toto studio intenti, de Cerdone ejusque erroribus sobriè loquuntur. Ad quem Christi annum Cerdo vitam protraxerit, incertum est.

§. II.

Cerdonianorum errores.

I. PRimus Cerdonis ejusque scholæ error fuit, quòd duo principia sibi adversantia posuit, unum bonum, mite, clemens, & omnibus ignotum: justum, sævum, immite alterum, hominibus notum, quia Mundi Conditorem, & Legis Mosaicæ Auctorem, qui & Prophetis apparuit, ac se videndum sæpenumerò præbuit. Ita Irenæus L.1. c.28. modò 27., Epiphanius Hæres. 41. num.1., Augustinus L. de Hæres. c.21., Philaster Hæres. 44., & Theodoritus L.1. Hæret Fab. c.24. Cùm enim Cerdo, ut ex Irenæo dixi, erroris materiam ab iis qui sunt erga Simonem, ideſt

ideſt à Simone, Menandro, Saturnino, aliiſque Gnoſticorum Coryphæis acceperit, ei tamen, ut novum quid proferre videretur, paulò diverſam formam induxit, de duobus Principiis, bono & ignoto omnibus, ſævo ac juſto altero, & hominibus cognito. Quæ ſi quid à Simoniana doctrina diſcrepat, ab ejus tamen ſchola aliena non eſt. Nam Simon quidem ab Angelis conditum Mundum veteremque latam Legem aſſeruit: at ejus ſucceſſores peculiarem Mundi Creatorem, & Legis auctorem introduxerunt, quem alii Ialdabaoth, alii Demiurgum vocabant, quem Deum eſſe Mundi hujus ſuo modo dicebant, eò quòd ſupremum in hæc inferiora ſibi vindicaſſet imperium. Præter hunc tamen admiſere alium Deum, quem ſupremum & ignotum parentem appellabant, & à quo alter Deus creator debellatus, & ſummo quod ſibi vindicaverat imperio privatus tandem fuit. Super hæc igitur ſui ædificium erroris Cerdo erexit, aliique poſt ipſum erigere incaſſum conati ſunt.

II. Hunc errorem, ut à Cerdone excogitatum ſic refellit Epiphanius ibid. n. 2. *Etenim duo ſimul rerum eſſe Principia nequaquam poſſe, manifeſtum eſt. Nam aut duo ab uno manarunt aliquo, aut unum ſecundum eſt, alterum ſecundi cauſa rurſus ac principium. Quærendum igitur eſt, quænam amborum cauſa ſit, aut quod ex illis principium ſit alterius, ut diximus: ſicque ad unum omnino referenda eſt cogitatio, quòd primum occurrit, à quo ſecundum, aut ambo illa proficiſci demonſtravimus. Duo porrò ſimul ut principia ſint, fieri penitùs non poteſt: ſed nec unum poteſt ab altero differre. Si enim differunt, duo ſint oportet. Duo verò ſi numerentur, ſingularem numerum excedunt. Cùm autem unicus iſte ac primus numerus quæratur, duo illa Principia uni ac ſupremo ſubjicientur, à quo velut à cauſa duo reliqua pendeant. Neque enim duo illa poſt ſingularem numerum, atque unicum primumque Principium ſui eſſe cauſa poſſunt ipſorum, cùm ſingularis ac ſupremus nihilominus numerus requiratur. Fingamus enim ejuſmodi eſſe duo, ut inter ſe ſe conſentiant, ac communiter gaudeant, ſibique conſentanea ſint invicem: ita ut uno volente ac libente adhæreat alterum, & ipſum quoque alterius conjunctione delectetur, quænam eſſe poteſt inter utrumque diſſenſio? Sin mutuò reluctantur ac ſibi æqualiter reſiſtunt, non poterit Chriſtus, qui ad alterum extinguendum acceſſit, tyrannicum ejus dominatum evertere: utpote quòd acriter obſiſtat, & adversùs ſupremum illud, quod nec videri nec nominari poteſt, ſic pugnet ac refragetur, nulla ut vi dejici ſeſe patiatur.* Hactenus Epiphanius.

III. Hujus diſcurſus ſumma hæc eſt. Non poſſunt eſſe duo Prima Principia. Quia vel ambo manarunt ab aliquo uno tertio: & ſic prima non ſunt, ſed illud unum tertium à quo manarunt.

Vel

Vel ex illis duobus unum causa est alterius: & sic non sunt duo prima principia, sed unum solum; illud scilicet quod est alterius causa. Si dicas esse duo, quorum neutrum sit ab alio, nec utrumque ab uno tertio. Contra est. Nam si duo sunt, numerum faciunt: si numerum faciunt, ante illos unitas est, quæ numerum causat; & sic unicum ac primum sui Principium esse non possunt. Rursùs hæc duo principia, vel invicem consentiunt, & sic in uno conveniunt: vel invicem dissentiunt, & pugnant; & sic cùm sint viribus æqualia, neutrum poterit ab alio vinci & superari. Quomodo ergo asserere possunt, Christum à primo Principio omnibus ignoto missum, ut alterum primum principium notum, quia Mundi Conditorem, vinceret?

IV. His confutatur alter Cerdonis error, quo dicebat, Christum esse filium Dei, seu principii omnibus ignoti, ab eo missum ad debellandum alterum Deum, seu Principium hominibus notum, quia Mundi & Legis Auctorem. Si enim iste Deus alter, seu principium notum, in omnibus par erat, & in nullo se subjici Deo ignoto pati poterat, quia æquè primum ac supremum, & independens, ac illud: quomodo Christus ab eo mitti poterat, ut hujus vires frangeret? Rursùs ad rem. Si primum illud principium omnibus erat ignotum: ergo etiam Cerdoni ignotum debuit esse. Unde ergo scivit, illud de facto esse, ejus filium Christum esse, & ab eo missum ad frangendas vires alterius Principii hominibus noti? Numquid quod omnibus ignotum fuerat, soli Cerdoni se notum fecit, & hæc revelavit? Apage insaniam.

V. Quia verò Cerdo hinc inferebat, Legem Moysi, utpote à Deo seu principio hujus Mundi latam, esse rejiciendam. Prosequitur Epiphanius num. 3. *Quòd autem insanus ille Legem ac Prophetas existimat, à deteriori ac contrario esse Principio, à meliori verò Christum; si id verum est, quomodo quæ ad Christum attinebant, Prophetæ certis figurarum involucris obtecta vaticinati sunt, nisi una eademque vis esset, quæ in Lege pariter ac Prophetis, atque Evangeliis locuta sit? Quemadmodum dicit* Isaiæ 52. v.6. „ Qui loquebar in Prophetis, ecce adsum &c. „ *Præterea cur Dominus in Evangelio prædicaret* „ Si Moysi crederetis, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit „. Si autem Christus non fuisset Filius & missus à Deo qui per Moysen Judæis Legem dederat, sed à Deo adversario, ad ipsum ejusque Legem destruendam; potiùs monere debuisset Judæos, ne crederent Moysi, ut in seipsum crederent. Cæterùm esse Filium ac Verbum ab eo ab æterno genitum, qui condidit Mundum & omnia, & ab eo in tempore missum, ostendit Joannes in Evangelio c.1., & Matthæus c. 1. qui ejus genealogiam tem-

temporalem deducit ad Abraham: quam Lucas cap. 3. refert ad Adam usque *Qui fuit Dei*, illius nempe, qui condito Mundo ipsum formavit.

VI. Sed error Cerdonis, ut duo Principia poneret, unum bonum quia mite, alterum non bonum, quia sævum & justum, ex eo processit, quia cogitavit clementiam & misericordiam pugnare cum justitia, sic ut idem non posset esse bonus & clemens, ac simul justus. Proinde quia legerat, quòd Deus auctor Legis jubeat, oculum pro oculo, dentem pro dente exscindere: Iste verò alius in Evangeliis, jubet ei qui maxillam pulsavit præberi alteram: non solum amicum diligere, sed & inimicum, eique benefacere; stolidè putavit, Christum, qui hæc contraria Legi docuit, missum fuisse à Deo bono diverso à Deo Legis justo: non animadvertens, quòd unus & idem Deus verè justus & misericors est. Unde David Psal. 100. v. 1. ait: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*: ubi S. Augustinus dicit, quòd Deus nec in bonitate misericordiæ perdit judicii severitatem, nec in judicando cum severitate amittit misericordiæ bonitatem. Quod rursùs confirmat David Psal. 35. v. 6. *Domine in Cælo misericordia tua & veritas tua usque ad nubes: justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa.* Imo idem David in Psalmis exaltat misericordiam Dei. Cùmque de Deo Legis, cui ipse serviebat, loqueretur, patet, Deum Legis justum simul ac misericordem fuisse.

VII. Cerdonem, & Marcionem simul, qui in eodem errore fuit, aggreditur Theodoritus L. 5. Divin. Decret. Epitome Cap. *Quod idem sit bonus & justus*: ubi demonstrat, quòd & Deus Pater Jesu Christi fuit bonus, & simul justus; & Deus Auctor Legis fuit justus & simul bonus. Primum evincit ostendens, quòd Lex Evangelica sit Legibus Mosaicis terribilior. *Lex enim Mosaica vetat homicidium: Lex verò Evangelica et etiam qui fratrem stultum appellat, minatur gehennam: Quicumque enim, inquit, dicit fratri suo, stulte, reus est in gehennam ignis. Ita rursùs. Lex antiqua accusat adulterium: Evangelica verò etiam turpem cupiditatem, per lascivum aspectum ingredientem, vocat adulterium. Et antiqua quidem prohibet perjurium, nova autem etiam jusjurandum; & antiqua quidem eum qui mulierem odio habet jussit illam dimittere, recens autem vocat adulterium dimissionem quæ fit absque fornicatione. Quicumque enim, inquit, dimittit uxorem suam præterquam fornicationis causâ, facit eam adulterari, & qui dimissam ducit, adulteratur. Præterea autem etiam pro otioso sermone se rationem exacturum minatus est, & supplicium æternum, & tenebras exteriores & gehennam ignis, & multa ejusmodi alia.* Quibus apparet, Deum, quem vocat bonum, esse

etiam justum, imo Leges severiores statuere, & graviora minari supplicia.

Secundum verò, nimirùm quòd Deus Legis, quem vocant justum, esse etiam bonum, sic: *Qui enim in Evangeliis præcipit inimicos diligere, jussit etiam in Veteri non despicere jumentum inimici quod oneri succubuerit, sed opem ferre, & non meminisse inimicitiarum in tempore necessitatis. Idem etiam rursùs inimici bovem errantem jubet reducere, & reddere Domino. Non solùm autem in homines docet Lex vetus humanitatem & beneficentiam, sed etiam brutorum animalium præcepit misereri: non alligabis, inquit, os bovi trituranti* &c. & subjicit multa, tum circa bruta: tum & maximè circa homines, sivè Proselytos cum caritate excipiendos, sive orphanos & viduas, sivè servos & alios: quibus ad evidentiam demonstrat, Legis antiquæ Auctorem justum simul fuisse, sed etiam misericordem & bonum; & proinde impiè desipere Cerdonem & Marcionem, qui ob id diversum faciebant Deum Patrem Christi, quia bonum, à Deo Legis, quia non bono, sed justo & etiam malo; quod Marcion blasphemabat, ut infra.

VIII. Ex his idem Theodoritus Cap. sequenti infert, quòd *Idem & Vetus & Novum dederit Testamentum*. Et probat, tum ex Hieremia c. 31. v. 31. *Disponam* enim, inquit, *domui Israel & domui Judæ Testamentum novum, non secundùm Testamentum quod disposui Patribus vestris in die, quo apprehendi manum ipsorum ad educendos eos de terra Ægypti, sed disponam eis Testamentum novum, dans Leges meas in mentem ipsorum, & in corde eorum scribam eas.* Deus auctor Legis, qui per Jeremiam loquebatur, promisit se daturum Leges novas diversas ab eis, quas dedit cùm educeretur populus de terra Ægypti, non in tabulis, sed in cordibus scriptas, non priorum eversivas, sed ad perfectiorem reipublicæ administrationem inducentes. Nam (pergit Theodoritus) *Quemadmodum Grammaticus eos quidem, qui discere incipiunt, docet literarum characteres; iis autem qui illas didicerunt præbet syllabarum connexiones, alios autem docens quomodo sint conjungenda nomina, & alios quomodo sit in legendo servandus eventus, non affert leges doctrinæ repugnantes, sed præbet ætati convenientem disciplinam. Ita etiam Dominus Christus dedit unicuique generationi Leges convenientes: necessarias enim & primas conscripsit in natura hominum. Habet enim unusquisque boni & mali discernendi facultatem, & dum facimus quæ pati nolumus, eo ipso prædicamus, nos scire id esse malum quod fit à nobis. Qui enim occidit, vel adulteratur, scit id esse malum quod facit. Non modò enim non vult occidi, sed nihil etiam non facit, ne id ei pati contingat. Et stupratâ uxore, eum qui violavit cubile, accusat adulterii:*

etsi

& si contumeliam acceperit, agit injuriarum: & si cætera hoc modo examinaverimus, inveniemus, omnes homines scire quòd malum est malum. Eas ergo in natura inseruit Deus, qui nos fabricatus est: alias autem variè dedit in unaquaque generatione. Adæ enim dedit legem de arbore, Noe autem legem de esu carnium, Circumcisionem verò Abrahæ Patriarchæ constituit, alias autem per Moysen magnum Prophetam conscripsit.

In Divinis autem Evangeliis, de parvis rebus datas leges, veluti quorumdam elementorum meditationem cessare faciens, leges dedit perfectissimas: & sicut matres recenter natis infantibus mammas præbent, paulò post autem cibum dentibus comminutum, deinde cùm pueri & adolescentes evaserint, solidum; sic universorum Deus iis qui illa didicerant, præbet perfectiorem disciplinam. Vetus tamen etiam Testamentum, ut mammam maternam amplectimur & honoramus, sed lactis non sumus participes; perfectis enim est supervacaneum lac ejus quæ nutriit: nutricem tamen honorant, ut qui ab illa sint nutriti. Ita nos etiam Circumcisionem quidem, & Sabbatum, & Sacrificia, & aspersiones servare non ferimus; aliâ autem Veteris Testamenti utilitate fruimur: pietatem enim & fidem in Deum, & dilectionem in proximum, & temperantiam, & justitiam, & animi magnitudinem perfectè docet, & veterum Sanctorum exemplaria imitanda proponit.
Hæc ex Theodorito transcribere placuit, quia utriusque Legis in præceptis naturalibus consonantiam mirè exponunt, & diversitatem, quæ in aliis est, à diverso hominum statu imperfecto & perfecto procedere, & proinde ab uno eodem Legislatore res secundùm tempora disponente emanasse. Quo fiat, ut licèt post Christum multa in Veteri Lege contenta ampliùs non serventur, ea tamen despicienda non sint, sed unà cum Lege honoranda: sicut adolescens licèt lac à nutrice ampliùs non sumat, nutricem tamen, à qua olim illud suscepit, honorat.

IX. Hoc statuto, prostratus manet alter Cerdonis error, quo dicebat teste Epiphanio num. 1. Christum de Cœlo atque ab ignoto Patre descendisse, ut Mundi Conditoris atque opificis imperium ac tyrannidem everteret. Nam cùm unus idemque Deus sit, qui condidit Mundum, & qui Filium suum Jesum Christum misit in Mundum; palam fit, Christum non ad evertenda sed adimplenda mandata Patris Mundique Creatoris venisse. Quod manifestè Christus ipse expressit Joan. 8., ubi cùm Judæi, qui se Patrem habere Abraham gloriabantur, increpiti cur opera Abrahæ non facerent, dixissent v. 4. ***Unum Patrem habemus Deum***: dixit ei Jesus: ***Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit***. Deus au-

autem, quem Judæi Patrem se habere dicebant, non erat Deus ignotus, quem sibi fingebat Cerdo, sed Deus qui Legem dedit, & per Prophetas se manifestavit. Insuper dicebat Christus: si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Hoc autem non diceret si à Deo adversario missus esset ad evertendum imperium Dei Judæorum, cùm potiùs odio justè habendus esset, quia missus contra Deum illum, quem Judæi Patrem habebant.

X. Tertius Cerdonis error erat, quòd, ut referunt SS. Epiphanius & Augustinus, dicebat, Christum ipsum neque natum ex femina, neque habuisse carnem, nec verè mortuum, vel quidquam passum, sed simulasse passionem: vel ut ait Philaster Hæref. 44. *nec apparuisse in carne, nec de Cœlo descendisse, sed putativè visum fuisse hominibus: qui non videbatur, inquit, verè, sed erat umbra: unde & putabatur quibusdam pati, non tamen verè patiebatur*. Sic fallacem totam Evangelicam de Christo historiam traducebat, quæ & ejus de Virgine ortum, pueritiam, adolescentiam, cum hominibus conversationem, passionem & mortem, aliaque tanquam vera proponit, cùm fuerint merè umbræ, illusiones, & apparentiæ. Quia tamen hanc impietatem, quam ab hæreticis anterioribus hauserat, supra detestati sumus, ideo contra illam iterum agere superfluum esset.

XI. Resurrectionem quoque Carnis negavit. Nec mirum; qui enim Christum verè mortuum, & ideo resurrexisse negabat, consequens erat, ut etiam nostram negaret; cùm resurrectio Christi causa nostræ resurrectionis sit: & ut demonstrat Paulus 1. Cor. 15. si Christus non resurrexit, inanis est fides, vana prædicatio. Sed cùm hunc errorem alibi supra insecutus sim, contra illum denuò insurgere omitto, & Cerdone dimisso ad Marcionem transeo.

CAPUT XIX.

De Marcionitis.

§. I.

Quis fuerit Marcion, ejus adventus Romam, & quare, & alia.

I. MARCIONITÆ, seu Marcionistæ à Marcione nomen & errores sumserunt. Fuisse Marcionem natione Ponticum, & patriâ Sinopensem tradunt Veteres: Justinus Martyr Apolog. 2. ad Antoninum, *Marcionem etiam quemdam Ponticum novimus, qui nunc etiam superstes est;* & in terminis Epipha-

phanius Hæref. 42. num. 1. *Fuit iste*, inquit, *genere Ponticus ex ea parte quæ Helenopontus dicitur, oppido Sinope, quemadmodum frequenti de eo fama percrebuit*. Ponticum eum vocant etiam Irenæus L. 1. c. 28. modò 27., Theodoritus L. 1. Hæret. Fab., & Tertullianus L. de Præfcript. c. 30. *Ubi tunc Marcion Ponticus, Nauclerus Stoicæ studiosus?* de his postremis verbis aliqua inferiùs dicam. A Cerdone fuorum errorum initia accepisse jam fupra indicavi, & modò confirmat Philafter Hæref. 45. his verbis: *Marcion autem discipulus ejus* (Cerdonis) *genere Ponticus de Civitate Sinope* &c. Cùm autem ex dictis Tertullianus Marcionem appellet Nauclerum, quo nomine etiam à Rhodone falutatur apud Eusebium Lib. 5. c. 13., quidam putarunt, eum priùs nauticam artem exercuisse, quidam & fortè veriùs eum tali nomine per jocum appellatum fuisse, quia velut navigans, omni vento doctrinæ & erroris circumferebatur. Fuisse quoque Stoicæ Philosophiæ studiosum, indicat idem Tertullianus tum citato c. 30. tum c. 7. dicens: *Ipsæ denique hæreses à Philosophia subornantur. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate à Stoicis venerat*.

II. Majus est dubium quod excitat Epiphanius, dum ait, ab initio & in fua juventute vitæ Afceticæ & Monasticæ fe dedisse: *Qui*, inquit, *initio vitæ scilicet castitatem præseferens Monachorum instituta professus est*. Multis enim videtur, ætate Marcionis vitam Monasticam non fuisse introductam, & maximè in Pontum, quò eam primò fe invexisse fcribit S. Bafilius Ep. 79. ad Euftathium Epifcopum Sebaftenum. Non cenfeo tamen ideò facilè accufandum esse Epiphanium; nam estò initio Ecclesiæ nondum fuerint Afcetæ & Monachi fub certa vivendi forma & instituto, fuerunt tamen qui vitam folitariam fponte profiterentur etiam ab Apostolorum temporibus; ut de illis qui Therapeutæ dicebantur, quorum multos in Ægypto tempore S. Marci Evangelistæ extitisse, fentiunt multi, & Christianos non Judæos fuisse, ostendi agens de S. Marco. Aliquos etiam ante S. Bafilium, qui vitam Monasticam ducerent, tum alibi tum etiam in Ponto, colligo ex eadem ejus Epistola, ubi postquam refert, fe invenisse multos apud Alexandriam ac reliquam Ægyptum, & in Palæstina Cælefyria & Mefopotamia, qui Monasticam vitam ducebant, fubdit: *Cum illa admirarer, vitamque virorum illorum ob id beatam judicarem, quòd ipso opere se mortificationem Jesu circumferre declararent, cupiebam & ipse, quantum mihi possibile esset, illos æmulari. Hujus itaque gratiâ ubi videbam quosdam in patria mea illorum institutum sectari cœpisse, commoditatem aliquam reperisse me ratus invisibilium animi affectuum in iis, quæ videri possunt, experimentum cœpi. Quoniam igi-*

Pp 2 tur

tur quæ in unoquoque nostrum occulta sunt, cognosci nequeunt, satis judicii ad declarandam animi humilitatem putavi, si humili veste induerer, sufficereque mihi ad faciendam rei fidem, crassum & rude pallium, & zonam, & è rudi corio calceamenta. Antequam ergo Basilius Monastica amplecteretur, erant ipso testante etiam in ejus patria qui Monasticam vitam profitebantur.

III. Non diu tamen in hac vitæ puritate Marcion permansit. Cùm enim cujusdam Virginis amore obcæcatus eam incestuosè violasset, hoc resciens Pater ejus qui illius loci erat Episcopus, nec tantum flagitium ac dedecus ferre valens, ab Ecclesia eum ejecit. Ita idem Epiphanius: *Postea cum Virginem quandam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ab spe vitæ cœlestis illam juxta ac semetipsum dejecit. Ob hunc igitur incestum Ecclesiâ ab ipso Parente pulsus est, viro cum primis religioso, ac veritatis amore flagrantissimo, & in hac Episcopalis muneris administratione præstanti*. Omnem movit lapidem Marcion ut Parentem simul ac Episcopum ad veniam flecteret, sed frustra. Quare Patriâ relictâ, Romam se contulit, sperans se ab Apostolica Sede absolutionem impetraturum: quod tamen obtinere non potuit. Ita Epiphanius prosequitur: *Cui cùm Marcion diu multumque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc à Patre precibus nullis obtinuit. Vehementem siquidem ex ea re dolorem optimus Senex & Episcopus ceperat, quòd non ille solus excidisset, sed & ignominiam sibi ac dedecus imposuisset. Ergo ubi se nullis artibus eblandiri posse quod cuperet animadvertit, popularium suorum probra ac ludibria non sustinens, clam ab oppido secessit, ac Romam post Hygini Papæ obitum se se contulit, qui à Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat. Eò statim ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petiit*.

IV. Ex hoc Marcionis recursu ad Romanam Sedem pro obtinenda absolutione, quam Pater & Episcopus ei denegaverat, excitatur gravis controversia, an quovis tempore Romana Sedes habuerit jus recipiendi appellationes à cujusvis alterius Episcopi sententia. Negant enim aliqui, & maximè ante Concilium Sardicense. Affirmant verò sanioris doctrinæ Theologi, quibus assentior. Hanc tamen Controversiam meum non est hic pro dignitate tractare, ubi solum intendo hæreses referre, eisque Catholicam opponere Veritatem. Aliqua ergo solùm pro casu præsenti ponam; graviora aliis ex professo rem tractantibus relinquens.

V. Factum ergo ipsum Marcionis hanc veritatem ostendit, qui ad obtinendam ab Apostolica Romana Ecclesia absolutionem, quam Pater Episcopus ei denegaverat, festinus contendit. Si enim

enim de hac illius speciali super hoc potestate certus non fuisset, cur Romanam potiùs distantem adiit, quam alteram ex sibi vicinioribus Orientis Ecclesiam? At inquies: petiit absolutionem, sed non obtinuit. Fateor. Sed à quo petiit? à Romano Episcopo? nequaquam. Dum enim Marcion Romam properaret, Hyginus, qui Romanam regebat Ecclesiam, obierat, eamque sine ordinario Pastore reliquerat. Petiit ergo ab Ecclesiæ Romanæ Clero, & Senioribus (inquit Epiphanius): nec mirum si frustra petiit; in hoc enim erravit Marcion, dum putavit Ecclesiæ privilegium in Clero perseverare, cùm Cypriano Epist. 69. asserente, non in Clero, sed in Episcopo Ecclesia sit, & Episcopus in Ecclesia. Non mirum ergo, si Seniores illi responderint, se injussu venerandi Patris ejus id facere non posse. Absque enim assensu illius, qui aliquem expulit ab Ecclesia, in Ecclesiam iterum admittere Clerus non poterat.

Quod verò dicitur de Concilio Sardicensi, quasi fuerit primum, quod Romano Pontifici jus appellationis concesserit, falsò asseritur: nec enim Concilium illud tale jus quod antea non haberet, concessit: sed id quod Romano Episcopo Divino jure ei jam conveniebat declaravit. Jus enim cujuscumque Ecclesiæ subditos ligandi & solvendi, non ab hominibus, seu ab Ecclesia Romanus Episcopus accepit, sed à Christo. Cùm enim in regimine Ecclesiæ succedat Petro, cui Christus omnes suas oves pascendas tradidit, & cui dixit, quodcumque solvisset aut ligasset super terram, solutum & ligatum fore & in Cœlis: ideo ei sicut in munere, ita in plenitudine potestatis succedit. Quia verò hoc justo judicio ab eo exerceri Christus voluit; ideo etiam Romanus Episcopus ab Ecclesia pulsum, nisi cognitâ priùs causâ, in Ecclesiam non admittit, non quia absolutè non possit, sed quia justum judicium volente Domino sic postulat. Ideoque nec omnes qui ad Sedem Romanam appellant absolutionis sententiam consequuntur. Sed hæc præsenti intento sufficiant: qui plura optaverit, adeat hujus rei ex professo Tractatores.

VI. Ad historiam Marcionis igitur redeundo, videns spe suâ se frustratum fuisse, & nedum se inter Ecclesiæ principes locum, sed nec in Ecclesiam aditum obtinere potuisse, irâ exasperatus ad hæresim consarcinandam se convertit. Ita Epiphanius, dicens: *Quamobrem extimulatus invidiâ: quod non principem illic locum, ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit.* Quæ indicare videntur, Marcionem nedum reditum in Ecclesiam postulasse, sed & locum inter Romani Cleri presbyteros ambiisse, & consequenter ante discessum

tium à Patria presbyterali saltem gradu initiatum. Non enim assentiendum puto Optato Milevitano qui L. 4. contra Parmenianum eum facit Episcopum dicens: *Marcion qui ex Episcopo Apostata factus* &c. Nec Megethio qui apud Origenem Dialogo 1. adv. Marcionem ait: *Episcopus meus fuit Marcion*; Cùm nemo Patrum hoc asserat: nisi fortè dicatur, Episcopum habitum fuisse Marcionem à Marcionistis, qui eum ut Caput & Rectorem suum venerabantur.

VII. Addit Epiphanius, Marcionem initio suæ reprobationis cum Ecclesiæ Romanæ presbyteris disputare cœpisse; cùmque ei ut volebat, non responderent, sed potiùs responsio illorum ejus nequitiam feriret, indignatum palam eis comminatum ita fuisse: *Cur me recipere noluistis? responderunt illi. Nobis injussu venerandi Patris tui facere non licet. Una siquidem fides est, & animorum una consensio; neque contra spectatissimum Collegam patrem tuum moliri quidpiam possumus. At ille vehementiùs excandescens, ac superbiâ invidiâque percitus, schisma conflavit & privatam hæresim architectatus est: & Ecclesiam, ait, vestram ego dissociabo, in eamque schisma sempiternum immittam: quod ille re verâ, nec mediocre quidem injecit; non ita tamen ut Ecclesiam, sed ut se potiùs ac suos discinderet.* Hæc Epiphanius.

VIII. Utrum verò suæ hæresis initia Romæ primò Marcion ob repulsam jecerit, an verò eam è Patria secum Romam asportaverit, disquiritur. Et quidem hoc secundum satis probabile redditur ex Clemente Alexandrino L. 7. Stromatum, qui Marcionis hæresis initia temporibus Hadriani statuere videtur; quod magis auget Philaster Hæres.45. dicens, Marcionem hæresim suam Romæ seminasse, cùm jam à beato Joanne Evangelista (ideft à discipulis ejus) & à presbyteris Asiæ devictus esset, & à Civitate Ephesi fugatus. Quare hinc Petavius in Animadversion. ad Hæresim 46. Epiphanii colligit, Marcionis hæresim non Antonino imperante, sed sub Hadriano cœpisse: ita quidem, ut sub Hadriano primùm eruperit, postea verò sub Antonino longè latèque propagata, celebre sibi nomen pepererit. Idem quoque sentit Pagius in sua Critica ad Annales Baronii ad ann. 144. núm.2.; in hac enim, sicut & in aliis hæresibus, initii & augmenti tempora sunt distinguenda. Hoc confirmatur ex S. Hieronymo Ep. 43. ad Ctesiphontem dicente: *Marcion Romam præmisit mulierem, quæ* decipiendorum *sibi animum præpararet*. Ac fortè misit illam mulierem quam priùs in Ponto stupro corruperat.

IX. Hoc admisso, credibile est, quòd Marcion, dum sub Monachi specie malitiosam tegeret hypocrisim, hæresis suæ semina in

in Asia spargere apud aliquos sensim cœpisse, donec tandem stuprum adjiciens, & ob hoc detectus & diffamatus apud Patrem suum Episcopum, ab Ecclesia ejectus fuit, & duplici quidem titulo, & stupri & etiam hæresis. Nec dictis obstat, quòd Romam adveniens absolvi ab excommunicatione petierit; nam hoc petiit, non quòd suorum lapsuum pœnituerit, sed ut in communionem receptus, ac liberè cum fidelibus communicans, posset suæ hæresis venenum incautis ac simplicibus paulatim, qui hæreticorum mos est, insinuare. Quod enim non humilitate ac pœnitentiâ ductus se in Ecclesiam admitti postularit, liquet ex dictis; nam se inter principes Romani Cleri recipi superbè præsumebat, videnſque se nec in Ecclesiam recipi, elatâ fronte, schisma minatus est. Id mihi in hoc difficultatem ingerit, quòd Patres communiter sentiant Marcionem discipulum Cerdonis fuisse. Unde videns se à Romana Ecclesia rejectum, dicit Epiphanius, quòd *ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit*. Si autem priusquam Romam adventasset, suas hæreses in Asia jam docuisset, ad hæresim Cerdonis confugere non eguisset, nec ejus se discipulum profiteri, cùm posset ejus magister dici. Huic tamen responderi potest, Marcionem Romæ Cerdonis scholæ se addixisse, ejusque se discipulum fecisse, quia hæresis illius valdè affinis erat cum ea, quam ipse in Asia docuerat, cuique ipse alias multas addebat de suo; quæ tamen cùm non essent Romanis notæ, hæresi Cerdonis adhærere pro eo saltem tempore existimavit. Hæc probabilia sunt. Quod sibi placuerit Lector eligat.

X. Diu tamen Romæ moram fecit Marcion, nempè sub Pio, Aniceto, Sotero, & Eleuthero; nunquam tamen in fide constans, sed modò se Catholicum simulans, modò ut verè erat se apostatam manifestans. A Pio enim in Ecclesiam admissus, sed relapsus, sub sequentibus Pontificibus mansit, modò exomologesim faciens, modò ejectus, modò in communionem iterum admissus, modò eâ privatus, tandem sub Eleuthero in perpetuum relegatus fuit. Ita Tertullianus L. de Præscript. c. 30. *Donec*, inquit, *sub Episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, quâ fratres quoque vitiabant semel & iterum ejecti: Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum dissidium relegati venena doctrinarum suarum disseminaverunt*. Ex quibus idem Tertullianus L. de Præscript. c. 4. colligit, tantùm Catholicæ fidei calorem in Marcione primitùs fuisse, ut & pecuniam Ecclesiæ inferret, quod & Apostolorum tempore primi fideles faciebant Act. 4. v. 35. pretia bonorum suorum, quæ vendebant, ponentes ante pedes Apostolorum: quod etiam hisce tempori-

poribus aliquâ ratione imitantur, qui in Monachali Ordine professionem emittunt. Quemadmodum verò argentei à Juda proditore in templo illati unà cum ipso à templo ejecti fuere: ita pecunia à Marcione in Ecclesiam delata, eo fidem frangente, unà cum ipso ab Ecclesia projecta fuit.

XI. Cùm S. Polycarpus Smyrnensis Episcopus Romam sub Aniceto venisset, Marcioni sibi occurrenti atque dicenti, *cognosce nos*, vel ut alii volunt, *cognoscis nos?* respondit: *Cognosco te primogenitum Satanæ*. Ita refert Irenæus L.3. c.3. his verbis: *Et ipse autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi & dicenti*, Cognoscis nos? *respondit*: Cognosco te primogenitum Satanæ. *Tantum Apostoli & horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem.* (ad Tit.3.10.) Hujus Marcionis cum Polycarpo congressus occasio hæc fuit, inquit Halloixius Not.ad Vit.Polyc.: Marcion aliquot comitatus discipulis Romam obambulans veniebat: hinc contra Polycarpus cum suis, sed humilis ac modestus. Marcion ergo natu minor Polycarpum senio fessum, & maximæ auctoritatis virum, sive ejus sanctitatis conscius, sive recipiendæ à tanto viro resalutationis cupidus, eum prior salutavit: Polycarpus autem honorare Hæresiarcham dedignatus præterivit inresalutatum: tum ille despectum se sentiens: *Cognosce nos*, inquit, *Polycarpe*. Hic autem cùm suis vellet relinquere exemplum fugiendarum ejusmodi pestium: *Cognosco te*, inquit, *Primogenitum Satanæ*, sicque pertransivit. Volebat Marcion specie congressus cum tanto viro, auram sibi, quasi eadem cum ipso sentiret, aucupari, & plures decipere. Sed spe frustratus fuit; nam evulgatâ rigidâ Polycarpi sententiâ, multi jam ab eo decepti resipuerunt. Hujus Marcionis cum Polycarpo occursus meminere etiam Eusebius L.4. Hist. c.14., Hieron. de Script. Eccl. c.17. & alii.

XII. Quid dicendum sit de Marcionis moribus, paucis absolvam. Hypocritam eum vocat Tertullianus Lib.1. adv. eum c.15. & jure: nam ut notat c.29., sub servandæ continentiæ specie nuptias damnabat, easque damnando omni incontinentiæ aditum præbebat; imò ex dictis stupro Virginis à se sub ementita Monachi specie violatæ se famosum reddidit; quam ut ex Hieronymo adnotavimus secum etiam Romæ habere voluit. Et ex quo Cerdoni se adjunxit, ac cum Valentinianis communionem habere non renuit, in eorum quoque moribus turpissimis communicasse credibile est.

XIII. Annus mortis ejus incertus est. Sub Eleuthero eum obiisse & quidem pœnitentem, indicat Tertullianus c. 30. Lib. de Præ-

Præscript. his verbis: *Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, cùm conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros quoque, quos perditioni effudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est*. Quibus habetur, Marcioni pœnitentiam confesso, fuisse ab Eleuthero oblatam pacem si tamen quasdam conditiones implevisset, & præcipuè, quòd eos, quos suis erroribus ab Ecclesia abduxerat, Ecclesiæ restitueret; quæ tamen morte præventus implere non potuit opere: an verò animo & corde, & verè pœnitens, ac implere paratus obierit, soli Deo notum est. Ecclesia certè hoc non novit, quæ inter hæreticos in hæresi mortuos quovis seculo Marcionem recensuit.

XIV. Hinc contra eum plures Ecclesiæ Patres calamum acuere; inter quos Justinus Martyr, quem contra Marcionem Librum scripsisse, Eusebius L. 4. Hist. c. 18., & Hieron. de Script. Eccles. c. 23. testes sunt. Irenæus L. 3. & 4. ubi Marcionistarum hæresim strenuè impugnat. Tertullianus Libros 5. contra Marcionem scripsit, & rursus Poema (si tamen hoc Opus illius est). Epiphanius Hæres. 42., & ex Hieronymo de Scr. Eccles. Theophylus Antiochenus, aliique.

Plures etiam suæ Sectæ reliquit discipulos, inter quos numerantur Lucanus, Blastus, Synerus, Prepo, Bython, Hermogenes, Apelles, aliique. Secta hæc, ut tradit Epiphanius, suâ ætate per præcipuas Orbis partes vagabatur: *Hæc hæresis*, inquit, *bodie non modò Romæ & in Italia reperitur, sed & Ægyptum ac Palæstinam, necnon Arabiam & Syriam, Cyprum ac Thebaidem, imo etiam Persidem, aliasque regiones longè est latèque pervagata*. Temporibus etiam Constantini Magni eam perdurasse, scribit Eusebius L. 3. ejus Vitæ c. 64. nam inter alios hæreticos, etiam Marcionistas editâ Constitutione damnavit. Tum etiam quarto labente seculo Arcadio imperante, ut refert Theodoritus L. 5. Hist. cap. 31., in quodam Cypri loco vici aliqui hâc peste infecti erant. Imo Theodoriti ætate adhuc supererant, ut ipse L. 1. Hæret. Fab. de quodam Sene Marcionita enarrat his verbis: *Novi autem quendam eorum* (Marcionitarum) *Senem nonagenarium, qui sputi sui excremento faciem suam lavabat, & causam rogatus, dixit, se nolle opus habere Creatore, nec aquam, quæ est ex illius operibus, accipere. Cùm autem præsentes dixissent: Quomodo comedis, quomodo bibis & vestiris & dormis, & quæ constituta sunt mysteria peragis? Dixit se necessitate adductum hoc facere, quòd nec possit aliter vivere, nec mysteria peragere: & confessus est insanus, vel invitus, nihil habere eum qui ab illis vocatur bonus, sed omnibus bonis frui ex operibus Creatoris*. Ecce insaniam veritate confusam. Sed de hoc statim.

§. II.

Errores de Deo, & Christo.

I. MArcionem in tollenda Dei unitate cum hæreticis anterioribus conspirasse, extra dubium est. Solùm controvertitur, an duos tantum Deos, seu duo Principia admiserit, unum videlicet bonum sed ignotum, alterum justum, aut si velis non bonum: an verè hisce duobus tertium addiderit, seu veriùs phantasiatus sit. Justinus, Irenæus, Augustinus de Marcione loquentes, duplicis tantum Principii meminerunt; quamvis S. Augustinus excitet dubium, an Marcion vel alius tertii Principii auctor extiterit, his verbis: *Marcion, à quo Marcionistæ sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus Principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse Principia, bonum, justum, pravum: sed Eusebius Synerum quendam, non Marcionem trium Principiorum scribit auctorem*. In hac sententia est quoque Tertullianus Lib. 1. adversùs Marcionem c. 2. dicens: *Duos Ponticus Deos adfert tanquam duas symplegadas naufragii sui; quem negare non potuit, idest Creatorem, idest nostrum; & quem probare non poterit, idest suum*, & hoc toto Libro confutat.

II. Theodoritus verò in hoc singularis, non tria tantùm, sed quatuor admisisse principia Marcionem, scribit L. 1. Hæret. Fab. c. 30. dicens: *Marcion autem Ponticus cùm hæc à Cerdone didicisset* (de duobus principiis) *non fuit traditâ sibi doctrinâ contentus, sed etiam auxit impietatem. Quatuor enim ingenitas substantias oratione suâ confinxit, & hunc quidem vocavit bonum & ignotum, quem etiam appellavit Patrem Domini; illum verò Opificem seu Creatorem, & Justum, quem etiam malum nominabat; & præter hæc Materiam, quæ mala est, & alii mala subest;* pro quarto autem ponebat Serpentem. Sed hanc Theodoritus refert, velut quorumdam Marcionitarum sententiam, ait enim: *Hi etiam Serpentem Creatore meliorem & præstantiorem audent dicere. Hic enim arboris cognitionis participes esse vetuit, ille verò permisit. Nec animadvertunt impii, quòd Serpentis consilium mortem peperit. Nonnulli itaque eorum Serpentem quoque venerantur: & ego quidem apud eos inveni Serpentem æneum in arcula quadam situm cum execrandis eorum mysteriis.* Hactenus Theodoritus. Qui tamen hoc quartum non proponit tanquam de sententia Marcionis, sed quorumdam Marcionitarum sui temporis, qui ex dictis in Cyro adhuc extabant. Hi enim erroribus Marcionis hunc addebant ex Ophitis sumtum, quòd Serpentem ut Deum venerabantur.

III. Ca-

III. Cæterùm quod hîc de Marcione in controversia apud Patres venit, est, an duo tantum cum Cerdone admiserit principia, an verò tria. Pro primo stant præcitati Justinus, Irenæus, Augustinus, Tertullianus: quibus adjungi possunt Cyprianus Epist. 74. ad Pompejum, Philaster Hæres. 45. & alii communiùs. Pro secundo verò adsunt Megethius apud Origenem in Dialogo de recta in Deum fide sect. 1. p. 3., qui Marcionitam referens, tria principia statuit, nempe Deum Patrem Christi, qui sit bonus, & præsit Christianis; alium Conditorem, qui præsit Judæis; & tertium ab his diversum, qui præsit Ethnicis. Item Cyrillus Hierosol. Catech. 16., Athanasius in Decret. Nicænæ Synodi, Abulpharajus in Hist. Dynastiarum, ubi Marcionem dicit tres Deos posuisse, Æquum, Bonum, & Malum. Et ex his Æquum in malo, idest materia, opera sua exercuisse, & ex eo Mundum condidisse. Bonum verò cùm vidisset Mundum in malam partem trahi, filium suum misisse, ut homines ad cultum Dei Patris invitaret. Tandemque Epiphanius Hæres. 42. num. 3. ubi ait, quòd cùm Cerdo duo principia statuerit: *Marcio tertium ad illius dogma principium adjecit, ut omnino tria sint: quorum unum sit supremum, quod neque nomine comprehendi, neque visu percipi possit, quem & Bonum Deum appellat, quo nihil fit eorum, quæ in Mundo sunt, conditum. Alterum verò Deum esse dicit aspectabilem & Creatorem. Tertium denique Diabolum inter ambos illos, aspectabilem scilicet, & eum qui aspici nequit, interjectum. Ex iis qui Creator est & Opifex viderique potest, Judæorum esse Deum, eundemque Judicem.* Hæc Epiphanius, in hoc dissentiens à Theodorito & Albupharajo, quòd illi pro tertio principio ponunt Materiam, iste verò Diabolum.

IV. Sive ergo Marcion duo tantùm principia statuerit, sive tria, sive quartum non ipse sed ejus discipuli, præcipuè Synerus, ut vult Augustinus, & ex Rhodone refert Eusebius Lib. 5. Hist. c. 13. intolerabilis semper blasphemia est, destruens Deitatem, cùm destruat Unitatem: qui enim plures Deos ponit, nullum Deum ponit. Si enim duos ponit, redeunt contra Marcionem argumenta, quæ Cap. præced. contra Cerdonem intorsi. Rursus si ejus, quem dicunt bonum, Mundus non est sed alterius: quomodo Deus est, qui non est omnium Dominus? Si non est omnium Dominus, quomodo bonus, qui ea quæ sua non sunt sed alterius invadere, eaque Domino eripere tentat? Ita Epiphanius n. 6. *Si enim non ipsius peculiaris est Mundus, & in eundem Unigenam suum nihilominus immisit, ut ex alieno Mundo, quod nec severat nec fecerat auferret: necesse est, illum vel alienorum cupiditate, vel penuriâ laborare, ut*

cùm propriis careat, in ea quæ alterius sunt manus immittat, quo sibi quæ antea non habebat usurpet.

Alter verò Deus, quem vocant Mundi Conditorem & justum, dum vindicat ea quæ in Mundo sunt & sua sunt, justè procedit, & nedum justus sed bonus est. Alter verò qui in aliena se intrudere vult, nec justus nec bonus erit. Iterum: Ille quem dicunt Judicem, vel de suis tantùm judicat, vel de eis etiam quæ sunt Dei alterius. Si de suis tantùm, quis de alienis judicabit? Si de omnibus judicat præmiando bonos, puniendo malos; alter Deus quid facit? Ergo qui justus est, bonus etiam est & altero potentior. Qui verò bonus dicitur, bonus non erit si justus non est. Audiamus Epiphanium: *Conditor porrò quomodo inter utrosque judicabit, aut quorum omninò causam disceptabit? Si enim de iis, quæ in supremi illius possessione sunt, judicium exerceat, erit supremo illo potentior: utpote qui quæ ejus sunt suum ad Tribunal, cognitionemque transferat, ut quidem Marcioni videtur.* Atque inde probans, quòd si Judex est & justus, necesse est ut sit etiam bonus, quia ei qui bona fecit, bona rependat, mala verò qui fecit mala; subjungit: *Vicissim verò nec ille bonus erit, qui eum qui malus est in fine præmiis afficit, nisi fortè resipuerit; quamvis modò* super bonos ac malos oriri Solem suum faciat, atque imbrem suum largiatur, *propter eam, quæ in malis perinde ac bonis cernitur, arbitrii libertatem.*

V. Transiens verò ad expugnandos eos, qui Tertium addunt principium: *Nunc*, inquit, *illud velim mihi respondeas, unde tria illa Principia idipsum quod sunt obtinuerint: aut quis singula suis finibus ac regionibus descripsit? Nam si Deorum quilibet suo loco definitur, non amplius perfecta tria illa censentur, quæ certis comprehensa sunt ac circumscripta spatiis: estque idipsum quod continet eo quod continetur majus; neque quod ejusmodi ambitu cingitur, Dei appellationem meretur, sed spatium illud utique, quo suis ipsum limitibus complectitur.* Deinde prosequitur quærens, an postquam ex iis tribus quisque suam sedem obtinuit, eâ contentus alienam non invadit: & sic non erunt ampliùs sibi contrarii, sed in pace quisque suam gubernabit. An verò unus alterius sedem invadit, puta malus sedem boni, vel bonus sedem mali; injustus ac tyrannicus invasor erit, quia invadit rem quæ nihil ejus interest, sed alienam. Atque inde supremus, ut ajunt, Pater non erit bonus, dum misit Filium suum, ut usurparet alienum.

VI. Quia verò dicebant, supremum ac bonum Deum misisse filium suum, ut vindicaret injuriam à malo Deo illatam Deo Conditori, & abutebantur dicto Apostoli: *Christus nos à maledicto redemit factus pro nobis maledictum* (Galat. 3. v.13.) Indeque inferebant:

bant: *Si ipsius essemus non utique quod jam suum erat redemturus fuisset. Cùm igitur redemisse dicatur, necesse est alienum in Mundum pedem posuisse, ut nos qui illius non essemus redimeret. Opus enim eramus alterius, ideoque nos vitam ad suam transportandos redemit.* Ita illi & quidem stolidissimè.

Eis ergo Epiphanius respondet. Et quidem ad primum. Valdè infirmus & imbecillis erit Deus ille Conditor, si opus suum à bono & malo tueri non valet, fietque tandem ut illud amittat, & partim à malo in suam regionem, partim à bono in superiora transferatur. Ad secundum verò monet, eò Christum dici factum pro nobis maledictum, quia maledictum, quo peccatum tenebamur, Crucem ascendens à nobis abstulit & dissolvit. Deinde mandat eis ut observent, quòd Paulus non dicit à maledicto nos *emit*, sed nos *redemit*: non enim in alienum venit, ut quod alterius erat, illud emendo faceret suum; sed redemit, ut quod jam suum erat, & peccati mancipium se fecerat, voluntate & misericordiâ tractus, à servitute peccati solutum ad se iterum traheret, & libertati, in qua illud condiderat, restitueret.

VII. De Christo cum Cerdone & aliis ante ipsum docebat, quòd neque verè natus, neque verè passus ac mortuus fuerit, cùm umbram potiùs, & humani corporis phantasma, quàm verum corpus habuerit. Inde ex Evangelio Lucæ, quod solum, ut dicam, admittebat, omnia ea quæ Christi generationem nativitatem, sicut & genealogiam temporalem spectant, eraserat. Hinc Tertullianus L.3. adv. Marcionem c.8. *Desinat*, inquit, *nunc Hæreticus à Judæo, aspis (quod ajunt) à vipera mutuari venenum, evomat jam hic proprii ingenii virus phantasma vindicans Christum. Nisi quòd & ista sententia alios habebit auctores præcoquos & abortivos, quodammodo Marcionitas, quos Apostolus Joannes Antichristos pronuntiavit, negantes Christum in carne venisse, & tamen non ut alterius Dei jus constituerent, quia & de isto notati fuissent, sed quoniam incredibile præsumserant Deum carnem; quo magis Antichristus Marcion sibi eam rapuit præsumtionem, aptior scilicet ad renuendam corporalem substantiam Christi, qui ipsum Deum nec auctorem carnis induxerat, nec resuscitatorem, optimum videlicet, & in isto diversissimum à mendaciis & fallaciis Creatoris? Et ideo Christus ejus ne mentiretur, ne falleret, & hoc modo Creatoris forsan deputaretur, non erat quod videbatur & quod non erat mentiebatur, caro nec caro, homo nec homo. Proinde Deus Christus nec Deus. Cur enim non etiam Dei phantasma portaverit?* &c. Quibus duo indicat. Unum, quòd Marcion veram carnem Christo tribuere noluerit, quia carnem mali Dei opus, & Christum boni Dei filium asserebat. At si ita est,

eſt, cur Chriſtus carnis ſpeciem aſſumens mali potiùs quàm boni Dei filium ſe mentiebatur? Alterum quòd in hoc errore Marcion pejor fuit, cùm multi S. Joannis Evangeliſtæ ætate Chriſtum in vera carne veniſſe negarint; alio tamen motivo adducti: non enim hoc dicebant, ut alterius Dei jus conſtituerent. Error quidem inter multa ſubjungit, quo *everſum eſt totum Dei opus, totum Chriſtiani nominis pondus*, & fructus.

VIII. Propterea in eo confutando totus eſt Tertullianus ibi. Origenes Dialog. 3., Irenæus, & alii. Inter hos Epiphanius Hæreſ. 42. ſuper illa verba à Marcione in ſuo Evangelio retenta: *Judam Iſcarioten, qui fuit proditor*. Lucæ 16. 15. Refutat. 4. ſic eum redarguit: *Cujuſnam obſecro? Nimirum illius qui comprehenſus, imo & in Crucem ſublatus multaque perpeſſus eſt. Quânam igitur ratione comprehenſus affigi Cruci potuit, qui contrectari manibus, ut exiſtimas, non poteſt, o Marcio? Nihil enim præter inanem ſpeciem tribuis*. Item ex illo Lucæ 7. v.36. *Et ingreſſus in domum Phariſæi diſcubuit. Mulier autem peccatrix retrò ſtans ad pedes, lacrymis rigavit & unxit*. Refutat.10. ait: *Hoc ipſum quòd ingreſſus eſt, habuiſſe corpus oſtendit . . . Tum accumbere nullum ad alterum pertinet, quàm ad eum, cujus accumbens corpus mole ſit præditum. Item quòd mulier pedes irrigat; non ſimulacra fuiſſe pedum inania demonſtrat*. Et advertens v.44. Chriſtum dixiſſe: *Hæc lacrymis rigavit pedes meos, & unxit, & oſculata eſt*. Refutat. 11. addit: *Ne ita putares, ò Marcio, ſolâ hominum opinione Salvatoris pedes rigaſſe, unxiſſe, atque oſculatam eſſe mulierem, idem ipſe Dominus adſtipulator accedit; ac non opinione iſtud accidiſſe ſolâ, ſed re ipsâ demonſtrat, & non ad Phariſæum modò, ſed ad te, ò Marcio, tuoſque redarguendos iſtud affirmat & prædicat „* Hæc, *inquit*, unxit pedes meos, & oſculata eſt „. *Quoſnam obſecro pedes, niſi ex carne, oſſibus, cæteriſque partibus compoſitos?* His, aliiſque ex Evangelio Lucæ, quod ſolum, & quidem corruptum, ut dicam, Marcion admittebat, eum redarguit Epiphanius, quæ Studioſus percurrere poterit.

IX. Porrò quia Marcioniſtæ utebantur dicto Chriſti Lucæ 8. v.19., ubi viſus eſt negaſſe ſe ex Maria Matre natum; eis reſpondet idem Epiphanius Refut. 12. *Scito, non his verbis negatam eſſe Matrem, ſed ejus importunitatem repreſſam, qui tantâ multitudine circumfuſâ, dum ſalutaris doctrina profunditur, ipſeque adeò in curandis corporibus ac prædicando Dei verbo totus occupatur, ſic eum auſa eſt alloqui*. Ita etiam Ambroſius Lib. 6. in Lucam ad verba Chriſti: *Mater & fratres mei hi ſunt, qui Verbum Dei audiunt, & faciunt*. Iſta ſubjungit: *Ergo hìc non, ut hæretici quidam tendiculas aucupantur, Mater negatur, quæ de Cruce etiam agnoſcitur, ſed ne-*

necessitudini corporali præscriptorum cœlestium forma præfertur.

X. Qui duplicem saltem Deum finxerat Marcion, duplicem quoque statuit Christum. Ita Optatus Milevitanus L. 4. adv. Parmen. *Marcion, qui ex Episcopo Apostata factus, inducebat duos Deos, & duos Christos* (Ut enim supra dixi in opinione erat Optatus, Marcionem antea fuisse Episcopum). Eundem errorem tangit Justinus Martyr in Apolog. 2., & præcipuè Tertullianus L. 4. adv. Marcionem c. 6., ubi apertiùs Marcionis sententiam exponens ait: *Constituit Marcion, alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus à Deo quondam ignoto revelatus sit in salutem omnium gentium: alium qui à Deo Creatore in restitutionem Judaici status sit destinatus quandoque venturus.* Quibus vanam Judæorum spem suum Christum adhuc expectantium erigere tentabat.

XI. Quia Marcion asserebat, *Christum* (ut ait Epiphanius n. 4.) *ideo de Cælo delapsum illo à Parente qui nec videri nec nominari potest, ut & animas liberaret, & Judæorum ac Legis & Prophetarum, atque istiusmodi cæterorum Deum redargueret;* consequenter dicebat, Christum qui jam venit descendisse usque ad Inferos, *ut & Caino, & Core, ac Dathan, & Abironi, necnon Esau, ac nationibus omnibus, quibus Judæorum Deus fuerat ignotus, salutem afferret. Abelum verò, Enochum, Noemum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Moysen, Davidem, ac Salomonem illic relictos; quoniam Judæorum Deum agnoverunt, qui Universitatis conditor & fabricator est, ejusque leges ac instituta secuti sunt: ac non se potiùs alteri illi Deo, qui videri oculis nequit, addixerunt.* Ita Epiphanius: & ante ipsum Irenæus c. 29. modò 27. dicens: *Super blasphemiam autem, quæ est in Deum adjecit & hoc, verè Diaboli os accipiens, & omnia contraria dicens veritati: Cain & eos qui similes sunt ei, & Sodomitas & Ægyptios, & similes eis, & omnes omnino gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse à Domino, cùm descendisset ad inferos, & accurrissent ei, & in suum assumsisse Regnum. Abel autem & Henoch, & Noe & reliquos justos, & eos qui sunt erga Abraham Patriarcham cum omnibus Prophetis, & his qui placuerunt Deo, non participasse salutem.* Hic error fortè ex antecedente sequebatur, quo duos Christos admittebat, unum, qui jam venit, & hunc missum ad salutem gentium à Deo ignoto, salvasse omnes, etsi impios, qui Deo Legis non servierant: alterum à Deo Legis in salutem Judæorum mittendum, & hunc omnes illos, qui Deo Legis paruerant, liberaturum.

XII. Sed omni ex parte ruit hæc machina: primò verbis Christi à Marcione retentis in Evangelio Lucæ c. 11. v. 47. *Væ vobis, quoniam ædificatis sepulcra Prophetarum, & Patres vestri occiderunt illos.*

illos. Ubi Epiphanius Refutat. 27. ait: *Quandoquidem Prophetas curæ sibi esse significat, ut eorum necem interfectoribus exprobret, apparet minimè ab eo alienos extitisse, sed servos, qui & advenienti illi viam quodammodo munierint, & novo Testamento testimonio suo suffragati fuerint*. Secundò, cùm in Luca retinuisset Marcion historiam, quam ibi cap. 16. Christus enarrat de Divite & Lazaro, idem Epiphanius Refut. 44. contra eum sic discurrit: *Viden ut inter vivos ac beatos in illa felici sempiternæ quietis hæreditate Abrahamus à Domino numeretur, & in sinu ejus Lazarus acquiescat? Desine igitur, Marcio, Abrahamo maledicere, qui Dominum agnovit suum, eumque sic allocutus est*. Gen.18. v. 25. „ Domine qui judicas universam terram „. *Ecce tibi justum hunc fuisse testatus est Dominus, nec ab ea vita, quam Salvator ipse commendat, alienum*. Hæc Epiphanius: qui etiam Refut. 46. ex illis verbis, Abrahæ à Salvatore tributis Lucæ 16. v.29. *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos*, ait: *Post obitum enim Salvator in parabola testatur, illum per Legis dogmata Prophetasque salutem esse consecutum, tametsi ante Legem illa factis expressisset. Similiter eos qui Legem postea servassent, ac Prophetis obtemperassent, in sinu ejus acquiescere, & ad vitam cum ipso pervenire. Quorum è numero Lazarus fuit, qui Legis Prophetarumque beneficio in vitalem beatitudinis illius, quâ Abrahamus fruitur, sinum receptus est*.

XIII. Adamum primum Dei Conditoris opificium Marcionem præ cæteris ejecisse à salute per Christum, credendum est. Porro licèt de Adami salute Scriptura expresse non loquatur, verè tamen sentit Ecclesia, eum cum cæteris antiquis Christo descendente ab Inferis translatum esse. Ita S. Augustinus Epist. 99. modò 164. ad Eusebium: *Et de illo*, inquit, *primo homine Patre generis humani, quòd eum ibidem solverit, Ecclesia ferè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecumque hoc traditum sit: etiamsi Canonicarum Scripturarum expressa non proferatur auctoritas: quanquam illud quod in libro Sapientiæ* (cap.10. v. 11.) *scriptum est* „ Hæc illum, qui primus factus est, Patrem Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia „ *magis pro hac sententia, quàm pro ullo alio intellectu facere videatur*. Hactenus S. Augustinus: cui ex Scriptura & sensu Ecclesiæ loquenti magis standum est, quàm Marcioni ex capite suo phanatico deliranti. Sed de hoc infra.

§. III.

§. III.

Marcionis errores de Scripturis, Baptismo, Matrimonio, esu Carnium, Resurrectione & aliis.

I. Cum animadverteret Marcion, suis blasphemiis Sacras Scripturas apertè contradicere, omne studium adhibuit, ut eis adimeret auctoritatem, partim eas ex integro rejiciendo, partim corrumpendo, vel mutilando, & quasi corrodendo: unde Tertullianus L.1. adv. Marcion. c.1. *Ponticum murem* Marcionem Ponticum meritò appellat. Vetus ergo Testamentum ex integro repudiabat, utpote continens Legem & Prophetas, quæ omnia, ut à Deo Conditore, quem ille aversabatur, dictata, reprobanda esse dicebat. In hoc tamen errore alii eum antecesserant, ut dictum est, aliqui secuti sunt, ut dicetur.

II. Ex Novo autem Testamento inter Evangelia illud solum Lucæ recipiebat, sed mutilatum & interpolatum, testibus, Irenæo L.1.c.29. modò 27. ubi dicit quòd *solus ausus est circumcidere Scripturas*, & Origene in Philocalia cap.5. Quæ autem ex Evangelio Lucæ eraserit, indicat Epiphanius Hæref. 42. num. 11. his verbis: *Et quidem Marcionitis ille Liber Evangelium secundùm Lucam stylo ipso referre videtur: ut autem ab eo mutilatus est, initio, medio, ac fine decurtatis, corrosi à tineis undique vestimenti simillimus est. Etenim ab ipso statim initio, & unde Lucas exorsus est, nimirum* „ Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem &c.„ *unà cum Elisabethæ & Angeli Mariæ Virgini nuntium afferentis historia, Joannis item ac Zachariæ, adeoque nati apud Bethlehemum Domini, cum ejusdem Genealogia ac Baptismate; hæc inquam omnia circumcidens ac transiliens, inde Evangelium exorditur* „ Anno quintodecimo Tiberii Cæsaris &c.„ *Hoc igitur illius initium est. Neque tamen cætera ordine pertexit; verùm quædam, ut diximus, amputat, addit alia, susque deque, quod ajunt, omnia perturbans nec rectà gradiens, sed malitiosè huc illucque perturbans*. Hæc Epiphanius: qui subinde refert 78. loca ab eo in Lucæ Evangelio depravata, ac deinde ex iis, quæ ex eodem retinuit, illius errores validè refutat. Aliqua supra retuli, alia apud eundem Studiosus adire poterit.

III. Aliis ergo Evangeliis Matthæi, Marci, Joannis, Apostolorum Actis, & Epistolis rejectis, solo Lucæ Evangelio à se tamen corrupto, & Pauli Epistolis decem, depravatis tamen & ipsis, velut auctoritatem habentibus utebatur; quibus aliqua de suo ad-

jiciebat volumina. Ita narrat Epiphanius num. 9. *Epistolas praeterea Pauli Apostoli decem, quibus solis utitur, nec iis quidem integris, sed alia ex illis capita detrahit, alia commutat. Atque hos duos Libros dumtaxat pro Canonicis habet: praeter quos alia insuper à se elucubrata volumina erroris sui studiosis obtrusit. Epistolae verò quae ab illo probantur haec sunt: Prima est ad Galatas. Secunda ad Corinthios prima. Tertia ad Corinthios secunda. Quarta ad Romanos. Quinta ad Thessalonicenses prima. Sexta ad Thessalonicenses secunda. Septima ad Ephesios. Octava ad Colossenses. Nona ad Philemonem. Decima ad Philippenses. Habet & ad Laodicenses Epistolae particulas aliquot.* Hisce tamen non obstantibus, addit Epiphanius: *Ex iis ipsis Libris, quos germanos esse confitetur, procul dubio redarguetur. Ex iis inquam quas adsciscit ac servat Evangelii Epistolarumque reliquiis, apud eos quidem qui sapientiae paululum habeant, manifestè probabimus, nequaquam à Vetere Testamento Christum, aut ab eo cum carne veniente Prophetas abhorrere* &c. Quae omnia exactè inferiùs demonstrat Epiphanius.

IV. Circa Baptismum errabat, quia ipsum pluries iterari docebat. Unde ait Epiphanius num. 3. *Baptismo non semel, tertiò apud illos initiantur.* Deinde causam subjiciens: *Quod*, inquit, *fieri idcircò concessit, quòd à Discipulis suis, quibus fuerat cognitus, ob delictum illud ac virginis stuprum ludibrio esset habitus. Nam cùm virginem in patria constuprasset, & ingentis flagitii convictus aufugisset, alterum sibi circumforaneus iste baptismum adscivit, licere pronuntians ter omninò aliquem elui, ac baptismo peccatorum ad condonationem expiari: ut si quis post usurpatum priorem peccaverit, ad secundum cum poenitentia confugiat, similiterque tertium, si post secundum iterum se delictis obstrinxerit.... Ad quod etiam falsò testimonium quoddam accommodat, quod specie ipsâ probabile possit videri: etsi non eò quò vult pertineat: sic enim asserit, Dominum postquam à Joanne baptizatus est, dixisse Discipulis* Lucae 12. v. 50. „ Baptismo habeo baptizari, & quid volo nisi ut perficiam ipsum? „ *Ac rursùm* „ Calicem habeo bibere: & quid volo nisi ut impleam illum? „ *Unde plures illos baptismos commentus est.* Verùm de alio baptismo quàm aquae loquebatur Christus. In hoc confutando errore hìc non morabor, cùm contra illum egerim in Theologia Tom. 2. in 3. partem Tract. de Baptismo. Qu. 1. Dub. 8.

V. In Baptismo errabat etiam, quia illum conferendi mulieribus potestatem faciebat. Ita Epiphanius num. 4. *Mulierculis baptizandi potestatem facit*; & quidem publicè & solemniter extra necessitatis casum. Nam si solum in casu necessitatis id eis concessisset, non errasset; hoc enim Ecclesia Catholica necessitate

tate urgente omnibus semper permisit: unde Walfridus Strabo L.26. de Ecclesiasticis opificiis: *Ubi*, inquit, *inevitabilis necessitas poscit, meliùs est baptizare ubicumque, & à quocumque in nomine Trinitatis, quàm periclitantem sine remedio deperire*. Quare in Concilio Florentino Eugenius IV. in Decreto Unionis statuit sic: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In casu autem necessitatis, non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia*.

At Marcion non hoc servabat: volebat, omnes indifferenter ex officio & solemniter etiam mulieres baptizare posse. Hoc autem hæreticorum proprium semper fuit, teste Tertulliano Lib. de Præscript. cap. 41. *Ipsæ mulieres hæreticæ, quàm procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere*. Et Lib. de Velandis Virginibus c. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere*. Non mirum autem si oppositum à Marcionitis in praxim verteretur: *Nihil est enim* (inquit Epiphanius loco mox citato) *apud illos nisi ludibrio ac risu dignissimum: cùm vel mysteriis ipsis, adstantibus Catechumenis, operari non dubitent*. Non licebat autem præsentibus Catechumenis mysteria idest Eucharistiam perficere.

An verò tam eorum Baptisma, quàm Eucharistia, valida essent, probabilius censeo quod non. Nam Eucharistiam nec Christi verbis, nec in vino, sed in aqua confecisse, scribit Epiphanius n. 3. dicens: *Ad hæc verò mysteria aquam adhibent*. De Baptismo autem S. Augustinus sub hypothesi loquitur, nihil decernens; Lib. enim 3. de Bapt. contra Donatistas c.15. *Quamobrem*, inquit, *si Evangelicis verbis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata*. Quibus docet, fidem in ministro non esse necessariam ad valorem Baptismi, dummodo illum verbis à Christo institutis conferat. Marcionis tamen Baptisma ab Orthodoxis illorum temporum non fuisse habitum ut validum, colligitur ex Theodorito, qui Epist. 145. ad Monachos Constantinopolitanos scribit, se decem millia Marcionitarum ad Fidem adduxisse & baptizasse. Fortè enim cùm Matthæi Evangelium, in quo c. 28. v.19. Christus præscribit verba, in quibus conferendus est Baptismus, Marcion non reciperet, illum sub aliis verbis conficiebat, & ideò nulliter.

VI. Virginitatem adeò extollebat, ut Matrimonium & carnis

 gene-

generationem ceu malam deteſtaretur. Ita refert Clemens Alexand. L.3. Strom. paulò poſt initium dicens: *Jam verò & ipſe Plato & Pythagorei, ſicut etiam poſtea Marcioniſtæ malam exiſtimarunt eſſe generationem*. Subdit porrò, Philoſophos aliâ ratione quàm Marcioniſtas fuiſſe ductos. Nam Philoſophi nolebant generationem ſuâ naturâ eſſe malam, ſed malam dicebant, quia per eam animæ in corpora velut in carceris & ſupplicii locum traducebantur: at Marcionitæ eam malam volebant eſſe, quia ex mala natura & materia mala à Deo Conditore profectam. Ita Clemens: *Sed Marcioniſtæ quidem dicunt malam eſſe naturam ex mala materia, & à Juſto factam Opifice ac Creatore. Quâ quidem ratione nolentes implere Mundum, qui factus eſt à Creatore, volunt abſtinere à nuptiis, reſiſtentes ſuo Creatori, & contendentes ad Bonum, qui vocavit, ſed non ad eum, qui, ut dicunt, Deus eſt alio modo. Unde cùm nihil hic velint relinquere proprium, non ſunt ex electione & inſtituto continentes, ſed propter odium conceptum adverſus eum, qui creavit, nolentes iis uti, quæ ab ipſo ſunt creata*. Hæc Clemens. Putabant enim, quod qui generationi vacabant, ſervirent Deo Creatori, quem ipſi execrabantur, in generis humani & mundi propagatione. Hinc teſte Tertulliano L.1.adv.Marc. c.29. *Non tingitur* (ideſt baptizatur) *apud illum* (Marcionem) *caro, niſi virgo, niſi vidua, niſi cælebs, niſi divortio Baptiſmum mercata*. Quare nupti, donec in nuptiis manebant, apud Marcionem Baptiſmi incapaces erant, & ſolùm capaces fiebant, ſi per divortium ſepararentur, vel ille qui altero conjuge mortuo, ſuperſtes fieret: quamvis aliqui velint, etiam mortuo collatum Baptiſma fuiſſe. Sed his dimiſſis, ad alia deliria procedamus.

VII. Eâdem ratione quâ generationem malam eſſe dicebat, malam quoque eſſe carnem quæ per illam producitur aſſerebat: ideoque animalium carnibus veſci ſuis interdicebat; & hoc quia omnia iſta à malo Opifice condita erant. Si ergo omnia mala quia à Deo opifice creata, mali erunt cæteri cibi, malus aer, mala omnia, quibus etiam ipſi utuntur mali qui Creatoris opera ſunt. Ita Clemens Alexandr. L. 4. Strom. dicens: *Sed hi quidem, qui propter impium quod adverſùs Deum gerunt bellum, emoti ſunt ab iis cogitationibus, quæ ſunt ſecundùm naturam, Dei longanimitatem contemnentes & benignitatem: & ſi nolunt uxorem ducere, cibis tamen utuntur creatis, & aerem reſpirant Creatoris, ut qui & ejus ſunt opera, & in iis quæ ſunt ejus permaneant: & novam quandam & alienam, ut ajunt, annuntiant cognitionem, etiamſi hoc nomine Mundi deberent Deo gratias agere, quòd hic acceperint Evangelium*. Vel fortè carnes ideo comedere nolebant, quia credentes, ut dicam,

cam, animas transire in corpora etiam animalium, timebant, ne de animatis comedentes, comederent carnem Patris vel Matris, Sororis &c. Piscibus tamen velut sanctiore cibo usos fuisse, fidem facit Tertullianus L. 1. contra Marcionem c. 14. Cæterum carnibus vesci, non esse Christianis interdictum, probat Epiphanius Hæresi 30., quæ est Ebionæorum num. 22., exemplo Christi, qui in Paschate carnes Agni assas cum Discipulis comedit. Christus autem non à Deo Opifice secundùm ipsos, sed à Deo ignoto & bono missus fuerat.

VIII. De Resurrectione Marcion ajebat, solas animas resurgere, non corpora. Hunc errorem supra adversus Cerdonem, à quo illum hauserat, impugnavi. Placet tamen ibi dicta ex S. Epiphanio adversùs Marcionem num. 5. hic repetere, ubi ait: *Qui enim resurgere anima illa potest, quæ nunquam corruit? Quomodo, inquam, ei quæ non cecidit resurrectio tribuetur? Quidquid enim cadit resurrectione opus habet. Cadit autem, non anima, sed corpus, quod idcirco* Ptoma, *hoc est cadaver, consuetudo communis appellat, adeòque Dominus ipse, cùm sic loquitur* (Lucæ 17. v. 37.) „ Ubicumque est *ptoma* idest corpus, illic congregabuntur & aquilæ „. *Neque enim sepulcris animas includimus, sed corpora humi defossa componimus: quibus Divini prædicatione Verbi spes resurrectionis ostenditur. Quemadmodum in frumenti grano, cæterisque seminibus accidit: ex quibus Apostolus ad fidem faciendam exempla produxit: ut & ipsemet in Evangelio Dominus*: Jo. 12. v. 24. „ Nisi, *inquit*, granum „ frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum ma- „ net „. *At Apostolus cùm idem argumentum pertractat, insipientem eum appellat, qui non credit, aut omnino hæsitans interrogat*: „ Quomodo fit resurrectio? quali autem corpore venient „! *Ac statim contra illos sic disputat* „ Insipiens, tu quod seminas non vi- „ vificatur, nisi priùs moriatur „. *Qua ex Scripturæ auctoritate planè illud intelligimus, grano illi quod cadit, hoc est, consepulto corpori, non animæ, resurrectionem esse vindicandam. Etenim quomodo anima sola veniret, aut regnare sola posset, quæ cum corpore quod vel justum vel malum est, communiter exercuit? Esset quippe justitiæ minimè consentaneum & alienum*. Hactenus Epiphanius.

IX. Præstat quoque de hoc audire Theodoritum Lib. 5. Divin. Decret. Epitome Cap. de Resurrectione ita loquentem: *Resurrectionis spem accipimus, corporum autem resurrectionem expectamus: hoc enim declarat ipsum Resurrectionis vocabulum apud Græcos, nempe* Anastasis. Anastasis *enim dicitur, quasi* anothen stasis, *quasi dicas, quæ fit è superis restitutio: est autem corpus quod interit & dissolvitur, & in terram mutatur* „ Exibit *enim, inquit*, spiritus ejus,

&re-

& revertetur in terram suam ,, . *Et rursùs* ,, Tolles spiritum ipsorum & deficient , & in terram suam revertentur ,, . *Porrò autem ipse quoque Creator dicit Adæ* ,, Terra es,& in terram reverteris,, . *Hujus ergo quæ fit è superis restitutio jure vocatur* anastasis . *Immortalis enim animæ non est resurrectio , sed ad corpus reversio . Marcion autem , & Cerdo , & Manes , & quicumque corporum resurrectionem non admiserunt, hunc in vitam regressum, tanquam qui omnino fieri non possit , rejecerunt . Quemadmodum enim existimarunt , Deum non posse fabricari absque materia : ita putarunt eum non posse id quod semel est dissolutum , & in exiguum pulverem conversum , & tempore consumtum , in priorem rursùs formam reducere . Atqui ipsi quoque dicunt , Deum accepto è terra cæspite hominem fabricatum esse ; & considerare eos oportuit , quòd quemadmodum tunc eum cæspitem in corpus facilè mutavit universorum Deus , & multas & diversas fecit partes : ita est ei facilè ex parvis his reliquiis corporis substantiam constituere : etenim hoc quoque modo veteri fabricationi non absimili , nunc videmus in matrice fieri , ex parva enim materia seminis producuntur & ossa & membranæ , & nervi , & venæ, & arteriæ & adeps, & caro , & alia omnia , ex quibus corpus constitutum est .* His Theodoritus Marcionitas & alios rationibus , quas nec ipsi negare possunt , validè confundit . Alia insuper addens lectu verè digna , quæ ne prolixior sim , omitto .

X. Animas de uno in alia corpora transmigrare,Marcion asserebat . Ita Epiphanius num. 4. *Animarum denique ab aliis in alia corpora migrationes ac transitus statuit* . Et hæc fortè Resurrectio erat , quam solis animabus tribuebat , quâ scilicet mortuo corpore ad aliud & alia corpora , nedum hominum, sed brutorum animanda transirent ; unde omnes , tum hominum , tum brutorum eiusdem essent naturæ omnes scilicet vel mortales , vel immortales . Sed hæc tractavi agens de Gnosticis. Videri potest Theodoritus Lib.11.qui est de Judicio, ubi Philosophorum sententias de Transmigratione animarum eruditè exponit .

XI. Dictis addi possunt duo . Unum : quòd ut refert Eusebius Lib.5. Hist. c.16. , in Creatoris odium mortem sibi interdum Marcionitæ consciscebant , oblatam non detrectabant ; & hinc Sectam suam non paucis decorari martyribus gloriabantur : putabant enim , corpus exuentes à Creatoris tyrannide se solutos esse , cùm nihil quod esset ejus ampliùs haberent . Quâ nulla major dementia esse poterat .

Alterum : Christiano Principi non licere bellum gerere quacumque ex causa . Inter alias enim rationes , quibus probare nitebantur , Deum Judæorum malum esse , una hæc fuit quòd bellum

lum sæpè præceperat, unde crudelem eum appellabant. Cæterùm ab hoc bellandi præcepto abstinuisse Deum Patrem Domini Jesu Christi, utpote clementem misericordem & pium. Ideoque Christianis, qui hunc Deum colunt, non licere arma in bello sumere. At hunc fuisse quidem Manichæorum errorem, ex S. Augustino L. 22. contra Faustum cap. 74. & alibi apparet; Marcioni verò nemo Patrum, quem viderim, illum tribuit nec Irenæus, nec Epiphanius, nec Augustinus, nec Philaster; unde ab eo impugnando velut Marcionis errore nunc desistam. Scio quidem, in hoc errore fuisse Lutherum, qui in Propositione 29. ex damnatis à Leone X. dicebat: *Præliari adversùs Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos*. Et in Epistola contra duo Cæsaris mandata apud Coccium Tom. 1. Lib. 7. art. 1. ait „ Mendaces „ & obstinati sunt Principes nostri, nec homines ratione præditi, „ sed Germanicæ bestiæ. Oro cunctos pios Christianos, dignentur simul rogare Deum pro hujusmodi miseris obcæcatis Principibus, quibus nos Deus procul dubio magno iræ suæ furore „ corripuit, ne ullo pacto obsequamur, vel in militiam ire, vel „ dare aliquid contra Turcas „. Ita, qui se Ecclesiæ Reformatorem prædicat, Lutherus.

CAPUT XX.

De Lucianistis & Apellitis.

§. I.

Quis fuerit Lucianus, seu Lucanus, & quæ ejus hæresis.

I. Hanc Lucianistarum Sectam S. Augustinus in Lib. de Hær. omittit: eam tamen mediam inter Marcionem, & Apellem ponunt Philaster Hæresi 46., Damascenus, & Epiphanius Hæres. 43. Illius auctorem *Lucanum* appellant Auctor Appendicis ad Tertull. de Præscript. cap. 51., Philaster, & Origenes L. 7. contra Celsum; *Lucianum* verò Epiphanius, & Damascenus. Sive tamen Lucanum, sive Lucianum dicamus, eandem personam, à qua hæc hæresis enata est, nominamus, quidquid in contrarium aliqui sentiant. Advertendum tamen est cum S. Epiphanio citato num. 1., duos Lucianos fuisse, juniorem unum sectâ Arianum, quem Ariani inter martyres adscribunt, qui sub Constantino Epiphanii ætate vixit, seniorem alterum, Marcionis dogmata secutum, de quo hic erit sermo. *Hic igitur* (inquit Epipha-

phanius) *Marcionis ante Sectator, postea ab eodem divulsus privatum sibi gregem contrahens novæ Sectæ factus est conditor, ab eoque Lucianistæ veteres nomen acceperunt.* Qui tamen citissimè restincti sunt.

II. Estò autem novam Sectam condere affectaverit, non alia tamen ac diversa à Marcione dogmata adjecisse, ex eodem Epiphanio colligitur & etiam ex Philastro, qui ait: *Lucanus post istum quidam similia Marcioni statuens ac decernens, ut ille doctor ipsius Marcion, est in omnibus ementitus.* Nam ut idem Epiphanius n. 1. tradit, Principia tria ut Marcion ponebat: unum Creatorem, Judicem, & Justum; alterum Bonum; tertium Malum: pro quo patrocinium ex Propheta Malachia c. 3. v. 14. adducebat: *Vanus est, qui servit Domino.* Item: *Et restiterunt Deo, & salvi facti sunt.* Sed non advertit, illa verba dicta fuisse ab impiis, aliter autem timentes Deum fuisse ibi locutos; sequitur enim v. 16. *Tunc locuti sunt timentes Dominum unusquisque cum proximo suo: & attendit Dominus & audivit ...* Et ait: *Convertimini & videbitis, quid sit inter justum & impium, & inter servientem Deo & non servientem ei.* Quibus apparet, Deum Legis, qui ibi loquitur, fuisse non solùm justum, sed bonum, ut præmiantem justos, & punientem impios.

III. Præter alia magistri sui dogmata Nuptias damnabat. Ita Epiphanius: *Nuptias ille quidem condemnat, & castimoniam profitetur: non hujus amore virtutis, sed ut opera Creatoris evertat. Quare conjugiis interdicit; ex quibus, inquit, propagatâ sobole major in Mundo Conditori ubertas ac copia suppetit. Hoc igitur in Opificis ac Conditoris odium suscipit, ne ex liberorum procreatione illius opera augeantur.* Hæc Epiphanius: addens, hunc errorem, præter dicta contra Marcionem, everti à summa in multis consensione Evangelii, & Veteris Testamenti; cùm Dominus ipse Christi fateatur suam esse Mundi fabricationem, & quidquid conditum est à Patre suo per ipsum factum esse: unde Jo. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* Peto: quis est ille Deus, qui per Verbum fecit omnia? Non alius certè quàm Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui eum in Mundum misit: unde Joannis v. 14. de eodem Patris Verbo, per quem omnia facta dixerat, subjungit v. 14. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Si Deus, qui condidit Mundum, Christum filium suum misit in Mundum: ubi est alter Deus bonus, &, ut ajunt, ignotus, qui aliud non fecit, quàm mittere Christum? Verè Deus ignotus ab eis dicitur,

citur, quia non est iste alius Deus, nisi in eorum insana mente confictus.

IV. Sed quia auctoritatem Joannis Lucianistæ cum Marcione rejiciebant, ideò aliâ viâ ex Epiphanio sunt rejiciendi. Vos enim qui Nuptias rejicitis, ne homines propagando Creatori opes augeatis, à quo conditi estis, sub cujus imperio nati? non alterius sanè quàm Conditoris, qui vos conservat & regit. Dum ab illo receditis ejusque imperium tentatis invadere, nonne Patri ac Principi vestro rebelles estis, ut ejus quem nescitis, quia vobis fingitis, imperata sequamini? Rursùs cibi, vestes, unguenta, potus, quibus utimini, cujus providentiâ vobis ministrantur? non aliâ planè, quàm Dei Conditoris, qui omnium curam gerit, ac *Solem suum super bonos & malos oriri facit.* Hic in eos pariter, qui se contumeliis afficiunt, ac qui ipsum laudant ac prædicant, pluviam demittit, atque alit universos: non temerè quidem, ac sinè ulla ratione; *sed ideò nimirùm, quòd pœnarum ab illo tempus in futurum judicium reservatum est, patienter expectat: ac privatis legibus & sapientiâ cuncta moderatur; quemadmodum beneficam illam erga omnes providentiam decet, ut si qui pœnitentiam susceperint, scelerum omnium oblivionem ab illo nacti, salutem adipiscantur; sin contumeliosis illis Divinum in Numen opinionibus, atque erroribus, quorum Deus auctor non est, insistant; tum merita supplicia post hanc vitam expendant, cùm non amplius voluntatis in eis libertas manebit.* Hoc salutari serioque monito Lucinianistas Epiphanius dimittit.

§. II.

Apelles quis, qualis fuerit, hæresis initia, de Philumena.

I. Transiens verò Hæres. 44. ad Apellejanos, sive Apellitas secundùm Augustinum Lib. de Hæres. cap. 23., dicit, eos principem habuisse quendam Apellem nomine; alium tamen ab Apelle Atheniensi Pisthii filio, & Pamphili Amphipolitani discipulo picturâ celeberrimo, qui Salvatoris adventum præcessit. Unde Tertullianus Lib. de Anima c.36. *Apelles*, inquit, *non pictor, sed hæreticus*. Alium etiam ab Apelle, quem S.Paulus ad Rom.16. v. 10. salutari jubet tanquam virum probum: *Salutate Apellem probum in Christo;* quem Dorotheus in Synopsi refert ab Apostolis fuisse ordinatum Episcopum Smyrnæ ante Polycarpum. Quamvis Theophilus Alexandrinus Epist. seu L.3. Paschali faciat eum Episcopum in oppido Laton: alii tamen existimant, hunc Apostolicum virum fuisse diversum ab Apelle, quem Paulus laudat.

Ut ut sit, certum est, Apellem de quo loquimur non fuisse virum probum, sed nequissimum, primò Marcionis discipulum, postea ab eo apostatam. Ita S. Epiphanius Hæres. 44. num. 1. his verbis: *Lucianum proximè sequitur Apelles: non ille Sanctus & ab Apostolo commendatus, sed diversus ab eo quidam, à quo Apellejani cognominati sunt. Hic Luciani condiscipulus & Marcionis auditor fuit, quemadmodum sæpè fit, ut spinosi frutices multi ex una radice luxuriantes pullulent. Quamquam ille diversa ab aliis quamplurima statuit. Nam & adversùs magistrum suum, & adversùs veritatem ipsam armasse se videtur, quo in errore versantium privatim sibi ipse fabulam quæreret*. Hæc Epiphanius, de quibus infra.

II. Apellis genus & patria in obscuro latent; Syrum tamen genere aliqui faciunt. Romæ domicilium habuisse saltem ad tempus, ibique Marcionis auditorem, & Luciani condiscipulum fuisse ex dictis ab Epiphanio liquet. Porrò cum Marcionem magistrum secutus, in stuprum & ipse fuisset lapsus, Româ & magistro relictis perrexit Alexandriam. Hoc irrisoriè & ironicè describens Tertullianus L. de Præscr. c. 30. ait: *Si & Apellis stemma retractandum est, tam non vetus & ipse quàm Marcion institutor & præformator ejus. Sed lapsus in feminam desertor continentiæ Marcionensis ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit*. Quæ certè per ironiam dicta sunt. Apelles verò factus jam Marcionis scholæ desertor, in aliam feminam impegit nomine Philumenam virginem, seu potiùs immane prostibulum, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit phaneroses scripsit. Ita Tertullianus eodem Libro c. 6. *Providerat jam tunc Spiritus Sanctus, futurum in virgine quadam Philumena angelum seductionis transfigurantem se in Angelum lucis, cujus signis & præstigiis Apelles inductus novam hæresim induxit*.

III. Porrò cùm S. Augustinus hujus Philumenæ meminerit non in Apelle, sed Cap. 24. sequente in Severo, censent aliqui, S. Doctorem memoriâ lapsum ponendo in Severo quod cum aliis antiquis in Apelle ponere debuisset. Alii duas Philumenas comminiscuntur, unam Apellis, alteram Severi sociam: nisi velimus dicere, unam & eandem fuisse Philumenam, quæ utrumque Apellem & Severum seduxerit. Tutiùs tamen dicendum est, vitio Exscriptorum positam in Severo, quam debuissent ponere in Apelle Philumenam: quare in novissima, & accuratissima Maurina editione historia hæc de Philumena in Severo omittitur. Et jure quidem; nam nedum Tertullianus dicto c. 6. & rursùs c. 30. dicit: *Inde post annos regressus non melior, nisi tantùm qua jam non Marcionites in alteram feminam impegit: illam virginem Philumenen (quam supra edidimus)*

dimus) postea verò immane prostibulum & ipsam. Sed præter ipsum eam fuisse Apellis comitem, seu veriùs scortum, referunt Rhodon apud Eusebium Lib. 5. Hist. c. 13. & S. Hieronymus in cap. 1. ad Galat. Ubi ad ea quæ ex Tertulliano c. 6. Libri de Præscr. supra retuli: *Eleganter*, inquit, *in hoc loco vir doctissimus Tertullianus adversùs Apellem & ejus virginem Philumenam, quam Angelus quidam diabolici spiritus & perversus impleverat, hunc esse scribit Angelum, cui multò antequam Apelles nasceretur, Spiritus Sancti vaticinio anathema per Apostolum prophetatum*. De hoc scribit etiam Hieron. Epist. ad Ctesiphontem.

IV. Ea quæ apud S. Augustinum (in Severo tamen ut dixi) de Philumena reperiuntur, sunt „ Quod Philumenam divinitùs ad „ prænuntianda futura inspiratam crediderit, ad quam somnia „ atque æstus animi sui referens, divinationibus ejus seu præsa- „ giis secretò moneri solitus fuerit; eodem phantasmate eidem „ Philumenæ pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens se „ aliquando Christum, aliquando Paulum se esse asserebat. Ad- „ dit, eam quoque miracula nonnulla operari solitam, inter quæ „ illud præcipuum, quòd in angustissimi oris ampullam vitream „ panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis levare „ soleret illæsum: eoque solo quasi divinitùs cibo dato fuisset con- „ tenta „. Ita eisdem ferè verbis ex Augustino.

V. Hujus fanaticæ mulieris deceptionibus illusus Apelles, more cæterorum hæreticorum in hypocrisi loquentium mendacium, sanctioris vitæ cultum affectabat, cui ætatis adjunctâ senectute, venerabilis apud imperitos reddebatur, faciliùsque ex novis revelationibus incautos decipiebat. Hæc ex Rhodone apud Eusebium L. 5. Hist: c. 13. Sed sua mendacia voce prædicare non contentus, ea & scripto demandavit, plures atque diversos exarans Libros, somniis & inanibus revelationibus à sua Philumena acceptis plenos: ex quibus præcipuus fuit quem inscripsit *Phaneroses* ideft revelationum rerumque secretarum, certè insignium nugarum, quas malignus spiritus per Philumenæ organum patefaciebat.

VI. Præter hunc, Libros suos edidit, quos *Syllogismum* nuncupavit, in quibus probare conatus est, falsa esse ea quæ Moyses de Deo scripsit, ut testatur Auctor Appendicis ad Tertull. de Præscript. c. 51. De hoc locutus est Eusebius Lib. 5. Hist. c. 13. dum ait: *Ipse porrò quem diximus Apelles plurima adversùs Legem Mosaicam impiè est locutus, multisque libris maledicentissimis oracula Divina insectatus est*. Specimen objectionum, quas Apelles contra Mosis historiam formavit, exhibet Ambrosius in Libro de Paradiso c. 5.

& seq., ubi nonnulla ex 38. Apellis Tomo allegantur: unde colligere licet, quantæ molis opus hoc volumen extiterit. Inter alias Apellitarum objectiones ab Ambrosio numeratas hæ occurrunt, nimirùm: quomodo lignum vitæ plus ad vitam operari potuerit, quàm insufflatio Dei? Si hominem Deus non perfectum creavit, & quisque perfectionem suam virtute acquirere potest: num homo sibi plus acquirere potuit, quàm Deus illi contulit? Quomodo morte Deus hominem terrere potuit, cùm homo adhuc mortem nesciret, neque eam gustasset? Non solùm autem Moysen & Legem, sed & Prophetas repudiavit. Unde Origenes L. 5. contra Celsum Apellem Judæorum literas pro fabulis habuisse notat. Addit S. Hieronymus in proœmio Evang. super Matth., suum quoque more aliorum sed falsum Evangelium scripsisse Apellem; cujus meminit etiam Origenes in Epistola ad quosdam Alexandriæ degentes adversus suorum Librorum corruptores, apud Ruffinum in Apologia pro Origene, ubi dicit, tam Marcionem quàm Apellem subvertisse Evangelia, quæ verè in eis dicta sunt auferendo, quæ verò falsa sunt inserendo.

VII. De anno, quo hæresim suam spargere cœpit Apelles, controvertitur. Marcionis fuisse coævum certum est ejusque auditorem, ac quousque sub ejus disciplina cum Luciano, & Severo Romæ permansit, purum Marcionitam Sectâ fuisse. Dubium exurgit à tempore, quo ob stuprum Romam & magistrum relinquens, Alexandriam se contulit. Ibi enim Philumenâ repertâ, & comite seu magistrâ erroris adjunctâ, initia suæ novæ Sectæ dedisse verisimile est. Quo autem anno, diffident Chronologi. Post medium secundi seculi videntur convenire omnes: Ricciolius initia refert ad ann. 160., cui tamen obstare videtur silentium Irenæi, qui cùm Librum suum adversus hæreses sub Pontificatu Eleutheri nempè circa ann. 177. conscripserit, sicut hæresis Marcionis meminit, hæresim Apellis non omisisset, si eo tempore jam exorta esset. Alii ergo eam differunt, vel ad ann. 180., vel 183. de quo contendere nolo. Hoc mihi certum videtur, Alexandriæ cœpisse Apellem nova sua dogmata spargere, quæ per Ægyptum totum, inde per Asiam, aliasque Orientis regionis pervulgata brevi tempore totum Orientem infecere.

VIII. Suæ Sectæ Auctorem factum Apellem priusquam Romam rediret, indicat Tertullianus de Præscript. c. 30. dicens: *Indè post annos regressus, non melior, nisi tantùm quà non Marcionites.* Itaque Apelles rediit Romam utique pseudoprophetissam suam Philomenam comitem habens: quo autem anno incertum est. Tertullianus dicit *post annos multos* & fortè Marcione jam è vivis

vis

vis erepto, quem sub Eleuthero decessisse dixi: & probabiliter quidem, ne à Marcione adhuc vivente ob stuprum pudore suffunderetur. Regressus ergo Romam Apelles, ibi, licèt occultè, aperto gymnasio, Romanos quoquè ad suum errorem trahere conatus fuit. Verùm occurrit ei Rhodon, qui tunc temporis Romæ degebat, & habitâ cum ipso super novâ ejus doctrinâ disputatione, hæreticum derisit. Refert hoc Eusebius L. 5. Hist. c. 13. sæpè citato dicens: *Idem Rodon se cum Apelle collocutum esse scribit his verbis*: (verba Rhodonis sunt) *Senex enim Apelles, initio nobiscum colloquio multa quidem perperam dicere convictus est. Quamobrem etiam asserebat, non esse omnino examinandam fidem, sed unumquemque in eo quod semel imbibisset, perstare oportere.... Cùm eum jurejurando adegissem, ut ex animi sui sententia loqueretur, juravit se verum dicere; nec se omnino scire, quâ ratione unus esset ingenitus Deus, se tamen ita credere. His auditis ego hominem deridens reprehendi, qui cum se doctorem profiteretur, doctrinam suam rationibus confirmare non posset.*

IX. Apellem fuisse Tatiano posteriorem tempore pro comperto habeo. Tum quia Tatianus fuit S. Justini Martyris auditor, quod Philaster ipse testatur Hæref. 48. Tum quia Irenæus in Lib. adv. Hæref. qui de Tatiano loquitur, Apellis ut dixi non meminit. Cur autem Epiphanius, Augustinus, & ipse Philaster Tatianum in suis Catalogis post Apellem collocent, non alia ratio esse potest præter eam quam sæpiùs tetigi, nisi quia præfati Auctores non fuerunt solliciti exactum temporis ordinem servare. Sed dum de unius Sectæ auctore sermonem instituerunt, priusquam ad aliam Sectam descenderent, de omnibus illius prioris Sectæ professoribus, quasi cum radice & trunco ramos conjungentes, agere voluere: sic omnes ex Simoniana radice hæreses prodeuntes Nicolaitis quamvis tempore antiquioribus antepofuerunt, quod de aliis dici potest: ita & Marcioni immediatè substituere Lucianum, Apellem & Severum, quia ex ejus schola exiere, estò Tatiano tempore posteriores.

X. De morte, qualitate, tempore, & loco mortis, tum Apellis, tum Philumenæ tacent Scriptores; infelicissimum utriusque, ut meruerant, fuisse exitum credendum est, sivè Romæ hoc contigerit, sive alibi, ut quibus diabolus ad decipiendos homines in hac vita usus fuerat; tandem apud inferos condignas ac æternas pœnas persolverent. Apellitarum Secta, quamvis perniciosissima, brevi in diversas alterius nominis transivit. Tempore tamen Tertulliani extitisse aliquos qui Apellem viderant, & ab eo edocti fuerant, testatur ipse L. de Præscr. c. 30. dicens: *Adhuc in seculo superſunt*,

perſunt, qui meminerint eorum, etiam proprii diſcentes, & ſucceſſores ipſorum, ne ſe poſteriores negare poſſint. Origenis ætate adhuc vigebant Apellitæ, quos per ſingulas Orientis Civitates ipſe eſt perſecutus, habitis adversùs eos coram populis concionibus, ut teſtatur Auctor Prædeſtinati L. 1. Hæreſ. 22. de Apellitis.

§. III.

Apellis errores de Deo, & Chriſto.

I. Apellis errorem de Deo his verbis deſcribit S. Epiphanius Hæreſ. 44. num. 1. *Igitur Apelles, ejuſque factio omnis ita ſentit. Non eſſe principia tria, neque duo, ut Luciano ac Marcioni videtur; ſed unum eſſe bonum Deum unumque Principium ac Virtutem unam nominis expertem. Qui quidem Deus unus, unumque Principium nullam eorum, quæ in hoc Mundo geruntur, curam ſuſcipit. Cæterum ille Sanctus bonuſque Deus, qui à principio Deus eſt ac bonus, alium produxit Deum. Ab hoc univerſa condita ſunt, Cælum videlicet ac Terra, cæteraque, quæ in hoc Mundo cernuntur. Sed hic minimè bonus evaſit, ejuſque opera omnia non benè facta, ac pro mala illius mente ſunt ab illo fabricata.*

Philaſter autem Hæreſi 47. dicit, quòd Apelles *interrogatus à quibuſdam, quonam modo de fide ſentiret, reſpondit. Non mihi opus eſt diſcere à Marcione, ut duo principia aſſeram coæterna: Ego enim unum Principium eſſe prædico, quem Deum cognoſco, qui Deus fecit Angelos, fecit etiam alteram Virtutem, quem Deum ſcio eſſe ſecundum, qui & virtus Dei eſt, quæ fecit illum. Hic autem Deus qui fecit Mundum, non eſt, inquit, bonus, ut ille qui fecit illum: ſubjectus autem Deo illi, à quo factus eſt iſte, qui & nutui & juſſioni & præceptis paret illius in omnibus. Cujus Ariani nunc conſortes ſunt, atque fautores ſic prædicantes, atque ſentientes*. Ita Philaſter.

Qui tamen dum dicit, quòd Deus iſte ſecundus Deo illi, à quo factus eſt, ejuſque præceptis paret in omnibus, ab aliis omnibus Scriptoribus, imo & ab Apelle ipſo recedit: qui verè ſentiebat, Deum ſecundum factorem Mundi quodammodo rebellaſſe à Deo qui fecit illum. Et propterea malè infert, Arianos eadem cum Apelle in hoc ſenſiſſe. Nam Ariani ſecundum Deum quidem ſuo modo introducebant, dum Filium Patre inferiorem ponebant, hunc tamen Patri rebellem fuiſſe, ut Apelles dicebat, nunquam ſomniarunt.

II. Pro hujus rei veritate præter Epiphanium relatum, audiendus eſt S. Auguſtinus, qui L. de Hær. c. 23. refert, Apellitas ſen-

sensisse: *Unum esse principium, Deum scilicet bonum, & ab illo factum alterum: qui cum malignus esset, inventus est in sua Mundum malignitate fecisse*. Auctor Prædestinati cap. 22. *Apelles*, inquit, *unum fatetur principium, hoc est bonum, & ab ipso factum alterum, idest ab ipso uno principio alterum factum est. Quod cùm malignum esset inventum, à bono abjectum est: abjectum verò à bono Principio, hoc Principium quod malignabatur contra boni Principii voluntatem in sua malignitate Mundum fecit*. Ita etiam Zonaras in Acrostico Mariam sic alloquens ait: *Unicum principium prædicat quidem Apelles, o Regina omnium, unumque supremum Deum: at rursus ait, illum unum alterum creasse, quem & pravum Mundi opificem fuisse constituit, cùm ipse pravus sit, ingrataque creatura solo igne digna*. Quare Tertullianus Lib. de Præscr. c. 34. hunc secundum Deum ab Apelle confictum vocat *Deum igneum*.

III. Præterire tamen non debeo, singularem non esse Philastrum in asserenda secundi Dei obedientia Deo supremo, ac sui factori. Nam hoc etiam asseruit Origenes apud Pamphilum in Apologia pro Origene his verbis: *Sed & Apelles licèt non omnibus modis Dei esse deneget Legem & Prophetas: tamen & ipse hæreticus designatur, quoniam Deum qui hunc Mundum condidit, ad gloriam alterius ingeniti & boni Dei eum construxisse pronuntiat, illum autem ingenitum Deum in consummatione seculi misisse Jesum Christum ad emundationem Mundi, rogatum ab eo Deo, qui ipsum fecerat*.

IV. Hæc dicere volui, ut appareat, opinionem Apellis de Deo, quocumque modo exponatur, esse hæreticam. Nam dato, quòd ille Deus secundus ab alio factus suo factori in omnibus obediens fuerit, adhuc tamen errabat, quia eum ponebat Deum, sed secundum, ab alio Deo factum ei in omnibus obedientem, ad cujus gloriam fecit Mundum, & pro ejus emendatione Deum rogaverit, ut mitteret Jesum Christum. Quis enim sanæ mentis concipere potest, Deum esse, qui non sit primus, sed secundus, qui ab alio factus, qui ad gloriam alterius aliquid facit, qui alium rogat? Deus si verè Deus est, primus esse debet non secundus, ante quem nullus sit, & ita à se, ut à nullo factus omnia pro sui voluntate faciat unicè ad gloriam suam non alterius, & quia nullo indigens, sed per se ipsum omnia potens, alterum rogandi ut faciat incapax sit. Cùm itaque Apellis alter Deus sit secundus ab altero primo Deo factus, ei obediens qui ad illius gloriam Mundum condidit, & pro ejus emendatione illum rogaverit; quomodo Deus erit? Nam & Ariani, qui Filium Dei Deo inferiorem asserebant, Deum esse non admittebant, sed inter creaturas principem locum ei tribuebant.

V. In

V. In altera verò opinione, nempè quòd Deus fecundus & ab alio factus adversùs eum malignatus Mundum condiderit, manifestè convincitur, illum quem primum & alterius Dei principium ponebat Apelles, verum Deum non esse. Nam vel fupremus ille Deus bonus & fanctus alterius Dei conditor non præfcivit malitiam alterius Dei, vel præfcivit. Si non præfcivit, qualis Deus erit, qui futura non prænofcit? Si verò præfcivit, quòd alter Deus ex malignitate producturus effet Mundum, & tamen ab eo producendo non abftinuit, ergo voluit, ut in illius malignitate Mundus formaretur: & fic Deus bonus erit etiam caufa hujus Mundi licèt ex adverfa voluntate. Quemadmodum Deus voluit paffionem, & mortem Chrifti ex diverfa tamen voluntate, quâ illam voluerunt Judæi. Hoc difcurfu premit Apellem Epiphanius n. 2. his verbis: *Dic mihi, fodes, Apelles. Hoc enim dabis, opinor: aut illum fupremum Deum futura nefcientem, hunc, quem dicis opera fua malè fabricaffe, effinxiffe Deum: aut cùm talem fore cognofceret, ideo produxiffe, ut eorum effet ipforum caufa, quæ poftea malè condidit. Ex quo confequens eft, fupremum illum Deum planè Creatorem effe, qui unum illum procrearit, à quo condita funt omnia. Quare caufa erit etiam ille; non qui res creatas edidit, fed fummus ipfe Creatoris auctor, qui fit Univerforum opifex.*

VI. De Chrifto autem Apelles malè fenfit. Dicebat enim, eum carnem verè habuiffe, eam tamen non de Maria accepiffe, nec de Cœlo detuliffe, fed ex ætherea & elementari materia fibi formaffe, quam tamen in refurrectione non refumfit, fed in fua redire principia permifit, & fine ipfa in Cœlum afcendit. Ita Epiphanius n. 2. dicens Apellem ter affirmaffe, *poftremis temporibus affuiffe Chriftum, fupremi nimirùm ac boni Dei filium, ejufque Spiritum Sanctum ad eorum fimiliter falutem, qui ad ipfius notitiam pervenirent. Eundem porrò non fpecie apparuiffe folâ, fed re verâ carnem fumfiffe; non de Maria tamen Virgine illam expreffiffe; fed tametfi verâ carne ac corpore effet prædtus, neque ex virili femine, neque ex muliere virgine fibi illud adfciviffe: fed veram aliunde carnem fibi comparaffe. Quod quidem hunc in modum explicat. Cùm, inquit, è Cœlo delapfus effet in terram, corpus fibi quatuor ex elementis affinxit.* Et poft multa: *Deinde Chriftus, ait, femetipfum in corpore ad patiendum fupplicium obtulit, ac re verâ in Cruce fuffixus eft, eamque ipfam carnem difcipulis oftendit. Poftea humanam illam naturam, quam fumferat, refolvens, unicuique elemento, quod proprium erat reftituit: velut calido calidum, frigidum frigido, ficcum ficco, humidum humido. Ita corpore illo quod carne conftabat refoluto, in Cœlum unde venerat afcendit.* Hactenus Epiphanius.

VI. Illis

VII. Illis tamen verbis *In cruce suffixus est*, *eamque ipsam carnem Discipulis ostendit*, dubium videtur parere; an scilicet verba *carnem discipulis ostendit* referenda sint ad tempus Passionis, & ante Passionem, an verò etiam ad tempus post Passionem; ita ut cum carne resurrexerit, & eam solùm in Ascensione ad elementa remiserit. At hoc dubium apertè tollunt Augustinus Lib. de Hæres. cap. 23. dicens, *sine carne resurgens in Cælum ascendit*, & Philaster Hæref. 47. ubi de Apelle scribit: *Ait etiam post Passionem non carnem surrexisse, sed de quatuor elementis, quæ de Mundo acceperat, eaque in terram dimisisse* (idest in sepulcro reliquisse, ut in elementa, à quibus petita erat, iterùm dissiparetur) *ipsum in Cælum sine carne ascendisse asserit*. Et hoc certò tenendum est juxta Apellis sententiam, qui etiam cum Magistris suis asserebat, corpora non surrectura sed animas, ut infra.

VIII. Si quis autem nosse optaverit, unde Christo carnem tribuere, sinè tamen nativitate ex Virgine Maria, didicerit, audiat Tertullianum Lib. de Carne Christi cap. 6. ita dicentem: *Quidam discentes Pontici illius supra Magistrum sapere compulsi concedunt Christo carnis veritatem, sinè præjudicio tamen renuendæ nativitatis. Habuerit, inquiunt, carnem dum omninò non natam. Pervenimus igitur de calcaria, quod dici solet, ad Carbonariam, à Marcione ad Apellem, qui posteaquam à disciplina Marcionis in mulierem carne lapsus, dehinc in Virginem Philumenam spiritu eversus est, solidum Christi Corpus, sed sinè nativitate suscepit ab ea prædicare*. Et Lib. 3. adv. Marcionem cap. 11. idem Tertullianus scribit, quòd Philumena Apelli cæterisque Marcionis desertoribus persuaserit, Christum quidèm circumtulisse carnem, nullius tamen nativitatis, utpotè de elementis eam mutuatum.

IX. At non minorem pseudo-magistra hæc persuasit impietatem, concedendo Christo veram carnem, sed non de Virgine Maria natam, quàm si eidem veram carnem prorsùs denegasset. Nam si Christus veram carnem habuit non ex Maria Virgine conceptam & natam, sed ex elementis immediatè formatam, mendax ergo erit inter cæteros Lucas Evangelista, qui cap. 1. v. 31. inducit Angelum nuntiantem Mariæ Virgini conceptum & partum Jesu Altissimi Filii, *Ecce concipies in Utero & paries Filium* &c.: qui cap. 2. describit partum, & Angelos ad Christum natum videndum invitantes. Mendaces erunt etiam alii, qui Christum dicunt fuisse ex semine David secundùm carnem: imò & Christus ipse, qui Matth. 16. v. 14. cap. 17. v. 21. cap. 24. v. 30. cap. 26. v. 2. & alibi Filium hominis se pronuntiat; quomodò enim filius hominis, filius David esse posset, & talis dici, si carnem nascendo non

sumsisset ex homine, sed eamdem sibi ex quatuor elementis formasset? Christum natum ex Virgine & ab ea carnem sumsisse ex Scripturis docet Fides: Christum verò ex elementis, non ex Virgine carnem formasse, dicit Philumena, & ex ea Apelles nullâ auctoritate suadente. Mentitur ergo Philumena, mentitur Apelles.

X. Rursùs quo fundamento asserunt, Christum sine carne surrexisse, quando post Resurrectionem Christus eam sicut priùs se habere Discipulis ostendit Joan. 20. v. 20.: *ostendit eis manus & latus*, & Thomam dubitantem provocavit ad tactum ibi v. 27.: *Infer digitum huc & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum?* Quo experimento omnium Discipulorum fidem confirmasse, scribit Lucas cap. 24. v. 39.: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Quid ad hæc Apelles? Numquid mentitus est Christus persuadendo Discipulos, se carnem habere, quam non ampliùs habebat? aut mentiti sunt Evangelistæ, qui hæc scripserunt?

Quòd verò carnem dimiserit Christus saltem dum ascendit in Cœlum, unde Apelles novit? Lego, Christum Discipulis oculo quidèm corporali videntibus ad Cœlum ascendisse Lucæ 24. v. 51. & Act. 1. v. 9.: *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*: ne autem quis putaret, eum postquam susceptus fuit ab oculis Discipulorum per nubem, carnem dimisisse, ideòque in Cœlum eam non attulisse; audiat testimonium Angelorum ibidem asserentium, Christum venturum in fine Mundi, qualem eum ascendentem viderunt. Ita v. 11.: *Hic Jesus, qui assumtus est à vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in Cœlum*. Cùm autem eum viderint in carne ascendentem, in carne iterùm videbunt venientem: non ergo dum ascenderet in Cœlum, carnem dimisit, sed eam secum in Cœlum attulit & adhuc in Cœlo retinet. Et talem eum se vidisse testatur Stephanus Act. 7. v. 55., dum *intendens in Cœlum vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei: & ait: Ecce video Cœlos apertos & Filium hominis stantem à dextris Dei*. Non ergo vidit solam animam, cujus non est stare nec sedere, sed vidit Christum in carne quemadmodùm ante in terris viderat, & ideò dicit se vidisse *Filium hominis*. Non ergo dimisit, sed carnem adhuc retinet in Cœlis. Pro hac veritate supra egi Tom. 4. par. 2. cap. 37. §. 2. contra aliquos modernos Heterodoxos, qui hunc Apellis errorem extumulare conati sunt.

* * *
* *
*

§. IV.

Apellis errores de Scriptura, de Fide, ac de Animabus.

I. Circa Sacras Scripturas morem Hæreticorum ſequutus Apelles, eas pro libito admittebat vel rejiciebat. Ita, ut ſuum de Deo errorem tueretur, totum quod Moyſes de unico ac bono Deo Creatore ſcripſit, detorquebat. Eum propterea Epiphanius n. 5. ita redarguit: *Cùm è Sacris Literis quidquid placuerit eligas aut rejicias; planè Judicem te Legum non interpretem facis, ac delectorem omnium, quæ ex animi tui ſententia minimè ſcripta ſunt, quæ etſi veriſſima ſint, falsò à te nihilominùs commutantur, & ad tuum ac tuorum errorem accommodantur. Quòd ſi malus quidam artifex inferiora hæc, ac Mundum adeò iſtum molitus eſt, cur à bono Patre miſſus huc ille* (Chriſtus) *deſcendit? Si ut hominum genus eriperet, horum ſcilicet tanquam ſuorum curam ſuſcepit: nec alius jam Conditor eſſe putandus eſt. Sin alienos curavit, eaque quæ nihil ad ſe pertinebant, uſurpare ac ſervare voluit: aut adulatorem fuiſſe neceſſe eſt, qui alienis adhæſerit; aut gloriæ cupidum, qui ut conditore ſe præſtantiorem oſtenderet, præ alienis quæ ſervare inſtituerat, ſuorum minimè deſiderio teneretur: ex quo verus ac ſincerus eſſe deſinet* &c. Hæc & alia Epiphanius.

Alia etiam ex Veteri Teſtamento Divina oracula, Euſebio teſte Lib. 5. Hiſtoriæ cap. 13., Apelles repudiabat; quin & omnia quæ in Novo Teſtamento ſuis erroribus, maximè de Chriſto, reſiſtebant, ad fabulas amandabat, ut verè dixerit Epiphanius nuper relatus Divinarum Scripturarum Judicem ſe feciſſe. Aſt utinam effrænis hæc impudentia in ſolo Apelle, vel ſaltem in ſolis aliis antiquis Hæreticis terminum habuiſſet, nec ad Modernos etiam ſeſe extendiſſet! Verùm, quod magis dolendum, effuſiori licentiâ in Proteſtantibus noſtri temporis propagatam videmus, dum pro arbitrio Scripturas aliquas admittunt, alias è Sacro Canone expungunt, nec deſunt quidam qui omnes, ferè dixerim, contemnant, ut ex eorum Libris, qui in dies prodeunt, non ſemel, nec ſinè lacrymis deprehendere mihi contigit. Eas autem quas admittunt Scripturas, poſthabito Eccleſiæ & totius Antiquitatis judicio, ad proprium ſenſum vel invitas trahunt, dicentes ſe ſolos etiam ſingulos habere Spiritum Dei, quem appellant *privatum*, ad veram ſenſus earum intelligentiam. Sed hoc alibi improbavi: neque hic iterùm aggredi locus eſt.

II. De Fide dicebat, eam non eſſe examinandam: unumquem-

que autem in ea quam semel imbibisset persistere oportere, in eaque salutem consequi posse, dummodò rectè agat & in Christum speret. Et quidèm in hac sententia se fuisse Apelles ipse indicavit, cùm ut supra dixi, à Rhodone interrogatus (apud Euseb. Lib. 5. cap. 13.) ut jurejurando diceret quid de Deo sentiret: *Juravit, se verum dicere, nec se omninò scire, quâ ratione unus esset ingenitus Deus: se tamen ita credere*. Num verò in hoc cum eo conveniant Moderni quoque Acatholici, apud quos familiare proloquium est, unumquemque in Fide, in qua educatus est, perstare debere, in eaque sive Lutherana sit, sive Calviniana, salutem posse consequi, dummodò Legem naturalem observet & credat in Christum, cætera esse adiaphora, nec de eis debere esse sollicitum; num, inquam, cum eo conveniant, judicet Lector in hisce controversiis eruditus.

III. Cæterùm Religionem non esse examinandam, sed tenendum ac credendum, quod à Majoribus institutum; nec quærendum, an benè vel malè credatur, fuit error celebris apud Ethnicos præcipuè Romanos, quo in cultu Deorum tenebantur. Sic enim Cotta apud Tullium, à Lactantio Lib. 2. de Origine erroris cap. 7. relatus, Lucillo suadebat, nempè non esse rationem in causa Religionis quærendam, sed tantùm Majoribus adhærendum, ne fortè quæsitâ ratione, quid fidei Majorum contrarium inveniatur, ac teneatur quærens Majores contemnere: ajebat enim: *Si credis, cur ergo rationem requiris, quæ potest efficere ne credas? Si verò rationem requiris, & quærendum putas; ergo non credis: ideò enim quæris, ut eam sequaris cùm inveneris. Docet ecce te ratio non esse veras Religiones Deorum: quid facias? Majores ne potiùs an rationem sequeris? Quæ quidèm tibi ab alio insinuata, sed à te ipso inventa & electa est, cùm omnes Religiones radicitùs eruisti. Si rationem mavis; discedere te necesse est ab institutis & auctoritate Majorum; quoniam id solum rectum est quod ratio præscribit. Sin autem pietas Majores sequi suadet: fateris igitur, & stultos illos fuisse, qui excogitatis contra rationem Religionibus servierint, & te ineptum, qui id colas, quod falsum esse convinceris.*

IV. Hoc tamen Cottæ ratiocinium contemnit Lactantius: ideòque illum provocat ad explorandam qualitatem Majorum, qui primum apud Romanos Religionem invenerint, & quibus sinè ulla ratione assentiendum voluit Cotta: *Sed tamen*, inquit, *quoniam nobis tantoperè Majorum nomen opponitur; videamus tandem qui fuerint Majores illi, à quorum auctoritate discedi nefas ducitur. Romulus Urbem conditurus, pastores, inter quos adoleverat, convocavit: cùmque is numerus condendæ Urbi parùm idoneus videretur, consti-*

stituit asylum. Eò passim confugerunt ex finitimis locis viri pessimi quique, sine ullo conditionis discrimine. Ita conflavit ex his omnibus Populum, legitque in Senatum eos, qui ætate anteibant & Patres appellavit, quoram consilio gereret omnia .... Hi sunt Patres, quorum decretis eruditi ac prudentes Viri devotissimè serviunt: idque verum ac immutabile omnis posteritas judicat, quod centum pelliti Senes statutum esse voluerunt: quos tamen, ut in primo Libro dictum est, Pompilius illexit, ut vera crederent esse sacra, quæ ipse tradebat. Hæc Lactantius.

In primo autem Libro de Falsa Religione cap. 2. agens de præfato Numa Pompilio, ostendit, ab hoc deceptore vanitatem Deorum & superstitionum, quibus Romani tenebantur, originem habuisse: quod, inquit, *ut faceret aliqua cum auctoritate, simulavit cum Dea Ægeria nocturnos se habere congressus.* Idem testatur Livius Decad. 1. Lib. 1., qui etsi Ethnicus agens de Numa Pompilio, qui Romanis pacem attulit initâ cum finitimis Populis societate, ait: *Qui ne luxuriarentur otio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat: omnium primùm rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est: qui cùm descendere ad animos sinè aliquo commento miraculi non posset, simulat, sibi cum Dea Ægeria nocturnos congressus esse; ejus se monitu acceptissima Diis esse sacra instituere.* Hisce auctoribus, tali modo superstitionibus mixto, teste etiam Livio Pagano viro, introducta apud Romanos fuit illa Religio, quam rationis calculo ponderare velle nefas erat: quia benè noverant, eam rectè rationi esse contrariam, & tali examine ab omnibus, qui rationis compotes essent, tanquam irrationabilem fore deferendam.

V. In hac Schola edoctus Apelles, & hâc eâdem causâ Fidem, quam ipse prædicabat, non esse examini subjiciendam, sed clausis mentis oculis suscipiendam ajebat, & ut veram credendam: sciebat enim, quòd si ea quæ de Deo docebat, nedum cum scriptis à Moyse, sed cum sana ratione collata fuissent; & quæ de Christo ajebat & alia ad examen Evangelii, & Apostolicorum dogmatum revocata, tanquam pura somnia & mendacia detecta fuissent ac rejecta. Proinde ut ea ac se ab hisce periculis præservaret, hoc effugium excogitavit: credendum est ita esse ut dico, nec aliud quærendum. Quidquid dixerint Moyses, Prophetæ, Evangelia, Apostoli; quidquid Ecclesia doceat, si credas in Christum & benè vivas, salus tua in tuto est. Etiamsi non cum illis sentias, sed sive cum Simone Mago, Menandro, Saturnino, Basilide, Carpocrate & aliis ab Universa Ecclesia proscriptis, si in Christum credas, nil aliud quære & salvus eris.

VI. Quis

VI. Quis hic non videt, Apellem hâc doctrinâ paraſſe viam, quam noſtrorum temporum Novatores ingreſſi ſunt, dicentes ſolam Fidem in Chriſtum ſufficere ad ſalutem; & præcipuè Adiaphoriſtæ docentes ad ſalutem ſufficere, quòd quis præcipua Fidei myſteria, quæ in Symbolo continentur credat, etſi aliis in Symbolo non expreſſis non credat? Ita enim ſe ſentire ſuis ſcriptis in dies produnt. Ac utinam non fuiſſent, vel fortè adhuc non eſſent ex eis, qui illud ſuum axioma, nimirùm unumquemque in ſua Fide poſſe ſalvari, extenderent ad Ethnicos ad Turcas &c. Quod certè fecit Zuinglius, qui in Expoſit. Fidei Chriſt. tom. 2. c. 12. de Vita æterna & Peccato origin. ad Urbanum Regium aſſerere non timuit, Socratem, Ariſtotelem, Numam Pompilium, Camillum, Catones, Scipiones, Senecam & quotquot inter Gentiles laudati viri extitere, in ſua Religione ſalutem fuiſſe adeptos. Quod & de Cicerone affirmavit Eraſmus in Comment. in Tuſculanas Quæſt.: quibus accedit Thomas Hobbes Anglus, qui in ſuo Leviathan apertè dicit, Chriſtum neminem obligaſſe ad ſuam Fidem ſuſcipiendam; ideòque miſiſſe ad eam prædicandam non exercitus militum, ſed Prædicatores pauperes, ac omni humanâ potentiâ deſtitutos.

VII. Sed hi audiendi non ſunt. Nam ſi abſque in Chriſtum Fide quilibet in ſua Religione ſalutem conſequi poſſet, fruſtra ad eam toto orbe prædicandam Apoſtoli & viri Apoſtolici tot labores ſuſcepiſſent, tot perſecutiones ad mortem uſque ſuſtinuiſſent, & tot millia Martyrum vitam pro ejus confeſſione dediſſent: pro re enim indifferenti, & bona quidem, ſed non neceſſaria ad ſalutem vitam prodigere ſtultum eſt. At non ita eſſe Chriſtus ipſe expreſſit, cum Marci 16. v. 15. ait: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*: deinde ſubdidit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*: Quibus Fidem ſui ad ſalutem omnino neceſſariam eſſe pronuntiavit. Et hoc antea Joannis 3. v. 16. his verbis dixerat: *Sic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam .... Qui credit in eum non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in Nomine Unigeniti Filii Dei*. Adeò ut qui non credit, mendacem faciat eum: unde idem Joannes in Epiſt. 1. c. 5. v. 10. dicit: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe: qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo*. Fides ergo in Chriſtum indiſpenſabiliter neceſſaria eſt ad ſalutem.

VIII. Porrò Fides ſufficiens non debet eſſe ea, quam ponebat Apel-

Apelles, qui ut dictum est, aliqua de Christo credebat, aliqua nolebat credere: quem in hoc moderni Adiaphoristæ imitantur, dicentes ad salutem sufficere Fidem de iis, quæ in Symbolo continentur; quoad alia verò liberum esse credere, vel non credere. Sic enim superfluè imò injustè Ecclesia tot coegisset Concilia, & Patres variis temporibus scriptis adlaborassent contra eos, qui aliqua nolebant credere, quia in Symbolo expressè non contenta, neque putabant esse à Deo revelata, imo oppositum è Scripturis colligere se putabant. Si ergo hæc non tenebantur credere, cur ad ea credenda adigebantur, & repugnantes ab Ecclesia expellebantur? Sicut enim ad salutem tenemur servare omnia, quæ à Deo præcepta sunt, & ut talia nobis intimata; unde qui servatis aliis vel unum servare nollet, legem non observaret, dicente Jacobo in sua Epist. cap. 2. v. 10. *Quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit non mœchaberis, dicit & non occides*: ita qui cætera revelata credit, unum autem credere non vult, factus est transgressor Fidei, & omnium reus: quia idem Deus, qui promulgavit per Moysen omnia, quæ à nobis observanda voluit, etiam per Apostolos locutus fuit & revelavit Ecclesiæ omnia, quæ voluit credenda: ideòque sicut qui ex præceptis à Deo latis servaret cætera, unum autem servare nollet, auctoritati Dei præcipientis resisteret: sic qui in cæteris crederet, in aliquibus verò credere nollet, Dei loquentis veracitatem, qui omnia æquè locutus est, impugnaret.

IX. Dicent, scio, Novatores, se hujus criminis reos non esse, quia ideò aliqua credere renuunt, quia sciunt ea non esse à Deo revelata, sed ab hominibus inventa, & nimiùm credulis subintroducta. At unde hoc sciunt? quis eis dixit ea, quæ credere nolunt, Deum non esse locutum? Ecclesia Catholica non: quæ potiùs ea ut à Deo per Apostolos dicta Fidelibus suis semper proposuit. A Calvino ergo, Zuinglio, Luthero & aliis similibus hoc didicerunt, ut frequentiùs modò dicunt, quia Privatus Spiritus hoc ita esse judicat, eisque tenendum suggerit. Judicium ergo proprii cujusque spiritus, à suis Pseudo-Magistris conficti, judicio totius Ecclesiæ Catholicæ ac Pastorum prævalebit? Ita sanè, inquiunt. Hoc velamine se suosque errores tegere potuissent quotquot ante ipsos Hæretici extitere, & ut tales etiam ab ipsis, vel ab eorum aliquibus habentur: sed cum contra hoc plura alibi scripserim, modò hoc unum rogo: putant ne ipsi ad discernendum revelata à non revelatis, firmius sibi inesse judicium quàm Apostolo Paulo? Paulus à Deo vocatus, à Deo electus ad prædicandum Gentibus Evangelium fuit. Ipsi, eorumque magistri, à quo voca-

cati, à quo inspirati ac electi fuere ad Evangelium ut ajebant corruptum suæ integritati restituendum? Lutherum consultorem & magistrum Satanam habuisse scimus, & ipse fatetur: at à Deo vocatum & ad reformandam, ut volunt, Ecclesiam missum, quis, qui sincero animo causam initia & progressus suæ desertionis scrutetur, vel suspicari poterit?

X. Audiant ergo. Paulus ut ostenderet se prædicare secundùm Evangelii veritatem, hoc à se non resolvit, confidens se utpotè à Deo vocatum, & ad hoc electum habere spiritum & judicium certum quo errare nequiret: sed secundùm revelationem Jerosolymam adire statuit, ut Petrum & alios præcipuos Ecclesiæ Pastores ibi consuleret, & eorum judicio dubium omne omnibus tolleret. Ita ipse protestatur Ep. ad Galat. c.2.v.1. *Ascendi Jerosolymam cum Barnaba assumto & Tito. Ascendi autem secundùm revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem*. Cùmque factâ invicem collatione Petrus, Jacobus, & Joannes, Evangelium quod prædicabat Paulus, uniforme cum eo quod prædicabant ipsi judicassent, mutua inter eos communio facta fuit, ideòque v. 9. addit: *Et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem*. Paulus igitur, etsi certus se Spiritum Dei habere super exorto dubio, an observatio Legalium secundùm veritatem Evangelii, quod ipse prædicabat, esset dimittenda, judicium non à se protulit, sed ab Ecclesiæ primis Pastoribus exquisivit: & licèt à Deo ad prædicandum Gentibus missus, voluit missionem suam auctoritate Ecclesiæ confirmari. Hoc Pauli factum ad oculum demonstrat, quantum ab ejus spiritu & Spiritu Veritatis, Spiritus Novatorum recedat.

XI. Nunc ad Apellem revertendo, qui dicebat, ad salutem sufficere credere & sperare in Christum crucifixum; in hoc ejus error erat, quòd hoc solum credito, etsi quis alia de Christo ejusque Fide credere, ut ipse, nollet, adhuc salutem consequi posse existimavit. Cæterùm si quis non omnia quidem explicitè credat, quia sibi non omnia expressè proposita sunt, sed sola præcipua mysteria Christianæ Religionis, animo tamen paratus sit, omnia credere si ei proponantur; is si antequam plenè de omnibus instruatur è vita decedat, salutis capax erit, ut contigit Latroni Christum in Cruce confesso, & pluribus aliis, qui vix se Christianos esse confessi, statim ad Martyrium rapti sunt. Hi enim sanguine pro Christo fuso, omnia de Christo credere se paratos esse decla-

clararunt. Idem dicunt aliqui de Eunucho Candacis Reginæ, qui cùm solùm dixisset *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*, de nullo alio interrogatus, statim à Philippo baptizatus est. S. Augustinus tamen L. de Fide & Operibus cap. 9. censet, quòd licèt Scriptura taceat, de omnibus tamen credendis de Christo, & de eis quæ sunt observanda ei, qui accedit ad compagem corporis Christi; imo de omnibus à Philippo fuisse instructum, quæ Christiano necessaria sunt.

XII. Circa Animas tripliciter Apelles errabat. Primò, quia ponebat eas à bono Deo in supercœlestibus creatas, deinde sollicitatas ab escis terrenis, fuisse à Deo igneo demissas in Mundum carne indutas peccatrice. Ita Tertullianus in Lib. de Anima c.23. *Apelles*, inquit, *sollicitatas refert animas terrenis escis de super cœlestibus sedibus ab igneo Angelo Deo Israelis & nostro, qui exinde illis peccatricem circumfinxerit carnem*: Deum enim Judæorum Angelum igneum, teste etiam Theodorito L. 1. Hæret. Fab. vocitabat: fortè quia legerat eum in flamma ignis Moysi apparuisse, eique in libris Prophetarum ignis nomen sæpè tribuitur. Animas autem ante fuisse creatas, deinde in corporibus inclusas, partim ex Philosophis Ethnicis hauserat, partim ex Basilide, contra quem supra egi.

XIII. Errabat secundò circa Animas, quia eas solas resurrecturas, non corpora dicebat. Sed hunc errorem in superioribus rejeci, & nuperrimè in Marcione. Apellem in hoc errore fuisse, testatur Auctor Append. ad L. de Præscr. cap. 51., & Origenes apud Hieron. in Epist. 61. ad Pammachium de erroribus Joannis Jerosolymitani: ubi dicit, Hæreticos, & in his Apellem penitùs carnis & corporis resurrectionem negare, & salutem tribuere animæ; & Orthodoxos reprehendere, quòd frustra dicant, se ad exemplum Domini resurrecturos, cùm ipse quoque Dominus in phantasmate resurrexerit.

XIV. Errabat tertiò circa Animas, quia in eis ponebat sexus diversitatem, dicens alias esse sexus feminei, alias sexus virilis. Ita refert Tertullianus L. de Anima cap. 36., qui hanc doctrinam dicit à Philumena Apellem fuisse edoctum: *Apelles*, inquit, *non Pictor, sed Hæreticus ante corpora constituens animas viriles, ac muliebres, sicut à Philumena didicit, utique carnem ut posteriorem ab anima facit accipere sexum*: Cùm enim ex dictis poneret animas præextitisse corporibus, & quidem in sexu vel femineo vel virili, dicebat femineas animas dum corpore induebantur, constituere corpus femineum, viriles verò corpus virile: unde fiebat, quòd corpus esset femineum, quia animam feminam habebat, mascu-

 lum

lum verò quia habebat animam masculam. Hoc posito dic mihi Apelles, seu veriùs Philumena, quæ hoc docuisti: Dum ponis in animabus extra corpus existentibus diversitatem sexus, ut una sit femina alia masculus, necesse est ut ponas in eis membra diversitatem sexus constituentia, ergo necesse est, ut dicas eas esse corporeas, quia natura spiritualis diversitatis sexus capax non est: unde quia Angeli sunt spirituales in eis diversitas sexuum locum non habet, inquit Cæsarius Dialogo 3. *In beata illa natura maris & feminæ discrimen nullum est*. Rursum si Lactantio asserente L. 1. de Opificio Dei cap. 12. *Mirabile institutum Dei est, quòd ad conservationem generum, duos sexus maris & feminæ machinatus est, quibus inter se per voluptatis illecebras copulatis, successiva soboles pareretur, ne omne genus viventium conditio mortalitatis extingueret*; dum in animabus diversitatem sexus ponis, necesse erit, ut ponas eas mortales, & ad generis conservationem inter masculos & feminas, etiam priusquam ad corpora demittantur, sint concubitus, quibus aliæ animæ successivè generentur. Hoc te pudebit dicere: ergo insanis.

CAPUT XXI.

De Severianis.

§. I.

Quis fuerit Severus, qui Severiani, & quando.

I. Severiani à quodam Severo huius Hæresis Auctore docti sunt. De hoc Severo, eadem ac de Apelle (ut cap. præcedente §. 2. n. 7.) controversia excitatur, an sicut ab Augustino, Epiphanio ante Tatianum & Encratitas recensetur; ita etiam ætate ipse ac ejus hæresis illos præcesserit. Hæc controversia non adeò solutu facilis ipsi Epiphanio visa est, dum contra Severianos agens Hæres. 45. in initio de Severo loquens ait: *Qui superioribus illis proximè à me subjiciendus est, vel iisdem temporibus vixit, vel saltem est ætate suppar; neque enim tempus ipsum accuratè commemorare possum, nisi quòd vicini sibi invicem extiterunt*. Ita se extricat Epiphanius. Accedit cùm eodem seculo nedum Auctores vixerint, sed & Hæreses sparserint, & quidem in diversis & dissitis Orbis partibus, saltem primò publicatæ fuerint, ut in una priùs in alia posteriùs, fit ut primi earum ortus determinatum tempus incertum maneat, & maximè de Severiana Hæresi, quæ non una fuit in dogmate, ut statim dicam.

II. Non

II. Non unam tantùm sub Severiano nomine Sectam fuisse colligo ab Eusebio L. 4. Hist. cap. 29., qui de Severianis post Tatianum exortis, ait: *Non multò verò postea Severus quidam, cùm supradictæ hæresi robur ac vires addidisset, in causa fuit, ut illius sectæ homines, ex ipsius vocabulo Severiani dicerentur. Hi Legem quidem & Prophetas cum Evangeliis admittunt: sed proprio quodam sensu Sacras Scripturas exponunt. Paulum Apostolum maledictis impetentes, Epistolas ejus repudiant; ac ne Apostolorum quidem Actus suscipiunt*. Agit de Severianis etiam Auctor Chronici Alexandrini sub anno 2. Olympiadis 238. Indict. sub Consulatu 2. Severi & Pompejani, qui tamen ea tantùm de eis refert, quæ supra Eusebius.

III. Quibus videtur, hos Severianos, de quibus Eusebius, eosdem non fuisse ac eos, de quibus hic ex Epiphanio & Augustino agere intendo. Hoc indicat enim diversitas dogmatum, quæ utrique docebant: qui enim ab Eusebio referuntur, Vetus Testamentum & Evangelia suscipiebant, solùm Paulum & Apostolorum Acta rejicientes: *Hi Legem quidem & Prophetas cum Evangeliis admittunt.... Paulum Apostolum maledictis impetentes Epistolas ejus repudiant, ac ne Apostolorum quidem Actus suscipiunt*, inquit Eusebius. Et Auctor Chronici præfatus: *Utuntur Lege Veteris Testamenti, admittunt Prophetas & Evangelia.... Paulum verò Apostolum diris devovent* &c. Illi verò de quibus Epiphanius & Augustinus loquuntur, Vetus Testamentum respuebant, & carnis resurrectionem: *Carnis resurrectionem cum Veteri Testamento respuentes*, dicit Augustinus. Epiphanius quidem hoc expressè non dicit: ex iis tamen, quæ de eorum dicit doctrina, Legem rejecisse satìs ostendit, ut infra.

IV. Hinc Theodoritus L. 1. Hæret. Fab. Severianos, de quibus agit, à Tatiano & Encratistis accepisse doctrinam scribit, his verbis: *Severus susceptâ eorum doctrinâ eos, qui ab ipso decepti fuerant, à suo cognomine appellavit. Hinc nonnulli Encratitas Severianos appellant. Hi Divini Pauli Epistolas & Actuum historiam rejiciunt. Adversùs eos scribit Musanus Veritatis Patronus, & Clemens Stromateus & Apollinaris, qui sacræ Civitatis in Phrygia fuit Episcopus, & Origenes*. Ac utique Severianorum meminit Origenes in cap. 14. Epist. ad Rom. super illa Pauli verba: *Non enim Regnum Dei est esca & potus*, dum enim ea explicat, perstringit Severianos & Tatianos, quòd putent, non parum esse momenti in observantia continentiæ, vel ciborum, qui lege prohibentur, vel quos quasi castitati adversantes, etiam Scripturarum auctoritate declinandos existimant.

V. His omnibus verius existimo, Severianos omnes Tatiano & Encratitis coævos quidem fuisse, sed eis in secta posteriores, quasi rami ab una radice divulsos, qui Hæreticorum mos est: sicut enim in Fide costantes non sunt, ita nec in errore, quem semel adoptarunt persistere, sed ad alios pertransire consueverunt; sicut enim arundo vento agitatur, ita illi omni vento doctrinæ circumferuntur. Quare licèt Severiani omnes ex una schola Severi prodierint, non tamen in ejus doctrina generaliter omnes perstitere, sed sectam quasi in frusta concidentes, aliquid de Tatiano, aliquid de Apelle, aut de aliis sumsere. Rem sub oculis habemus. Novatores nostri temporis omnes vel Lutherani vel Calvinistæ vel Zuingliani vel alterius Scholæ existunt, & tamen quot etiam inter unius sectæ nomen gerentes dogmatum differentiæ? adeòut si quispiam eorum interrogetur, an Lutheranus sit, an Calvinista &c.? vulgaris responsio sit, se nec Lutheranum nec Calvinistam, sed Evangelicum esse, id est sequi se Evangelium, secundum privati sui judicii intelligentiam. Non mirum ergo, si hic etiam veterum Hæreticorum spiritus fuerit, ac Severianorum, ut licèt idem nomen gestantes, in diversa tamen dogmata abierint.

VI. Hos inquam omnes Tatiano posteriores & Encratitis fuisse, sicut & Severum ipsorum auctorem, arbitror. Cùm enim, teste ipso Epiphanio Hæres. 45.n.1., Severus secutus sit Apellem: *Severus quidam, à quo Severianis nomen inditum est, post Apellem illum prodiit*: Cui adhæret Damascenus L. de Hæres. dicens *Severiani à Severo quodam dicti sunt, qui rursum Apellem secutus est*. Et cum Cap. præcedente Apellem Tatiano in condenda hæresi posteriorem admiserim, id potiori ratione asserere debeo de Severo, qui Apellem secutus est. Eo vel maximè, quòd, ut ibi dixi, Irenæus, qui in Lib. adversùs Hæreses Tatiani meminit, de Severo, sicut nec de Apelle ullum verbum profert.

VII. Mitto alterius generis Severianos, seu Severitas longè istis posteriores, qui solùm post Concilium Chalcedonense extiterunt. Hi auctorem habuere Severum quendam Sozopolitanum ex Causidico Berythi Monachum postea factum, qui propter hæresim de Una in Christo Natura è Monasterio ejectus, legatione pro se ac sui erroris sociis ad Anastasium Imperatorem susceptâ, ab eoque benignè susceptus, exorto Antiocheno schismate adversus Flavianum, ejusdem Imperatoris favore Pseudo-Episcopus Antiochenus electus est, ut narrat Evagrius L. 3. Hist. cap. 33., qui ejus alia impia gesta prosequitur, & maximè quòd Concilium Chalcedonense anathematizarit. De eo etiam plura scribit Anastasius Synaita in Lib. *Dux viæ* cap. 6. sequent. Sed cum hic ejusque se-

ſequaces fuerint Hæretici Monothelitæ, ad rem præſentem non pertinent, ideòque eos dimitto.

VIII. Severum, à quo hæreſis de qua agimus nomen & ortum habuit, ſolus error notum facit; ejus enim genus, patria, natio profeſſio penitùs ignorantur. De loco, in quo errorem ſuum evulgare cœpit, diſputatio eſt. Danæus in Opuſc. de Hæreſ. cap. 24. vult, Severum Apellis æmulatione, qui in Syria meridionali & in Ægypto ſectam inſtituerat, ſuum voluiſſe condere errorem, eumque in Syria Orientali etiam evulgaſſe. Auctor tamen Prædeſtinati L. 1. cap. 24. primùm hanc hæreſim apud Rhodum exortam fuiſſe vult, ibique ſtatim habuiſſe contradictorem S. Euphranonem Epiſcopum Rhodium: *Hos damnavit*, inquit, *S. Euphranon Epiſcopus Rhodius: apud Rhodum enim horum ſuperſtitio orta eſt.*

IX. De tempore, & maximè anno, quo orta fuit, ex dictis certum eſſe debet, eam prodiiſſe poſt hæreſim Tatiani, imo & Apellis: cùmque hæreſis Tatiani in apertum ſaltem prodierit circa annum 173., ut dicetur; Apellis verò circa ann. 183., ut probabiliter dixi; Severianæ hæreſis ortum differunt multi veriſimiliter, vel ad extrema tempora Pontificatus Eleutheri, vel ad initia Victoris circa annum Domini 192., quo anno deceſſiſſe Eleutherum, eique ſucceſſiſſe Victorem, cenſet inter alios Aubertus Miræus in Chron. Belgico. Sed in hoc certè figere ſententiam non poſſumus: ſi enim ætate Epiphanii valdè proxima certum tempus eruptionis harum hæreſum ſtatui non poterat, quod profitetur ipſe Hæreſ. 45. n. 1. dicens: *Neque enim tempus ipſum accuratè commemorare poſſum, niſi quòd vicini ſibi invicem extiterunt*: quomodo nos poſt quindecim & ultra ſecula certò illud figere audebimus? Hoc ſolum ſtatuere poſſumus, quòd illo ſeculo purum granum Evangelicæ veritatis, quod Apoſtoli ſeminaverant, tot ſuperſeminatis errorum zizaniis corrumpere, vel ſaltem confundere inimicus homo Diabolus tentavit, ut granum à zizaniis, veritas Evangelica ab erroribus vix diſcerni poſſe videretur. Affuit tamen Divina gratia, quæ ſuâ luce veritatem electis puram ſervatam oſtendit, & zizania brevi tempore eradicavit. Ita hæreſi Severianæ contigit; adeòut de ſuo tempore dicat Epiphanius: *Vel nullæ hodie ſuperſunt illius ſectæ reliquiæ, vel exiguæ admodum ſuperioribus in Provinciis relictæ.* Hoc eodem fato cæteræ omnes, quæ in veritatem conſertis manibus magna in orbis parte conjuraverant, procedente tempore interiere, adeòut earum in Hiſtoriis memoria ſola ſuperſit. Quod & iis, quæ hiſce temporibus Catholicæ Fidei veritatem undique invadere conantur, præfinito à Deo tempore eventurum ſperamus.

§. II.

§. II.

Errores de Mundo, Vite, Muliere, Nuptiis &c.

I. Severi hæreses sequentibus verbis concludit Epiphanius citato loco n. 1., ubi de Severo: *Cujus*, inquit, *hæc sunt Fabulis ac mendaciis referta dogmata. Mundi originem Principiis nescio quibus, ac Potestatibus tribuit. Esse verò præterea supremo in cœlo ac seculo, quod nominari non potest, bonum quendam Deum. Diabolum magni Principis filium esse, qui Potestatibus præsidet, cujus nomen partim Jaldabaoth, partim Sabaoth appellat: A quo genitus ille serpens primùm fuit; inde ab cœlesti virtute dejectus in terram ac delapsus, serpentis formá libidinis stimulis percitus cum terra ceu muliere quadam coiit. Quo ex satu Vitis pullulavit. Unde ad conciliandum nugis suis fidem, sinuosos vitium flexus ac rotundos, & cujusmodi serpentium spiræ sunt obliquos, ad illud significandum referunt. Nam albam sanè vitem serpentis similitudinem exprimere, nigram Draconis: acinos porrò tanquam veneni guttas ac stillas esse propter rotunditatem, ac singulorum discrimina, adeòut orbiculi ipsi à se invicem avulsi separatique cernantur. Indidemque & vinum hominum perturbare mentes, ac partim veneris illecebras concitare, partim furoris agitare stimulis, partim denique ad iracundiam provocare; quòd eá vini vi, hoc est, Draconis illius veneno, leve fiat, efferaturque corpus. Quam ob causam, qui hanc sectam profitentur, ab omni usu vini penitùs abstinent.*

Mulierem præterea Satanæ opus esse dicunt, id quod & Archonticis placuit: ideòque qui se nuptiis copulant, Satanæ opus perficere. Imo & hominis alteram partem Dei, alteram Diaboli esse confirmant. Nam quod ab umbilico sursum porrigitur, divinæ molitionis esse: quod infra umbilicum, à mala potestate conditum statuunt. Ob id, inquiunt, voluptatum titillationes omnes ac libidines ab umbilico atque inferioribus partibus excitantur. Hæc de Severo Epiphanius, quæ certè nonnisi ab ebrio vel insano cogitari poterant.

II. Ex his apparet, Severum erraſſe primò, quia Mundi conditionem non Deo, sed quibusdam Potestatibus tribuit: quia tamen huic errori viam pararunt Simon Menander Saturninus Basilides Carpocrates Cerinthus & alii, & proinde supra à nobis rejectus est; ideò illum dimittimus. Et eâdem ratione dimittam etiam alterum de Diaboli conditione, quo dicebat eum esse filium Magni Principis, quem Jaldabaoth seu Sabaoth nuncupabat; quia hic fuit error etiam Valentini & Archonticorum, & in eis jam su-

supra refutatus: unde ibi dicta Lector adeat Cap. 17. §. 2. num. 7.

III. Tertius error Severi singularis, nimirùm quòd Diabolus sub serpentis forma coiret cum terra, ex quo coitu nata fuerit Vitis, sinuosam propterea in serpentis specie referens formam, ex quo inferebat, à vino ut à veneno esse abstinendum; delirium adeò apertum est, ut risu potiùs, quàm confutatione dignum appareat. Aliqua tamen dicam. Si Scripturam Sacram consulimus primam vitis originem debemus, non Diabolo seu serpenti, sed Noe, de quo Gen. 9. v.20. dicitur, quòd post diluvium *cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam*. Cùmque ante diluvium nulla nec vitis nec vineæ mentio fiat, sequitur, quòd Noe fuerit simpliciter primus, qui de vitis fructu gustaverit. Non ita tamen (inquit Chrysostomus hom. 29. in Genes.) quòd vitis antea in terra non esset: *Verisimile enim est, quòd antea & ab initio fuerit in sex illis diebus vinea creata, & quando vidit Deus omnia quæ fecit, & erant valde bona: nec tamen usum fructus ex illa manifestum fuisse.* Nec dicas primum effectum, qui ex vite secutus fuit, probare intentum Severi, quòd à serpente primùm sata fuerit, & proinde venenosa; nam vix de ea gustavit Noe, cùm ebrius factus rem indignam tanto Viro patravit; legitur enim v. 21.: *Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus jacuit in tabernaculo suo*; quod filiis ejus scandalo fuit. Nam hoc non ex vitio vitis & vini fuit, sed ex ejus tanquam rei antea prorsùs ignotæ intemperanti usu.

Ex hoc ergo quòd nemo ante ipsum vitis fructu usus fuisset, ac vini vis esset ignota, excusabilem reddit idem Chrysostomus de ebrietate Noe, qui de eo primus gustavit: *Nam*, inquit, *si fuisset ab initio notus, omninò Abelis tempore inter oblatas hostias & vinum libassent. Verùm quia ignorabant adhuc fructus usum, plantâ hâc usi non sunt*. Inde subjungit: *Hic autem agriculturæ studiosus, & magnæ diligentiæ, fortè etiam fructum degustavit, & contritis botris vinum fecit, eoque usus est. Et quia neque ipse gustaverat prius, neque alium sciebat, qui gustaverat, ignarus quâ mensurâ uti debebat, per ignorantiam in ebrietatem incidit*. Hâc ratione excusat Noe Theodoritus qu. 56. in Genesim.

IV. Cæterùm Vitem à Deo, non à Diabolo factam, confirmat usus vini ex ea expressi in Sacrificiis & oblationibus, quæ in Veteri Lege Deo fiebant. Undè Melchisedech qui Gen. 14. v. 18. Dei Sacerdos describitur, Sacrificium panis & vini obtulit: quod Sacrificii Eucharistici à Christo postea in Cœna instituti figura fuit, Cypriano teste Epist. 3. ad Cæcilium, & S. Thomas in 1. 2. qu. 102. ar. 3.: *Ea*, inquit, *quæ in usum hominum veniunt de terræ nascentibus, vel sunt in cibum, & de eis offerebatur panis, vel sunt in potum, & de*

& de eis offerebatur vinum, vel sunt in condimentum, & de his offerebatur oleum & sal: vel sunt in medicamentum, & de his offerebatur thus, quod est aromaticum & consolidativum: Omnia ergo terræ nascentia erant à Deo, ei grata, & proinde naturâ bona, & vinum etiam. Hinc Epiphanius num. 2. ait: *Enim verò vitis nequaquam est e Diabolo consita, neque ex serpentis semine procreata, ut facilè quivis intelligit. Quî enim fieri potest istud, cùm apertè Salvator ipse contraria omnia testetur iis verbis* (Matth. 26. v. 29.) „ Non bibam hoc de genimine vitis istius, donec bibam illud novum in Regno Cœlorum? .... „ *Sic enim apertè quodam in loco Dominus, ut infelicem illum & impostorem Severum argueret, vitem se esse pronuntiat* (Joan. 15. v. 1.) Ego sum, *inquit*, vitis vera. *Atqui si vituperanda prorsùs vitis esset appellatio, nunquam hujus ad se similitudinem transferret. Quin & Apostoli in eo Libro qui* Diataxis, *hoc est Constitutio, appellatur, Dei stirpem ac vineam esse Catholicam Ecclesiam produnt*. Et hoc itidem confirmat ex parabola Domini de Patre-familias, qui plantavit vineam Lucæ 20.; & de alio, qui operarios quæsivit, ut mitteret in vineam suam Matth. 20.

V. Ex his omnibus ruit fundamentum, quo Severus cunctis suis usum vini velut veneni exitialis interdixit. Estò enim usus intemperans & immoderatus vini, & cujusvis alterius cibi noxius sit & proinde vetitus; si tamen moderatns sit, vetitus non est, imò interdum saluti corporis congruit. Quòd sit bonus & licitus, demonstrant exempla, tum ex Veteri, tum ex novo Testamento superiùs allata. Quòd etiam sit saluti congruus, ostendit Paulus Ep. 1. ad Timoth. cap. 5. v. 23., cui, cùm aquam solam biberet, scribit: *Noli adhuc aquam bibere; sed modico vino utere propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates*. Quòd si S. Jacobus Minor Apostolus post Christi Passionem perpetuò abstinuit vino, ut refert Eusebius Lib. 2. Hist. cap. 23.; imò & primi Christiani Alexandriæ, quorum meminit Philo, apud eundem Eusebium Lib. 2. Hist. cap. 17., vinum nunquam gustaverint, quod & de multis Anachoretis scribit Hieronymus in Epist. ad Eustochium de Custodia Virginitatis, & de multis Christianis refert Augustinus Lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 31. & 35., hoc faciebant studio abstinentiæ & temperantiæ, non quia existimarent, vitem esse à Diabolo, & vinum Satanæ fœtum ac proinde malum: cùm optimè nossent, Dominum Jesum & Apostolos vinum bibere non fuisse dedignatos; imò Dominum Jesum in Nuptiis Canæ aquam ipsam convertisse in vinum, ne convivis deficeret: imò Eucharistiam in pane & vino instituisse.

VI. Succedit quartus Severi error, quo dicebat, Mulierem opus

opus esse Satanæ, non Dei; Virum autem ab umbilico sursùm esse opus Dei, ab umbilico verò deorsùm opus esse Satanæ. In priori hujus Hæresis parte, ut ex Epiphanio supra dixi, Archonticis non displicebat. Si contra Severianorum Sectam agam, quæ, ut dixi, Vetus Testamentum admittebat & Evangelia, eos provocare potero ad Genesim, ubi cap. 3. legitur quidèm prima Mulier à Satana seducta, cap. 2. tamen à Deo ex costa Adæ fabricata dicitur; & ad Evangelia, ubi Christus conceptus de Muliere narratur; Christus autem boni Dei Filius non esset de Muliere conceptus & natus, si Mulier Satanæ opus esset. Si verò agam contra eos, qui Vetus Testamentum rejiciunt, audiant saltem Paulum 1. ad Corinth. cap. 11. v. 8. dicentem: *Non enim Vir ex Muliere est, sed Mulier ex Viro*: & v. 12.: *Nam sicut Mulier de Viro, ita Vir per Mulierem, omnia autem ex Deo*. Quod si nec Paulum audire volunt, hoc dicam: si Mulier opus Satanæ est, cùm ipsi ex Muliere nati sint, ergo ipsi ex opere Satanæ nati sunt. Si talis origo eis placet, eâ, ut merentur, fruantur.

VII. Posterior verò pars, corpus nempè hominis pro superiori ad umbilicum parte formatum à Deo fuisse, pro inferiori verò à Satana, solius Severi delirium fuit: cui apertè resistit Historia Genesis, in qua totum hominis corpus de terra à Deo plasmatum, eique spiraculum vitæ ab ipso Deo inspiratum dicitur (Gen. 2. v. 7.) Cùm productâ ex ipso Muliere, utrique dixerit Deus cap. 1. v. 28. præmissâ benedictione *crescite & multiplicamini & replete terram*; patet, membra ad multiplicationem destinata à Deo formata fuisse, non à Satana. Licèt autem ejusmodi membra sinè pudore nec nominari possint; undè pudenda vocantur; hoc non ex natura, quam à Deo habuerunt, sortita sunt, sed ex malitia Satanæ, qui utrumque ad peccatum induxit. Quare cùm ante uterque nudus sinè rubore incederet, statim post peccatum uterque pudore suffusus, de eis membris tegendis sollicitus fuit, ut legitur Genes. 3. v. 7., ubi statim ac comedentes de ligno vetito in Satanæ fraudem lapsi sunt, de eis dicitur: *Et aperti sunt oculi amborum: cùmque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*.

Qua de re Epiphanius hâc Hæres. 45. num. 2. ait: *Corpus enim universum ex iis, quæ à Deo rectè fabricata sunt, hoc est, naturalibus est appetitionibus conflatum: quas non absurdum aliquem ad usum, sed honestum ac necessarium Deus indidit; nimirùm, ut & somnum appetamus, & cibum ac potum, vestitum ac cæteras opportunitates, quæ quidèm Deo haud ingratæ nobis usu veniunt, adeout vel ipsam à ratione minimè abhorrere Veneris cupiditatem demonstrare liceat. Est enim ad honestam sobolis propagationem, & ad Conditoris omnium decus &* ho-

honorem concessa: quemadmodùm semina ad eorum bonorum, quæ Deus creavit, germinum videlicet ac fructuum ubertatem ac copiam instituta sunt. Sic humano generi ad illud præstandum „ Crescite & multiplicamini & replete terram „ *insiti sunt illi ipsi voluptatis aculei.* Quibus Epiphanius ostendit, quòd sicut inclinatio ad cibum & potum & aliorum honestum usum à Deo insita humano corpori est: ita inclinatio ad sobolis propagationem honesto modo peragendam à Deo indita sit illis verbis *crescite* &c.

VIII. His quartus Severi error manet confossus, quo dicebat, Nuptias illicitas esse, & in eis opus Satanæ perfici. In hoc errore licèt non fuerit primus Severus, cùm ante ipsum in eodem fuerint Saturninus & Marcion, ut ex dictis contra ipsos constare potest: in hoc tamen quòd Nuptias illicitas dixerit, quia Mulier, & membra generationi inservientia à Satana facta fuerint, primus & singularis fuit. Constito ergo ex jam dictis, tam Mulierem quàm membra propagationi inservientia, & ad eam debito ac naturali modo inclinantia non à Satana esse, sed à Deo, sequitur, Nuptias à Deo in hunc finem institutas honestas esse & licitas. Licèt autem maris & feminæ conjunctio, quæ extra nuptias fit, à Dæmone instigante fiat, & mala sit: quæ tamen in nuptiis fit, mirabile Dei institutum est ad conservationem generis ordinatum, inquit Lactantius de Opificio Dei Lib. 1. cap. 12.: qui & cap. 13. subjungit, quòd ad hanc rem attinet, queri satis est, homines impios ac profanos summum nefas admittere, qui Divinum & admirabile Dei opus ad propagandam successionem inexcogitabili ratione provisum & effectum, vel ad turpissimos quæstus, vel ad obscœnæ libidinis pudenda opera convertunt, ut jam nihil aliud ex re sanctissima petant, quàm inanem & sterilem voluptatem. Cæterùm qui nuptiali concubitu utuntur ob propagandam successionem, opus Dei & bonum peragunt; nam Deus ad hoc formavit & dedit Adæ Mulierem in adjutorium: quare eâ visâ exclamavit: *Hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro sumta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una* (Genes. 2. v. 24.), quod approbatum à Christo legimus Matth. 19. v. 5. & 6., Marci 10. v. 7., & confirmatum à Paulo Ephes. 5. v. 41.

IX. Erravit quintò Severus, quia Carnis Resurrectionem futuram esse negavit, solas animas fortè resurrecturas asserens. Sed quia hoc errore laborarunt plerique, qui eum in Hæresi præcesserunt, & proindè superiùs contra illum dictum est, propterea ab eo hic impugnando abstineo.

X. Cùm viderent Severiani, errores suos cum Sacris Scripturis co-

cohærere non poſſe, ut eos auctoritate munirent, ad Libros apocryphos ſub ementito Apoſtolorum nomine à ſui ſimilibus confictos recurrebant, ex iiſque ea quæ in Sacris Libris inveniebant, adulterabant & corrumpebant. Ita de eis Epiphanius num. 2.: *Apocryphis quibuſdam Libris uti illos accepimus; ac partim etiam publicis ac receptis, ex quibus ea ſola deligunt, quæ pro animi ſui libidine commutata adulterataque depravant*. Qui autem fuerint apocryphi Libri, quibus Severiani utebantur, nec Epiphanius dicit. Hoc certum eſt, quòd ab ipſis Eccleſiæ initiis, quotquot contra veritatem Hæretici inſurrexere, genuinis Apoſtolorum Scriptis alia ſub eorum nomine, ut ſimplicibus illuderent ſuaque mendacia tegerent, confinxere: unde Irenæus Lib. 1. cap. 17. modò 20. ſuâ ætate dicit: *Inſuper apocryphorum Librorum & adulterinarum Scripturarum, quas ipſi* (Hæretici) *confinxerunt, infinitam multitudinem afferunt, ut ſtultos ac veſanos homines, veritatiſque Literarum ignaros in ſtuporem trahant*. Quibus & alia ſimilia adjunxerunt Manichæi & alii, quæ Gelaſius I. Papa in Synodo Romana proſcripſit, de quibus aliqua dixi hujus Operis Tom. 1.

CAPUT XXII.

De Tatianis & Encratitis.

§. I.

Tatiani Perſona & Lapſus.

I. TACIANOS à *Tacio* cognominatos vult S. Auguſtinus Lib. de Hær. cap. 25., à *Tatiano* tamen Tatianos dictos cenſent Irenæus Lib. 1. cap. 31. modò 28., Clemens Alexandr. Lib. 3. Strom., Epiphanius Hæreſ. 46., Euſebius Lib. 4. Hiſt. cap. 29., Theodoritus Lib. 1. Hæret. Fab. & alii paſſim. Qui tamen ab altero Tatiano diſtinguendus eſt viro ſanctiſſimo & Chriſti Martyre, cujus meminit Sozomenus Lib. 5. Hiſt. cap. 11., qui genere Phrygius unà cum Macedonio & Theodulo ſimiliter Phrygibus ob ſimulacrorum fractionem, imperante Juliano Apoſtata, Martyrio coronatus fuit.

II. Tatianum, de quo hic ſermo erit, è Meſopotamia ortum fuiſſe, ſcribit Damaſcenus in Catal. de Hæreſ.; Syrum fuiſſe autumat Clemens Alex. Lib. 3. Strom.: *Tatianum arbitror Syrum talia audere dogmata decernere*; & Epiphanius Hæreſ. 46.: *Erat hic quemadmodùm accepimus natione Syrus*. Attamen Aſſyrium ſe fuiſ-

se, Tatianus ipse prodit in Oratione ad Græcos ei adscripta, & in calce operum S. Justini posita: ibi enim circa finem & genus & professionem suam exponens: *Hæc vobis*, inquit, *ò Græci*, *Tatianus ego barbaræ Philosophiæ sectator composui*, *natus apud Assyrios*, *& vestris primum studiis imbutus*, *deinde verò illis*, *quæ nunc fovere me profiteor*. At sive è Mesopotamia, sive Syrus, sive Assyrius dicatur, facilè componi posse arbitratur P. Massuet Dissert. in Iren. ar. 3. §. 1. nam interdum Assyriæ Syriæ & Mesopotamiæ nomina promiscuè usurpantur. Sic Gen. 28. v. 5. Jacob qui *profectus venit in Mesopotamiam Syriæ*, v. 7. ivisse *in Syriam* dicitur: & Hadrianus L. 7. Expedit. Alexandr. scribit, Euphrate & Tigri mediam Assyriam contineri: *unde*, inquit, *ab indigenis Mesopotamia vocatur*. In Græcorum studiis se fuisse versatum asserit ipse verbis nuper allatis. An verò in Philosophicis tantùm, an etiam Rhetoricis, controversia est, quæ ad rem præsentem non attinet.

III. Tatianus adhuc Gentilitatis tenebris involutus, in quibus ortus & educatus fuerat, magnam Orbis partem perlustravit: quâ occasione nedum variis liberalibus artibus operam dedit, verùm & Ritus & Religiones diversas juxta mores Gentium, ad quas perveniebat, professus fuit. Romam appulsus Ethnicas omnes superstitiones, quibus Urbs illa præ cæteris abundabat, contemplatus fuit, ac simul exercere cœpit; sed cùm videret, nihil in eis, nisi turpe & detestandum reperiri; & ex alia parte in Sacros Christianorum Libros incidisset, quos ipse putabat barbaros; & observans eorum styli simplicitatem & gravitatem ac doctrinæ puritatem, fidem erga illos concipere cœpit. Ita præter multa fatetur ipse in præfata Oratione his verbis: *In me descendens*, *quomodò tandem veritate potirer*, *inquirebam*. *Et cùm diligenter circumspicerem*, *in Libros quosdam barbaros incidere mibi contigit*, *antiquiores multò*, *quàm Græcorum Philosophia*, *si spectes ætatem*, *& augustiores*, *si illorum errores*. *His ergo fidem adhibui*, *& quòd stylus non esset phaleratus*, *nec ulla Scriptorum affectatio & sermo usquam obscurus*: *futurorum item eventuum prænotione & magnitudine promissionum*, *& quòd unum universorum Monarcham statuerent*, *impulsus*. Hæc Tatianus ipse.

IV. Hisce primordialibus Fidei initiis, Gratiâ interiùs operante, exitus respondit. Nam spretis Gentilium superstitionibus ad lumen Evangelicæ Veritatis Tatianus accessit, & sacro regenerationis lavacro ablutus fuit. Hujus Operis consummationi plurimùm contulisse S. Justinum Martyrem, cujus se auditorem ac discipulum Tatianus præbuerat, Veteres omnes testantur. Ita Irenæus, ut supra citatus, Eusebius Lib. 4. Hist. cap. 29. de Tatiano, ex

ex eodem Irenæo: *Qui*, inquit, *Justini auditor, quandiù quidèm cum illo versatus est, nihil ejusmodi protulit*. S. Hieronymus de Script. Eccles. in Tatiano: *Justini Martyris sectator fuit, florens in Ecclesia, quamdiù ab ejus latere non discessit*. Theodoritus Lib. 1. Hær. Fab.: *Tatianus autem Syrus fuit primùm Sophista, postea verò etiam Divini Justini Martyris fuit discipulus*. Demum Epiphanius Hæres. 46.: *Is primùm, utpote Græcis eruditus artibus, Justini Philosophi sanctissimi ac religiosissimi viri consuetudine est usus*.

V. Ex his apertè colligitur, quoad Justinus vixit, Tatianum saltem exteriùs in Veritate stetisse, sed eo Martyrio è vivis sublato, superbiâ elatum (ut omnium Hæreticorum mos est) de sua condenda Hæresi cogitasse, & opere implevisse. Ita refert Irenæus citatus his verbis de Tatiano: *Qui cùm esset Justini auditor, inquantum quidèm apud eum erat, nihil enarravit tale: post verò illius Martyrium, absistens ab Ecclesia, & præsumtione Magistri elatus & inflatus, quasi præ cæteris esset, proprium characterem doctrinæ constituit*. Idem ex Irenæo Eusebius asserit, loco citato. Consentiunt Theodoritus dicens: *Post Magistri autem mortem desideravit esse auctor & princeps Hæresis*: & S. Hieronymus citatus: *Postea verò*, inquit, *inflatus eloquentiæ tumore novam condidit Hæresim, quæ* Encration *dicitur, quam postea auxit Severus, à quo ejusdem partis Hæretici Severiani usque hodie appellantur.* Epiphanius autem, relato S. Justini Martyrio, subdit: *Huic autem cùm se Tatianus initio dedisset, quandiù cum Sancto Martyre vixit, cùm cæteris in rebus honestissimè se gessit, tum egregiâ fuit ac constanti Fide præditus. Sed illo mortuo, perinde ac si cæcus ab altero deductus à ductore destituatur, in præceps sese committens, præ cæcitate deorsùm ita fertur, ut cohibere lapsum nequeat, donec in exitium ruat: ita Tatiano contigit*.

VI. Non statim tamen post Justini mortem, quæ contigit anno 167., à Catholica Fide saltem apertè Tatianus descivit: nam post Justini mortem suam adversùs Græcos Orationem, opus habitum ut Catholicum, eum edidisse pro comperto habetur. Et maximè quia post Justini mortem Tatianus Scholæ ejùs facilè princeps factus, vel principatum ambiens auditorem habuit ac discipulum Rhodonem insignem Marcionitarum antagonistam, ut ipse refert in Libro, quem Callistioni nuncupavit, in quo dicit, se à Tatiano eruditum, & à Tatiano elaboratum fuisse Librum Quæstionum, quarum solutiones ipse Rhodon peculiari Opere se editurum profitetur, ut ex ipso testatur Eusebius Lib.5. Hist. cap. 13.. Ex quibus colligitur, Tatianum mortuo Justino ductore non statim cæcum factum fuisse, sed aliquandiù lucem Veritatis servasse; donec quia

forte

fortè inter Justini discipulos ac sodales principem quem ambiebat locum consequi non poterat, vel aliâ causâ motus, Româ relictâ, & in Orientem se conferens, suæ Hæresi, quam animo priùs conceperat, ibi ortum dedit.

VII. Hinc apparet, hæresim hanc non cœpisse Romæ, ut vult Lambertus Danæus in Opusc. de Hæres. cap. 25.; nemo enim ex antiquis hoc scripsit: imo Epiphanius contrarium apertè pronuntiat n. 1. dicens: *Post Sancti Justini Martyrium Româ profectus in Orientem & ibidem habitans, in absurdas opiniones incidit: ac nescio quos Æonas è Valentinianis Fabulis, & principia quædam ac propagationes commentus est; sed Antiochiâ præsertim, quæ ad Daphnen est, illius dogma derivatum in Cilicia ac Pisidia cumprimis coaluit.* Epiphanio in hoc consentiunt omnes, & etiam Ittigius de Hæresiarch. cap. 12. num. 2., qui num. 4. dicit, occasionem novæ condendæ Sectæ Tatiano, ut ex Irenæo dixi, elationem ac præsumtionem Magisterii fuisse, affertque suum Chemnitium dicentem, Tatiani exemplum magna ingenia monere, ut discant ex Paulo Rom. 12. v. 13. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Quod monitum si servassent Chemnitius & ipse Ittigius, novas Pseudo-Reformatorum doctrinas secuti non essent, nec ab Ecclesia cum Tatiano recessissent.

VIII. Constat ergo ex dictis, nisi post Justini Martyrium hæresi suæ condendæ manum apponere Tatianum cœpisse. Sed quo tempore & anno id cœperit, disputatur. S. Epiphanius de Tatiano: *Qui primùm*, inquit, *in Mesopotamia novam sectam condere aggressus est circa annum duodecimum Antonini cognomento Pii.* Quam opinionem sequitur Valesius in Notis ad Eusebium, & Pearsonius in Vita Justini. Alii communiùs volunt, Tatianum Sectam suam prodere cœpisse circa annum duodecimum Marci Aurelii, qui coincidit cum anno Christi 172. Quâ opinione positâ, cùm S. Justinus Martyrium subierit anno Christi 167., ut dixi; sequitur, post annos quinque hæresim suam Tatianum in Oriente evulgare cœpisse: quod superiùs dictis consonat. Cùm enim hæresim moliri non cœperit dum adhuc esset Romæ, imo se Catholicum ostenderit scribens præfatam Orationem ad Græcos, fit, aliquo tempore Romæ moratum esse post Justini mortem, antequam profectus in Orientem de Hæresi condenda cogitaret. Ex Oratione tamen ad Gentes (si Romæ scripta fuit) colligitur, de Immortalitate Animæ antequam Româ discederet, eum non rectè sensisse: ibi enim ait: *Non immortalis est anima ò Græci, suaptè naturâ, sed mortalis: eadem tamen ne moriatur fieri potest. Moritur etiam & dissolvitur cum corpore, quæ veritatis ignara est, resurget autem postea*

stea in consummatione mundi unà cum corpore, mortem in ipsa immortalitate per cruciatum & pœnam sentiens: Quibus vult Tatianus, Animam veritatis Fidei ignaram mori cum corpore, resurrecturam tamen in fine Mundi, & immortalem ad pœnam & cruciatus futuram. Quæ doctrina sanè à vera Fide aliena est.

IX. Hic corrigendus est error, qui nescio quomodo in Philastrum irrepsit, ubi Hæref. 48. legitur: *Post Decii autem persecutionem fuit Tatianus quidam discipulus Sancti Justini Martyris, qui recessit à Veritate post passionem ipsius* &c. Hoc enim evertit totum quod dictum est, & quod Philaster ipse fatetur, quòd nempè Tatianus S. Justini discipulus fuerit; nam si solum post Decii Persecutionem, quæ anno Christi 250. sæviebat, Tatianus hæreticus apparuit, fieret, hoc non evenisse nisi 80. annis post Justini passionem, quod incredibile est.

§. II.

De Tatiani Scriptis, & de Encratitis.

I. Præter Orationem contra Gentes, quam scripsit Tatianus adhuc (saltem extrinsecè) Catholicus, de qua supra dixi, alia plura factus Hæreticus edidit Scripta, S. Hieronymo teste L. de Script. Eccl. cap. 29. dicente: *Porrò Tatianus infinita scripsit volumina, è quibus unus florentissimus contra Gentes extat Liber, qui inter omnia opera ejus fertur insignis*. Scripsit quoque Librum de Perfectione secundùm Servatorem, quo Matrimonium damnavit, illud illicitum esse contendens: cujus meminit Clemens Alexand. L. 3. Strom. Item Librum Problematum, seu Quæstionum scripsisse, Auctor est Rhodon, aliàs ut dixi Tatiani discipulus, apud Eusebium L. 5. Hist. cap. 13., ubi de Rhodone ait: *Refert etiam, à Tatiano elucubratum esse Quæstionum Librum, in quo cum Tatianus obscuros atque involutos Sacræ Scripturæ locos se expositurum promisisset, ipse Rhodon solutiones Quæstionum Tatiani peculiari Opere editurum se esse profitetur*. Porrò hunc Quæstionum Librum composuisse fertur Tatianus, in Veteris Legis invidiam, ut nempè eam obscurissimam ac imperviam ostenderet, ac proinde à malo Deo esse profectam.

II. Aliud Opus Tatianus confecit, nempè Catenam & Collectionem quandam ex quatuor Evangeliis, quam *Diatessaron* nuncupavit. De hac Eusebius L. 4. Hist. cap. 9. *Cæterum*, inquit, *primus eorum Auctor Tatianus Catenam & Collectionem nescio quam Evangeliorum contexuit, quam* Diatessaron, *hoc est Evangelium ex qua-*

quatuor Evangeliis compositum nominavit, quod Opus à quibusdam etiamnum habetur: De facto plura hujus Operis exemplaria suo tempore adhuc extitisse, ac omnia à se collecta sepofuisse, refert Theodoritus Lib. 1. Hæret. Fab., ubi agens de Encratitis, postquam dixit: *Is autem* (Tatianus) *composuit etiam Evangelium, quod dicitur per quatuor, amputatis Genealogiis & aliis, quæcumque ostendunt, Dominum esse natum ex David secundùm carnem*: Quibus ut suo errori, quo Christo veram carnem eripiebat, fucum simplicibus faceret, omnia, quæ de vera Christi carne Evangelistæ scripserant, à suo Pseudo-Evangelio amputare voluit. Subjungit postea idem Theodoritus: *Eo autem usi sunt, non ii soli, qui sunt illius sectæ, sed ii etiam, qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simpliciùs eo tanquam Libro compendioso utentes. Ego quoque inveni plusquam ducentos hujusmodi Libros, qui in honore habebantur in nostris Ecclesiis, quos cùm omnes simul coegissem, deposui, & loco eorum reposui quatuor Evangelistarum Evangelia*. Hæc de facto proprio Theodoritus.

III. Hujus Tatiani ex Evangeliis contexturæ meminit quoque Epiphanius Hær. 46. n. 1. his verbis: *Ferunt, Opus illud, quod ex quatuor Evangeliis contextum est, quodque secundùm Hebræos nonnulli vocant, ab eo esse conscriptum*. Ex hoc quod Epiphanius dicat, hanc Tatiani contexturam ab aliquibus vocari *Evangelium secundùm Hebræos*, suspicati sunt aliqui, Tatianum suam Harmoniam Evangelicam non solùm ex quatuor, quæ nunc habemus Evangeliis, sed etiam ex Evangelio secundùm Hebræos, quod Nazaræorum dicebatur, concinnasse. In hanc opinionem propendit Victor Capuanus, qui in Præfatione ad Tatiani Harmoniam (quæ extat tom. 2. Biblioth. Vet. PP.) refert, quòd Tatianus suam Harmoniam *Diapente* inscripserit: ex qua inscriptione Hugo Grotius sub initio suarum Annot. in Matth., & Vossius in Dissert. de Gener. Christi colligunt, Tatianum in sua Harmonia etiam Hebraico Matthæi Evangelio usum fuisse, quod multa in Græco non extantia continuit, ideòque diversum quodammodo videri potuit. Iis tamen non assentitur Ittigius in Dissert. de Hæref. cap. 12. sect. 1. ; Eusebius enim ex quatuor Evangeliis Tatiani Harmoniam compositam fuisse asserit, ideòque *Diatessaron* dictam: quòd autem Victor Capuanus eam *Diapente* dictam fuisse scribit hoc vitio Librariorum evenisse putat, cùm potius legendum esset *Diapanton*, quod significat unum quintum ex quatuor conflatum.

IV. Superest modo dubium, an hæc Catena seu Harmonia Evangelica à Tatiano edita extet adhuc. De Oratione ejus contra Gentes ad Calcem Operum S. Justini posita nemo ferè ambigit. De

De prædicta verò Harmonia dissidium est. In Bibliotheca Patrum duplex Consonantia, seu Harmonia Evangeliorum legitur. Una Tomo 2. sub titulo: Consonantia Evangeliorum Tatiani Alexandrini, præmissâ præfatione Victoris Capuani. Altera legitur Tomo 3. ejusdem Biblioth., quæ nomen refert Ammonii Alexandrini: in cujus Præfatione adnotatur, hanc magis quàm illam adscribendam Tatiano, licèt nomen Ammonii Alexandrini per errorem præferat; quia huic omnia competunt, quæ Eusebius & Theodoritus de Diatessaron Tatiani prodiderunt. Nam in ea quæ Tatiani nomen præfert extant Genealogiæ, quas Tatianus amputaverat; neque Tatianus fuit patriâ Alexandrinus, ut in ea inscribitur: in hac autem secunda omnia hæc desiderantur. Ita sentit Baronius ad ann. 174., unde loco Ammonii restituendum esse putat nomen Tatiani, & potiùs Ammonii nomen ponendum in prima.

V. Verùm neutram esse Tatiani hæretici, censet Valesius in Notis ad cap. 29. Lib. 4. Eusebii. Nam omissâ priori, quam Tatiani Assyrii non esse omnes conveniunt, neque secundam ei tribui posse putat. Primò, quia hæc nil aliud est quàm Epitome quatuor Evangeliorum eleganter conscripta ab homine Catholico: Evangelium autem Tatiani ipsis Evangelistarum verbis conceptum fuit, solis resecatis iis, quæ Davidicam Christi Genealogiam spectant. Secundò, in isto Opere tres anni prædicationis Christi distinguuntur. Et tertiò, quòd cùm Tatianus studuerit à suo Evangelio exscindere omnia, quæ Christo humanam carnem ex stirpe David tribuunt, in isto Christus legitur Verbum factum Caro, narratur partus Virginis in Bethlehem, & Christus haud semel Filius David. Propterea tum Valesius, tum Pagi, tum Dupin, & Ittigius ipse, eam Tatiani non esse autumant: & quamvis ab ea absint Genealogiæ à Matthæo & Luca recensitæ, hoc tribui posse brevitatis studio potiùs quàm malitiæ. His addi potest, quòd cùm Ambrosius in Procemio explanat. in Evang. Lucæ, hæc habeat: *Plerique etiam ex quatuor Evangelii Libris in unum ea, quæ venenatis putaverunt assertionibus convenientia, reserserunt.* Si præfatis verbis Tatiani Diatessaron indicare voluit Ambrosius, ut multi putant, certum ex hoc etiam fit, Harmoniam hanc de qua agimus non esse Tatiani, cùm in ea venenata illa, de quibus Ambrosius loquitur, minimè reperiantur, ut eam legenti constabit.

VI. Refert Eusebius Lib. 4. hist. cap. 29. voluisse aliquos, ausum fuisse Tatianum etiam Pauli Apostoli Epistolas elegantioribus exprimere verbis: *Ajunt etiam*, inquit, *nonnulli, ausum illum esse dicta Pauli Apostoli elegantioribus verbis exprimere, utpotè qui* com-

compositionem verborum illius corrigere studeret: quo posito inferunt aliqui, quòd licèt secunda Harmonia, de qua locuti sumus, elegantioribus verbis ac stylo puriori conscripta sit, non proinde Tatiano sit abjudicanda. Si enim Pauli dicta elegantioribus verbis exprimere, & phrases emendare non erubuit, eâdem ratione probabile est, eum in sua Harmonia Evangelica, non ipsa Evangelistarum verba sequi voluisse. Nihilominùs de hac re judicium eruditis relinquam. Id enim me detinet ne assentiar, quòd in ea quam habemus, Harmonia Christus Filius Davidis appelletur, & alia de ejus vera carne legantur, quæ à sua Harmonia Tatianum resecasse certum habetur.

VII. Modò ad Encratitas me converto. Hos cum Tatianis jungit S. Augustinus. De eis tamen separatim agit Epiphanius, dum de Tatianis agit Hæresi 46., de Encratitis autem Hæresi 47. Sed in hoc ab Augustino non dissentit Epiphanius. Nam cùm Encratitæ Tatianum habuerint Magistrum, Augustinus cum Magistro eos conjungere voluit, Epiphanius verò à Magistro separatim eos proponit, quia doctrinæ Magistri addiderunt: & quia sub hoc nomine famosiores & diuturniores fuere, ut dicam. Asserit utrumque Epiphanius ipse Hæres. 47. his verbis: *Qui Encratitæ vocantur, Tatiano successerunt, cujus erroribus imbuti sunt; eosque novis opinionibus cumularunt, & majores nugas ac deliria commenti sunt. Horum ingens est hodie numerus in Pisidia, eâque Phrygiæ parte, quæ* Adusta *dicitur. Quod ei regioni nomen certo Dei consilio forsitan inditum est, quòd talis ac tanti erroris pravitate illius incolæ quodammodo conflagraverint; est enim Hæresibus apprimè referta. Præterea verò in Asiæ Provinciis, & in Isauria, Pamphylia, Cilicia, Galatia Encratitæ propagati sunt; imò & in Romano tractu, & Antiocheno in Syria, licèt non ubique pervaserit*: ex quibus apparet, hæresim à Tatiano conditam primò Tatianorum appellatam, deinde Tatiano mortuo latiùs diffusam, & erroribus auctam à Tatiani successoribus, Encratitarum nomine à Continentia, quam in pluribus erroneè profitebantur, sumto appellatam.

VIII. Encratitas Tatiani sobolem & propaginem fuisse omnes consentiunt. Irenæus L. 1. cap. 30. modò 28., postquam Encratitarum sub nomine Continentium errores recensuit, subdit: *Tatiano quodam primò hanc introducente blasphemiam*: quod ex Irenæo repetit Eusebius L. 4. Hist. cap. 29., ubi similiter eorum enarratis Hæresibus concludit: *Atque hoc nuper apud illos excogitatum est, Tatiano quodam primo hujus impietatis auctore*: Theodoritus etiam L. 1. Hæret. Fab. de Tatiano loquens, ait: *Hunc habent ducem, qui dicuntur Hydroparastatæ & Encratitæ. Nominantur autem Hydro-* pa-

paraſtatæ, quòd aquam pro vino offerant. Encratiſtæ autem, quòd neque vinum bibant, nec animatis veſcantur. Sed de hoc infra. Hinc ubi ab Auctore Tatiani priùs dicebantur, poſtea Encratitæ ab operatione ideſt Continentia à quibuſdam rebus dicti ſunt. Sic Clemens Alexandrinus L. 7. Strom. ubi dixit, ex Hæreſibus, quaſdam appellatas ab Auctoris, quaſdam à Loci, quaſdam à Gentis nomine, ſubdit: *aliæ autem ex operatione, ut Encratitarum*. Originem tamen ſuam à Tatiano duxiſſe, teſtatur etiam Nicetas in Theſaur.Orthodox. dicens: *Encratitarum quoque, ſeu Continentium Hæreſis Hæreſeos Tatiani fragmentum eſt*. Et Honorius Auguſtodunenſis Lib. de Hæreſ. *Tatiani*, inquit, *à quodam Tatiano dicti, qui & Creatitæ*, veriùs *Encratitæ*; quibus accedit Damaſcenus Catalog. Hæreſ. dicens: *Encratitæ* reliquiæ quædam ſunt Tatiani. Ne igitur à radice ramum excidam, utrumque ſimul conjunctum proponam.

§. III.

Tatiani & Encratitarum errores, de Deo, Scripturis, Chriſto, & Nuptiis.

1. Circa Deum Tatianus erravit, quia non unum Deum omnium principium ſtatuebat, ſed plura principia, nempè Æones cum Valentino adſtruebat. Ita de Tatiano & Encratitis ſentit S. Auguſtinus dicens: *Probationes quaſdam fabuloſas ſeculorum etiam ipſi ſapiunt*. Irenæus apud Euſebium L. 4. Hiſt. cap. 29. de Tatiano: *Æonas*, inquit, *inviſibiles commentus perinde ac Valentinus*. Theodoritus de eodem ait: *Figmenti ſui materiam emendicavit, à Valentino quidem Æonum productiones*. Epiphanius autem de Tatiano Hæreſ. 46. ait: *Neſcio quos Æonas è Valentinianis Fabulis, & principia quædam & propagationes commentus eſt*: De Encratitis verò ſubjungit: *Hinc enim Encratitarum orta ſucceſſio eſt, quibus venenum illud aſperſum*; & ſpecialiter Hæreſ. 47. n. 1. de iiſdem: *Principia enim*, inquit, *etiam illi plura conſtituunt, & inter ea Diabolum referunt, quem Dei operibus adverſari, nec illi eſſe ſubjectum volunt: ſed præcipuâ quâdam poteſtate præditum agere quæ libuerit, non malitiâ depravatum*. Hæc quæ de Diabolo Encratitæ dicebant, cùm non legantur de Tatiano expreſſa, fortè addiderunt de ſuo. Omnia autem ejuſmodi partim à Valentino, partim ab aliis reſumta, cùm ex ſuperiùs dictis tanquam fabuloſa & impia rejecta ſint, ideò iterum ea refellere ſuperfluum eſſet.

II. Ni-

II. Nihilominùs hoc contra Tatianum repetam, quod Epiphanius Hæref. 46. num. 2. contra ipsum urget, nimirùm: *Fieri omnino non posse, plura ut principia sint eorum, quæ successione generantur: Plura siquidem illa, & unum ab uno profecta, ab una omnium causa manasse reperiemus. Ita non jam multa Principia, sed unum erit, à quo cætera dependent, & ad unius imperium universa referentur.* Quando enim unum ab altero generatione procedit, cùm idem non possit producere se ipsum, oportet, quòd ab alio sit, & istud ab alio, donec deveniatur ad unum quod cæterorum sit principium, ipsum autem à nullo sit, aliàs in infinitum abiretur. Hunc errorem in Encratitis idem Epiphanius Hær. 47. num. 1. ita refellit: *Si tam Vetus quàm Novum Testamentum recipiunt, quomodo diversa illa Principia ponentur, cùm ambo inter se Testamenta de singulari Divinitate consentiant, ejusque cognitionem prædicent?*

III. Circa Sacros tum Veteris tum Novi Testamenti Libros malè sentiebant. Tatianus Legem esse alterius Dei dicebat, & quid esset Vetus & Novus homo alio planè modo, quàm Orthodoxi, exponebat. Ita refert Clemens Alex. L. 3. Strom. hisce verbis: *Separat autem Veterem quoque hominem & Novum Tatianus, sed non ut nos dicimus. Veterem quidem, Legem; Novum autem, Evangelium; ei assentimur, nos quoque dicentes, sed non eodem modo, quo vult ille, dissolvens Legem, ut alterius Dei*: & propterea Librum Problematum seu Quæstionum, de quo supra conscripsit. De Novo Testamento quid sentiret, ejus Harmonia, de qua supra, testatur: in qua quod sibi placebat admisit, quod verò sibi displicebat, amputavit, non ab Evangelistis Evangelium accipiens, sed suum sibi formans suis erroribus accommodatum. S. Hieronymus in Præfat. in Epist. ad Titum refert, Tatianum quasdam Pauli Apostoli Epistolas repudiasse. De Encratitis dicit Epiphanius Hæref. 47., quòd in Novi fœderis Libris *cum Ecclesia minimè consentiunt, sed à Veritatis doctrina longiùs aberrant. Inter primarias Scripturas habent Andreæ ac Joannis Acta, nec non Thomæ, & apocryphas alias. E Vetere Testamento, quod libuerit eligunt*: Nec aliter errores suos Sacris Scripturis apertè repugnantes tueri potuissent, nisi eas ea in parte, quâ eis resistebant, abjecissent, & ad apocrypha se convertissent. In hoc errore confutando non immorabor; de eo enim contra superiores Hæreses satis dictum reor.

IV. Circa Christum errabant, quòd ei veram carnem auferebant, putativam & apparentem solam ei affingentes. De Tatiano inter cætera, quæ ex Marcione & Valentino hausit, hoc fuit ut carnem solùm putativam Christo assereret, teste Hieronymo in Com-

Comment. ad Galatas: quod in Harmonia, quam ex quatuor Evangeliis contexuit, demonstravit; à qua, ut dixi, omnia quæ Evangelistæ tradunt de Genealogia, Conceptu, Nativitate ac Veritate carnis Christi exulare voluit. Porrò cum hoc Libro etiam Encratitæ Theodorito teste uterentur, credendum est, eos quoque Magistri sui doctrinam in hoc fuisse amplexatos: contra quam hîc agere prætermitto, cùm contra superiores hæreses præcipuè Gnosticorum & Marcionis de ea locutus sim.

V. Circa Nuptias & Matrimonium errabant, quòd à Deo esse negabant, nec à fornicatione & stupro distare asserebant. Hunc errorem à Saturnino & Marcione Encratitas & Tatianum accepisse, testis est Irenæus L. 1. cap. 28. aliàs 30. & 31., ubi de Encratitis: *A Saturnino*, inquit, *& Marcione, qui vocantur Continentes, abstinentiam à Nuptiis annuntiaverunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & ubiquè accusantes eum, qui & masculum & feminam ad generationem hominum fecit*. De Tatiano autem inter plura ait: *Nuptias autem corruptelas & fornicationes similiter ut Marcio & Saturninus dicens*: quod ex eodem refert Eusebius L. 4. Hist. cap. 29. Hunc errorem in Tatiano confutat Clemens Alexandr. L. 3. Strom. Primò, quia si Matrimonium malum esset, & non à Deo, non à Deo fuisset Adæ cum Eva Matrimonium, & malum fuisset: si non à Deo & malum, mala quoque esset & non à Deo filiorum procreatio: quòd si mala, & non à Deo, cur Eva cùm genuisset Seth dicere potuit *Suscitavit mihi Deus aliud semen pro Abel?* Secundò hoc idem probat ex eo, quòd Sacramentum Baptismi per modum regenerationis institutum est, quo carnaliter geniti spiritualiter regenerentur. Non autem Sacramentum hoc regenerationis instituisset Dominus, si generari vel à Diabolo esset, vel malum, aut Deo odibile. Tertiò probat, Matrimonium non esse malum, quia in Lege Divina Veteri institutum à Deo, & à Domino in Nova confirmatum: unde concludit „ Sunt ergo separata fornicatio & Matrimonium, quoniam à Deo longè abest Diabolus„ De hoc aliqua etiam dixi agens contra Severum Cap. præcedente §. 2. num. 8., & supra cap. 2. §. 1. num. 10. &c. contra Saturninum, videnda.

VI. Epiphanius etiam Hæres. 46. num. 2. hunc Tatiani errorem referens: *Nuptias*, inquit, *adulterium esse merum ac corruptelam existimat: nec ab illa discrepare penitùs, sed idem ac unum esse. Quâ quidèm continentiæ ac pudicitiæ specie velut illecebrâ propositâ homo vafer obrepsit, tanquam rapax quidam lupus pellem ovis induens, eoque cultu, quem ad tempus susceperat, miseros homines in fraudem pelliciens*: Post multa autem eum num. 3. ita redarguit: *Quòd si*

ha-

nuptias auctori Deo tribuendas negat, easque flagitium & adulterium nominat, & se ipsum nihilominùs è muliere prognatum atque ex virili flatu procreatum servari posse confidit. Quâ quidèm ratione priorem illam, quam nuptiis imposuerat, contumeliam rescidit. Si enim ille in se originem trahens ex nuptiis salutem consequitur, non igitur detestandæ sunt nuptiæ, quæ eos gignant, quibus salus tribuenda sit. Deinde alio suo errore (de quo statim dicam) quo dicebat Adamum salutem non fuisse adeptum, eum convincere volens: *Quòd si*, inquit, *vera sit eorundem sententia, ut illicitæ sint nuptiæ, tantò magis Adamum ipsum par est salutis compotem fieri, qui nullis propagatus nuptiis, Patris & Filii & Spiritus Sancti manu est effictus, quemadmodùm Scriptura testatur, cùm ita Pater Filium alloquens introducitur* Gen. 1. v. 26. „ Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram „ *Quî porrò convenit Adamum quem pro desperato habes à salute alienum esse?* Ita Epiphanius, ac si diceret: Tu qui nuptiis, quas illicitas & opus Diaboli dicis, es procreatus, salutem consequi speras: & postea Adamum opus Dei manu ejus formatum à salute excludis?

VII. Quia verò errorem munire contendebat Tatianus auctoritate Pauli ad Galat. cap. 6. v. 8. dicentis: *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*: ex quibus sic discurrebat apud S. Hieron. Comment. in hunc locum: „ Si quis seminat in carne, „ de carne metet corruptionem: in carne autem seminat qui mulieri jungitur: ergo & is, qui uxore utitur & seminat in carne „ ejus, de carne metet corruptionem „. Hæc Tatianus. Cui, inquit S. Hieronymus: *Respondebitur: primùm, non dixisse Paulum*, qui seminat in carne, *sed* in carne sua. *Nemo autem secum ipse concumbit, & in sua carne seminat. Deinde, ut observantiam hanc, quam annotavimus*, in carne sua, *ex abundanti concedamus, addendum est, eos quoque qui comedant & bibant & dormiant & aliquid faciant in refrigerium corporis, juxta illam seminare in carne, & de ea metere corruptionem. Quòd si ad hoc confugerit, ut dicat, eos, qui sivè bibant sivè dormiant, in nomine tamen Domini omnia cum ratione perficiant, non in carne seminare, sed in spiritu: & nos similiter respondebimus, eos quoque qui primam Dei sententiam sequantur cum ratione facientes*„ Crescite & multiplicamini & replete terram„ *non in carne, sed in spiritu seminare*. Ita Hieronymus: qui subjungit, quòd si Tatiani sophisma valeret, dici deberet, Abraham, Isaac, Jacob & alios sanctos Viros, qui de repromissione nati sunt, ac ipsum quoque Domini Præcursorem, quia in carne natus est, de corruptionis germine pullulasse: quod nefas est dicere.

VIII.

VIII. Quæ contra Tatianum hactenùs dicta sunt, etiam Encratitas feriunt, eâdem enim & ipsi insaniâ tenebantur teste Epiphanio Hæres. 47. num. 1., ubi ait: *Nuptiarum auctorem Diabolum manifestè constituunt*. Eos tamen castitatem simulasse addit num. 3. dicens: *Quòd verò continentiam gloriosè jactitant, lubricum est illorum quidèm ac periculi plenum facinus. Nam inter mulierculas versantur assiduè, quas undecumque polliciunt, cum iis iter faciunt, ac communiter vivunt, earumque ministeriis utuntur. Quare cùm à veritate longiùs absint, nihil præter ementitam illius speciem ostentant*. Et hoc sanè dici debet. Nam cùm Secta hæc Epiphanio ibidem num. 1. & Theodorito testibus, usque ad eorum tempora variis in Orbis partibus multiplicata vigeret, necesse est, ut à parentibus in filios esset propagata, non nuptiali concubitu, à quo abhorrebant; ergo stupris ac fornicationibus promiscuis: sicque qui nuptias ut illicitas, & à Diabolo inventas execrabantur, stupra fornicationes promiscuas ut licitas & Dei opus admittebant.

IX. In eorum favorem objici potest, quòd nuptiæ seu maris & feminæ conjunctio ortum habuerit ex lapsu & peccato primorum Parentum: si enim in originali innocentia stetissent, genus humanum non fuisset propagatum per coitum, sed aliâ viâ à Deo instituendâ. Sed quia Deus eorumdem lapsum futurum prævidit, ideò fecit masculum & feminam, ut utriusque conjunctio humanum genus, quod peccato mortem contraxerat, propagatione conservaretur. Pro hac sententia adducuntur S. Augustinus Lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 19., & Damascenus Lib. 2. Fidei Orthod. cap. 30. & Lib. 4. cap. 1.. A qua sententia abhorrere non videtur S. Hieronymus Lib. 1. adver. Jovinianum. Cùm ergo Diabolus sit peccati auctor, & ipse erit auctor conjugalis copulæ: & proinde non à Deo, sed à Diabolo nuptiæ sunt.

X. Admissâ tamen hâc sententiâ (quæ ut dicam prædictorum Patrum non est) Encratitarum intentum non juvatur. Nam estò ex peccato præviso secuta esset diversitas sexuum, & proinde maris & feminæ conjunctio: hoc tamen à Deo provisum fuisse negare nemo potest, si ad ea quæ narrantur in Genesi cap. 1. & 2. attendere velit. Unde ait Damascenus loco citato ex Lib. 4.: „ Poterat enim Deus hoc genus & alio modo multiplicare, si mandatum usque in finem servassent intemeratum. Sed sciens Deus, præscientiâ suâ omnia sciens priusquam fiant, quòd futuri erant transgressores & morte condemnandi, anticipans fecit masculum & feminam, & augeri & multiplicari præcepit „. Unde juxta Damascenum diversitas sexuum occasione quidèm peccati orta est, sed à Deo, & à Deo præcepta per conjunctionem nuptialem

lem maris & feminæ generis humani multiplicatio & propagatio. At non à Deo, sed à Diabolo inventa propagatio per promiscuas ac fornicarias conjunctiones, multiplicatio quâ Encraticæ à nuptiis abhorrentes propagabantur.

XI. Cæterùm S. Augustinus priorem sententiam suam apertè retractavit, ut ex Lib. 1. Retract. cap. 10. & cap. 19. apparet. Imò Lib. 14. de Civit. Dei cap. 22. asserit, futurum etiam in statu innocentiæ nuptiarum bonum. Monet tamen cap. 21., non per libidinem gignendos fuisse homines in statu innocentiæ, cùm hæc ex peccato orta sit: *Post peccatum quippe orta est hæc libido: post peccatum eam natura non impudens amissâ potestate, cui corpus ex omni parte serviebat, sensit attendit erubuit operuit*. Nullum tamen libidinis motum pro eo statu in actu conjugii, adfuturum admittit cap. 26. dicens: *In tanta felicitate rerum & felicitate hominum absit, ut suspicemur, non potuisse prolem seri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, sicut cætera, & sinè ardoris illecebroso stimulo cum tranquillitate animæ & corporis nullâ corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Neque enim quia experientiâ probari non potest, ideò credendum non est: quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas, sicut opus esset adhibere. Ita tunc potuisse utero conjugis, salvâ integritate feminei genitalis, virile semen immitti: sicut nunc potest, eâdem integritate salvâ, ex utero Virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Eâdem quippè viâ posset illud injici, quâ hoc potest ejici. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus feminea viscera relaxaret: sic ad fœtandum & concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret*. Hæc & alia dicto Libro Augustinus, quæ ne prolixior sim, Studioso relinquo.

XII. Hoc solùm ex eodem addam, quòd Lib. 1. de Nuptiis & Conc. cap. 12. nimirùm in statu naturæ lapsæ commercium nuptiale estò sine libidine esse non possit, posse tamen esse sine peccato, quando non dominante libidine, sed serviente habetur: his verbis: *Quamvis conjugalis concubitus, qui fit intentione generandi, non sit ipse peccatum, quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cùm justè redigitur in usum generandi plaga peccati. Hujus plagæ quidèm pruritus in adulteriorum & fornicationum, & quorumlibet stuprorum atque immunditiarum fœditatibus regnat, in connubiorum verò necessitudinibus servit*.

XIII. Quia verò opponi posset, conjugatos frequentiùs dominante libidine ad concubitum incitari, dicit, hoc non esse vitium

nu-

nuptiarum, sed nuptiis abutentium. Ita Lib. de Bono Conjugali cap. 14.: *Quid sit*, inquit, *nuptiarum considerandum est, non quid nubentium, & immoderatiùs nuptiis utentium. Neque enim si agris iniquè ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideò rapinam justificat: neque si alius ruri paterno, vel justè quæsito avarus incumbat, ideò culpanda est juris civilis regula, quâ possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regiâ clementiâ Tyrannus subditos tractet: nec vituperabilis ordo Regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyrannicâ sæviat. Aliud est namque injustâ potestate justè velle uti, & aliud est justâ potestate injustè velle uti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causâ concumbant, justum faciunt concubinatum suum: nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali Ordini crimen imponunt*. Ita doctè ut de more Augustinus. Attendant ad hæc Tatiani & Encratitæ, & discant an justè sua scorta admittant, qui uxores habere nolunt.

§. IV.

Errores de abstinentia à vino etiam in mysteriis, & ab animantium carnibus.

I. Tatiani & Encratitæ, qui nuptias damnabant ut illicitas, usum etiam vini ut illicitum prorsùs respuebant, solius aquæ usu contenti; ex hoc etiam *Continentes*, & *Hydroparastatas* se appellari ambientes. Hunc errorem Cap. præcedente §. 2. in Severo rejeci, licèt iste singulari motivo vinum rejiceret, quia nempè dicebat, vitem ex semine Diaboli satam fuisse. Plura tamen ibi dicta huc revocari possunt. Igitur Tatianos & Encratitas in hoc errore fuisse, testes sunt Irenæus Lib. 1. cap. modò 28. alias 30., Theodoritus, Clemens Alex.: qui Lib. 2. Pedagogi cap. 2. versùs finem, ubi probavit, usum moderatum vini non esse malum, ait: *Hæc nobis quidèm fixa sunt & firma adversùs Encratitas*. Epiphanius item Hæres. 46. Tatianum dicit aquam solam in mysteriis adhibuisse; & Hæres. 47. de Encratitis: *Vino*, inquit, *penitùs abstinent, & Diaboli eum appellant: quòd qui bibant eoque utantur, improbos ac peccatores esse statuant*. Ita alii. S. Augustinus de hoc eorum errore mentionem non facit.

II. Eorum fundamenta profert & destruit S. Epiphanius dictâ Hæresi 47. num. 2. sequentibus verbis: *Verùm ad opinionem suam, sivè potiùs fabulam asserendam, eosque damnandos, qui vinum adhibent, nonnullis abutuntur Scripturæ locis, ac voces aucupantur, qui-*

bus à Damone profectum istud ipsum demonstrent. Nam & Noëmus, inquiunt, postea quam vinum bibit, nudatus est (Genes. 9. 21.) *Loth ebrius cum filiabus suis imprudens concubuit* (Genes. 19. 33.) *Eadem ad fabricandum vitulum ebrietas impulit* (Exod. 32. 4.) *Quò illa Scripturæ verba pertinent*, Proverb. 24. v.29. *Cui tumultus? cui pugna? cui molestiæ ac fabulationes? cui contritiones frustrà? cujus lividi sunt oculi? nonne eorum qui commorantur in vino? nonne eorum qui perquirunt, ubi compotationes fiant? Hæc & alia id genus loca perscrutantes congerunt, quò suam opinionem suadeant.*

III. Quibus Epiphanius ita respondet: *Nec illud intelligunt, non in eo solo de quo agitur, sed ubique quidquid modum excesserit, molestum & extra id quod propositum est, prohibitum esse. Neque enim id de vino solùm, sed de ciborum nimia saturitate dici potest. Atque hoc est quod in Evangelio Dominus admonuit* Lucæ 21. v. 33. ,, Ne graventur corda vestra crapulâ & ebrietate & curis hujus seculi,,. *Item.*,,Si insatiabilis es, ne concupiscas divitis cibos: hi enim vitæ mendaci conjuncti sunt,,. *Sed idem longè copiosiùs ab Apostolo declaratum: qui edaces & belluones derideus, ac gulæ cupiditates detestans* ,, Esca ventri, *inquit*, & venter escis: Deus autem & hunc & illas destruit,, (1.Cor.6. v. 13.): *Præterea Esau primogenita sua frumenti pulticulâ vendidit* (Genes. 25. v. 30.) *ut Scriptura narrat, quæ eandem & frumenti & lentis pulticulam vocat. Quanquam id ego verisimilius arbitror, non ex frumento eam sorbitionem fuisse, sed jusculi ex lente residuum, quod igni rursùs impositum ac recoctum propterea* πιτὺ *à Scriptura vocatum est, quoniam cùm refrixisset, denuò calefactum est. Ut igitur ob vinum ille, nullâ à quopiam acceptâ injuriâ nudatus est; sic alter ob famem ac voracitatem primogenitis amissis majus quàm ex vino damnum atque injuriam accepit.* Hactenùs Epiphanius.

IV. Itaque vinum non est à Deo prohibitum, sed immoderatus vini sicut & cujusvis alterius cibi usus vetitus est. Hic enim est, qui facit homines improbos, peccatores & ad omne scelus paratos. Unde Proverb. 23. v. 20. dicitur: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferant*: & Apostolus, qui Rom. 13. v.13. ad honestè vivendum commessationes & ebrietates fugere monuit; ut Cap. præcedente dixi, Timotheum monuit, ut moderatè utatur vino: & Clemens Alexand. Lib. 2. Pedagogi cap. 2. ait, quòd cùm Dominus in Nuptiis Canæ aquam in vinum convertit, vini quidèm usum permisit, at vino inebriari non permisit: *Etsi aquam vinum in Nuptiis fecerit, non tamen permisit inebriari.* Cùm ergo Christus vini usum concesserit, imò & vini usum ipse adhibuerit, ut Cap. præcedente notavi; quâ fron-

fronte audent suis interdicere Encratitæ? Sed in hoc errabant, quia cùm legerent immoderatum vini usum esse vetitum & malum, inde inferebant, quemcumque vini usum etiam moderatum esse vetitum & malum, non advertentes contra se stare Paulum 1. ad Tim. 4. v. 4., de quo supra.

V. Ex hac Hæresi viam sibi parabant ad alteram, quâ dicebant, vinum in sacris mysteriis, nempè Eucharistiâ, conficiendis non esse adhibendum, sed aquam solam. Et quidèm si à mensis communibus vinum tanquam per se malum rejiciebant, eodem errore ducti à Sacra & Eucharistica mensa illud rejicere multò magis debebant; ideòque Sacram Eucharistiam in aqua sola celebrabant. Unde, teste Theodorito, ab ista solius aquæ oblatione Hydroparastatæ dicti sunt: ***Nominantur autem***, inquit, ***Hydroparastatæ, quòd aquam pro vino offerant***. Idem de Encratitis asserit Timotheus Presbyter in Lib. de Receptione Hæreticorum: ***In loco vini aquam Deo offerunt, ob quod Hydroparastatæ nuncupantur***. Additque Ittigius Differt. de Hæref. cap. 12. fect. 2. num. 10., quòd Hydroparastatarum nomen etiam in Codice Theodosiano Lib. 16. tit. 5. de Hæretic. Lege 7. 9. 11. & 65. occurrit. Eorumdem meminit Basilius in Epist. ad Amphilochium Can. 1. & alii.

VI. Licèt autem Hydroparastatarum nomen primò à Tatiano ortum & acceptum asserat Theodoritus Lib. 1. Hæret. Fab., ubi de Encratitis ait: ***Hunc*** (Tatianum) ***habent ducem, qui dicuntur Hydroparastatæ & Encratitæ***: si tamen rem spectemus, plures tum ante Tatianum, tum post, hoc nomen facto sibi vindicarunt. Ante Tatianum quidèm: nam hanc praxim servasse Ebionæos, testis est Epiphanius Hæref. 30. num. 16. dicens: ***Ex Christianorum Ecclesiæque imitatione Mysteria quædam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, & ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent***: Marcionem quoque Hæref. 42. num. 3. his verbis: ***Mysteria Catechumenis cernentibus apud illum celebrantur; ad hæc verò mysteria aquam adhibet***. Post Tatianum quoque Manichæi idem sectati sunt, quos in Codice Theodosiano sub Hydroparastatarum nomine imprimis intelligi, in Annot. ad Lib. 7. tit. 5. de Hæreticis Godefridus observavit. Anonymus etiam auctor, qui Collectanea de quibusdam Hæresibus à Steuvartio primùm edita, & in Lugdunensi Patrum Bibliotheca Tom. 27. pag. 623. repetuntur, Marci Pontici discipulos Hydroparastatas appellat.

VII. Porrò qui vocabulo græco Hydroparastatæ dicti sunt, ***Aquarii*** etiam latinè sunt appellati, quos Philaster Hæref. 77. his verbis describit: ***Aquarii sic dicti sunt, qui in Sacramentis cælestibus offerunt tantùm aquam, non illud, quod Ecclesia Catholica & Apo-***

 sto-

stolica facere consuevit : & Augustinus Hæref. 64. : *Aquarii ex hoc appellati sunt, quòd aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia*. De quibus loquuntur etiam Isidorus Hispalensis Lib. 8. Originum cap. 5., Rhabanus Maurus Lib. 2. de Instit. Cleric. cap. 58., Honorius item Augustodunensis in Libello de Hæref.cap.38. : hi tamen Aquarii, ut observat Danæus in Notis ad Hæref. 64., vel solo nomine ab Encratitis secernebantur, vel saltem eorum propago in hoc extitere. Nam causam cur Aquarii solam aquam in poculo Eucharistico adhibebant, hanc fuisse auctor Prædestinati dicit, quòd vinum ebrietatem pariat, per quam homicidia, fornicationes & alia scelera perpetrantur, quæ etiam Encratitis, ut dixi, causa fuit. Cui tamen objectioni ipse respondet, quòd aqua etiam & panis, si modus in edendo & bibendo excedatur, in vitium verti potest, ut supra ex Epiphanio dixi; & hunc excessum nos etiam anathematizamus, sivè vino sivè etiam aquâ vel pane iu Sacramento Eucharistico committeretur.

VIII. Ab Hydroparastatis tamen & Aquariis secernendi sunt alii Hæretici dicti *Aquei* seu *Hydrotheitæ*, qui aquam colebant, quia putabant eam à Deo non factam, sed se ipsâ semper extitisse, scilicet quia Moyses Genesis 1. v 9. aquas non dicit à Deo factas, sed congregatas: *Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida*: de quibus Auctor Prædestinati cap. 75. & Philaster Hæref. 96. dicens: *Alia est Hæresis, quæ de aqua ambigit, quòd sit facta à Deo, sed semper esse eam ex semetipsa asserit, ignorans, quòd si majus elementum factum est, idest terra, quantò magis & minus, idest aqua quæ continetur à terra?* In quo errore Elcesaitas fuisse seu Samseos refert Epiphanius Hæref. 53. his verbis: *Aquam magnoperè venerantur, ac propemodùm instar Numinis habent, quòd ab ea propagatam esse vitam asserant*. Ex his etiam ortos fuisse, Aquarios, solam aquam ut rem sacram & Divinam in mysteriis aliâ tamen causâ offerentes, censet Ittigius citato loco num. 11.. Tatianum in hoc errore pro vino aquam offerendi secutos fuisse, refert Timotheus Presbyter tom.2.Auctarii novi Bibliothec. Patrum Græco-latinæ pag. 451., quosdam quos *Accaophoros* appellat dicens: *Accaophori sequacium pars quædam ac reliquiæ sunt. Hi loco vini aquam Deo offerunt, unde & Hydroparastatæ dicti sunt*. Qui tamen in Possevini & Cotelerii editione non Accaophori sed *Saccophori* appellantur, & sub hoc nomine in Codice Theodosiano Lib. 7. 9. & 11. Hydroparastatis junguntur, sicut & à Basilio M. in Epist. ad Amphilochium Can. 47. Encratitis & Apotachitis associantur.

IX. Contra Hydroparastatas & alios Aquarios calamum strinxisse

xisse visus est etiam S. Cyprianus Epist. 64. ad Cæcilium, in qua iisdem argumentis, quibus Hydroparastatæ rejiciuntur, confutat quosdam, qui suo tempore aquam solam in Sacrificio Eucharistico offerebant. Verùm statim sub initio Epistolæ indicat, eos, quorum sententiam & consuetudinem in ea refutare aggreditur, ex simplicitate solùm & ignorantia, non quia vinum abominabile existimarent, in Calice Dominico solam aquam adhibuisse. Propterea enim à Sacra mensa vinum subtrahebant, loco vini solam aquam imponentes, ne vini odore à Gentilibus Christiani esse proderentur. Et propterea, ut ex eadem Epistola liquet, in Eucharistia quidèm quam matutinis horis celebrabant, aquam solam adhibebant, at in Sinaxi, quam vespere peragebant, vinum apponebant.

X. Istos ergo S. Cyprianus fortiter refellit, ejusque argumenta etiam in Encratitas converti possunt. Primò ostendit, eos recedere ab exemplo Christi, qui ut suum sanguinem ibi esse exprimeret, porrigendo Calicem dixit: *Hic est Sanguis meus*. Cùm autem ipse etiam dixerit: *Ego sum vitis vera*: concludit, non aquam sed vinum fieri Christi Sanguinem: *Nam cùm dicat Christus*: „Ego sum vitis vera „, *Sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri Sanguis ejus, quo redemti sumus, esse in Calice, quando vinum desit Calici, quo Christi Sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium Sacramento ac testimonio effectus est*. Quibus Cyprianus ostendit, contra Heterodoxos modernos vinum in Calice fieri & converti in Sanguinem: & hoc testimonio Cypriani utitur Augustinus Lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 21.. Secundò procedit S. Cyprianus ex Figuris Vet. Testamenti, sivè Noe vinum bibentis, sive Melchisedech Regis & Sacerdotis, qui typum Christi gerens panem & vinum obtulit non aquam; sivè Divinæ Sapientiæ, de qua dicitur Prov. 9. v. 2.: *Miscuit in cratera vinum suum & paravit mensam suam*: & Judæ, cui benedicens Jacob ut Christi figuræ, dixit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum*. Tertiò quia per aquam solam in Scriptura designatur quidèm Baptismus, nunquam tamen Eucharistia, quam in vino à Christo institutam dicit: unde Sanguis Christi offerri non potest, si vinum calici desit: & tandem perversum esse, quòd cùm Dominus in Nuptiis de aqua vinum fecerit, nonnulli de vino aquam facere ausi fuerint.

XI. Ad eorum autem excusationem, quâ se id ex consuetudine acceptum facere tuebantur, respondet, Christi potiùs exemplo quàm consuetudini esse adhærendum. Nec eos juvare, quòd dicant, se id facere, ne per saporem vini sanguinem Christi redoleant, & vini odore in vitæ periculum incurrant. Nam sic à Mar-

tyrio fraternitas retardari incipiet, dum in oblationibus de ejus sanguine confundi discit. Nec eos audiendos esse monet, qui dicebant: etsi mane solâ aquâ offerre videmur, tamen cùm ad cœnandum venimus mixtum calicem offerimus. His enim respondet, non mane, sed post cœnam vinum à Christo oblatum fuisse, & faciendum esse, quod Dominus fecit, quotiescumque calix in commemorationem Domini offertur. His & aliis S. Præsul monet sui temporis Aquarios, non quidem hæreticos, sed ex simplicitate & ignorantia errantes; declarans, eis de suo errore jam sufficienter instructis, si perseveraverint, non fore ampliùs condonandum.

XII. Hucusque S. Martyris zelus etiam à nostri temporis Heterodoxis celebratur. At quia Aquarios illos ita refutat, ut vini aquâ miscendi necessitatem urgeat, quòd scilicèt Christus ita fecerit, à cujus exemplo non est recedendum: *Nam quia omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat: videmus in aqua Populum intelligi: in vino verò ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo Populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari .... Sic autem in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non potest, quo modo nec vinum solum potest: nam si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò sit aqua sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusâ sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spiritale & cæleste perficitur.* Hactenùs Cyprianus.

XIII. Propterea contra hunc S. Martyris discursum blaterant Protestantes, nolentes Calici Eucharistico aquam vino esse de necessitate miscendam, & rationem à Cypriano adductam veluti erroneam damnantes. Ita enim pro omnibus suis Ittigius citato loco num. 12. loquitur „ Aquarios autem istos Cyprianus ita refutat, „ ut vini cum aqua miscendi necessitatem perperam urgeat, adeò„ que nec solam aquam, nec solum vinum sacro Calici infundi „ oportere existimat, non tam ut Aquariorum animos concilia„ ret, sed quòd ipsum Christum mixto Calice in Sacramenti hujus „ institutione usum, nec ab ejus exemplo recedendum esse sibi „ persuaderet, & insuper putaret, adunationem Christi cum Po„ pulo suo quasi tolli, nisi vinum cum aquâ Populum denotante „ misceatur, quasi Sanguis Christi incipiat esse sine nobis, si so„ lum vinum offeratur, & Plebs incipiat esse sine Christo, si sola „ aqua offeratur, quod inter nævos Sanctissimi Præsulis referendum

„ dum est. „ Hic audacter, ut de more, Cyprianum & omnes Catholicos erroris insimulat Ittigius.

XIV. Verùm si in hoc Cyprianus erravit, errarunt omnes Patres, tota Catholica erravit Ecclesia, quæ cum illis in Calice Eucharistico aquam vino miscendam semper docuit. Justinus Martyr in Apolog. 2. de Ritu, quo sua ætate Sacra celebrabantur Mysteria, inter alia dicit: *Deinde ei qui fratribus præest, offertur Panis, & Poculum aquæ & vini*: Irenæus L. 5. cap. 2. *Quando ergo*, inquit, *& mixtus Calix, & factus* (seu fractus) *Panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi*: & L. 4. c. 57. modò 33. ait: *Quomodo autem justè Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis, quæ est secundùm nos accipiens panem, suum Corpus esse confitebatur, & temperamentum Calicis suum Sanguinem confirmavit?* Non vocaret autem Calicem mixtum, nec temperamentum Calicis, si in Calice solum vinum, & nihil aquæ offerretur.

S. Augustinus Tract. 120. in Joann. loquens de Sanguine & Aqua, quæ è latere Christi in Cruce manarunt: *Ille Sanguis*, inquit, *in remissionem fusus est peccatorum*: *Aqua illa salutare temperat poculum*: De hoc videri potest L. 3. de Trinit. cap. 10., & L. 4. de Doctr. Christ. cap. 21., ubi supra allegata verba Cypriani refert. Accedit S. Ambrosius L. 4. de Sacram. cap. 4. dicens: *Calicis permixtio unionem Dei Verbi, quæ nobiscum est, significat; hoc enim fecit, & conjunctio facta est Divinitatis nobiscum, qui Christi sumus membra, ipse verò nobis est caput*: Quibus per aquæ mixtionem dicit significari nostram cum Christo adunationem. Beda insuper in cap. 14. Marci eadem confirmans ait: *Quia panis Corpus confirmat, vinum verò Sanguinem operatur in carne, hic ad Corpus Christi mysticè, illud refertur ad Sanguinem. Verùm quia & nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, vino Dominici Calicis aqua miscetur: attestante enim Joanne, aquæ Populi sunt, & neque aquam solam, neque solum vinum, sicut nec granum frumenti solum sine aqua admixtione & confectione in panem cuipiam licet offerre: ne talis videlicet oblatio, quasi caput à membris secernendum esse significet: & vel Christum sine nostræ redemtionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione salvari ac Patri offerri posse confingat*. Ita Beda, Cypriano & ipse subscribens.

XV. Accedunt Concilia. Carthaginense III., cui S. Augustinus interfuit Can. 24. statuit, *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit; hoc est panis & vinum aquâ mixtum*: quibus supponit cum Cypriano exemplum Domini. Concilium item Antissiodorense anno circiter

ter 590. cap. 8.: *Non licet*, inquit, *in Sacrificio Domino aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre*. Bracarense III. anno 675. cap. 1.; Triburiense anno 895. Can. 19. vi Traditionis ab Alexandro I. acceptæ decernit, in Calice Domini vinum aquâ permixtum offerri debere, quia aqua significat, populos à Christo, cujus Sanguis in Calice est, dividi non debere. Concilium etiam Florentinum sub Eugenio IV. in Decreto pro Armenis idem statuit, Traditione acceptâ ab Apostolis Petro & Paulo, & ab initio ab omnibus Ecclesiis Latinis & Græcis servatâ. Demum Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. idem docet, & Can. 9. Anathema dicit illis, qui negant aquam vino consecrando miscendam. Ecce universæ Ecclesiæ ab Apostolis edoctæ Traditio, à Patribus, Conciliis cujusque seculi firmata & usu perpetuo retenta. Cujus erit nævus, Cypriani, qui pro ea stat; quod vult Ittgius; an Ittigii & aliorum de ejus grege, qui contra eam pugnant? Judicet quisquis sanæ mentis compos est.

XVI. Nec est, quòd Ittigius carpere conetur rationes, quas ad hoc probandum S. Cyprianus assumit, & ab aliis adductas reperiet: nimirùm quòd aqua sit miscenda vino in Calice Eucharistico, vel quia Christus ita fecit; vel quia de latere Salvatoris Sanguis & aqua fluxere; vel ut significetur unio Populi cum Christo. Nam estò rationes istæ probabiles sint, nostra præcipua ratio est: sic esse faciendum, quia talis est Traditio, quam ab Apostolorum tempore Ecclesia Catholica semper retinuit & pro ea quovis tempore pugnavit, ut præter supradicta, aliis testimoniis probare possem. Quapropter Ecclesia proponit hanc aquæ cum vino mixtionem, non ut necessariam necessitate Sacramenti, ita ut sine illa Sacramentum nullum sit, sed solùm ut necessariam necessitate Præcepti Ritus & Disciplinæ, & ad exprimendas supra allatas significationes. Unde Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. hæc habet: *Monet deinde Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant, tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia à Latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hâc mixtione recolitur; & cùm aquæ in Apocalypsi B. Joannis Populi dicantur, ipsius Populi fidelis cum Capite Christo unio repræsentatur*. Hactenùs Concilium. Et hoc non aliud intendit S. Cyprianus, dum dicit: Si vinum tantùm quis offerat Sanguis Christi incipit esse sine nobis; non quia Sanguis Christi ibi non sit, quod veritatem Sacramenti tolleret, sed quia deest significatio effectus Sacramenti, qui est Fidelium cum Christo conjunctio. Si verò sola aqua ponatur, Plebs incipit esse sine Christo, quia non ibi Christi Sanguis est, sine quo veritas Sacramen-

menti ſtare non poteſt. Sed de hoc ſatis, cùm alibi etiam locutus ſim, Tom. 3. in 3. par. Tract. de Euchariſt. qu. 1. Dub. 7. §. 1. & 3.

XVII. Animantium carnium eſum ut illicitum ſuis interdicebant Tatianus & Encratitæ. Ita S. Epiphanius Hæreſ. 47. num. 1.: *Animatis veſci prohibent, non temperantiæ ſtudio, neque peculiari ex inſtituto vitæ, ſed falſo quodam & affectato metu, ne ob animatorum uſum ſibi damnationem arceſſant*. Hunc errorem ſupra rejeci in Saturnino cap. 2. §. 1. num. 13., & in Marcione cap. 19. §. 3. n. 7., unde ibi dicta huc trahi poſſunt. Cæterùm unde timebant ſibi damnationem arceſſere, ſi animantium carnes moderatè comediſſent? Nonne Deus eſum carnium conceſſit homini poſt diluvium Geneſ. 9. v. 3. cùm ait: *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia?* Ex novo quoque Teſtamento oſtendit Epiphanius contra Ebionæos, qui in eodem errore verſabantur (Hæreſ. 30. num. 22.) exemplo Chriſti, qui cum Diſcipulis comedit Paſcha, in quo mos erat Agni carnibus veſci aſſatis igni. Et inſuper ex eo viſo, quod Beato Petro monſtratum eſt in linteo, quod ferarum ac pecudum & reptilium ac volucrum omnia genera continebat, eique dictum fuit Act. 10. v. 13.: *Surge, Petre, occide & manduca*: & reſpondente Petro: *Abſit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune & immundum*: Dominus ſubjecit: *Quòd Deus purificavit, tu commune ne dixeris*. Licèt autem viſio illa Vocationem Gentium adumbraret, ne præputio præditos tanquam immundos & communes cenſeret: indicat tamen, omne genus eſculentorum fuiſſe Petro etiam conceſſum, ne aliqua ut immunda, ſicut ante in Lege, reſpueret. Omnia quippè munda & pura ſunt, ſi cum gratiarum actione Deique benedictione ſumantur: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum*, ait Paulus ad Tit. 1. v. 15.: ubi Hieronymus: Quia, inquit, *putabant, inter cibos eſſe diſtantiam, quum aliqui mundi, aliqui viderentur immundi; propterea nunc infert*, Omnia munda mundis, *his videlicet qui in Chriſto credunt, & ſciunt omnem creaturam bonam eſſe; & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*. Encratitis autem immunda erant. *nam* (ſubdit Paulus) *coinquinatis & infidelibus nihil mundum: quia polluta eſt eorum & mens & conſcientia: propterea etiam quæ munda ſunt per naturam, eis immunda fiunt*. Ita Hieronymus ex Paulo.

* * *
* *
*

§. V.

De Adamo & Anima error.

I. ERrabant etiam Tatianus & Encratitæ, quia Adamum à salute excidisse & ad Inferos damnatum asserebant. In hoc cum Marcione ex parte conveniebant, qui ut dixi cap. 19. §. 2., num. 13., ubi hoc rejeci, præsertim ex Lib. Sapientiæ cap. 10. v. 1. ex quo S. Augustinus Ep. 99. modò 164. ad Evodium infert, Adamum ab æterna salute non fuisse exclusum: videantur quæ ibi dicta sunt. In hoc concordant cæteri Patres, ut dicam.

II. Irenæus hoc argumentum contra Tatianum agit Lib. 3. cap. 34. modò 23., cujus prima ratio hæc est: Potuit Deus salvare Adamum, qui potuit ex ejus filiis de Satanæ potestate plures eripere: voluisse etiam credendum est, ne elatus Satan contra Christum hanc sibi usurparet gloriam, quòd de primis spoliis triumpharet, & quem primùm dolosè captivum fecerat, perpetuò captivum detineret: *Cùm autem*, inquit, *salvatur homo, oportet salvari eum, qui prior formatus est homo. Quoniam nimis irrationabile est, illum quidèm, qui vehementer ab inimico læsus est, & prior captivitatem passus est, dicere non eripi ab eo qui vicerit inimicum, ereptos verò filios ejus, quos in eadem captivitate generavit. Nec victus quidèm adhuc parebit inimicus, ipsis veteribus spoliis manentibus apud eum. Quemadmodùm si hostes expugnaverint quosdam, & vinctos duxerint captivos, & multo tempore in servitutem possederint eos, ita ut generent apud eos; & aliquis dolens pro his qui servi facti sunt, eosdem hostes expugnet: non tamen justè faciet, si filios quidèm eorum qui captivi ducti sunt, liberet de potestate eorum qui in servitutem deduxerant patres eorum; ipsos verò qui captivitatem sustinuerunt, subjectos relinquat, propter quos & ultionem fecit.* Quibus ostendit, quòd Christum, qui venit ad liberandos filios Adæ à captivitate Dæmonis, non decuit, ut ipsum Adam parentem in captivitate relinqueret.

III. Altera S. Irenæi ratio est: quòd Deus Adamo & Evæ propter peccatum pœnas quidèm temporarias inflixit, eis tamen, sicut Cain, non maledixit, sed soli serpenti: sic enim ait: *Propter hoc & in initio transgressionis Adæ, sicut enarrat Scriptura, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quemadmodùm ex Veteribus quidam ait: quoniam quidèm transtulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. Condemnationem autem transgressionis accepit homo, tædia & terrenum laborem & manducare panem in sudore vultus sui, & converti in terram ex qua assumtus est; simi-*

similiter autem Mulier tædia & labores & gemitus & tristitiam partus & servitium, idest ut serviret viro suo: ut neque maledicti à Deo in totum perirent, neque sinè increpatione perseverantes Deum contemnerent. Omnis autem maledictio decurrit in serpentem qui seduxerat eos: Et dixit, *inquit*, serpenti: maledictus tu ab omnibus pecoribus & ab omnibus bestiis terræ. *Hoc idem autem & Dominus in Evangelio his qui à sinistris inveniuntur, ait*: Abite maledicti in ignem æternum, quem præparavit Pater meus Diabolo & Angelis ejus, *significans, quoniam non homini principaliter præparatus est æternus ignis, sed ei qui seduxit & offendere fecit hominem* &c.

IV. Indè ostendens, eos solos ex hominibus æterno igni tradendos, qui sinè pœnitentia & sinè regressu à malitia, contraponit Cainum Adæ. Cain enim postquam occidit Abel fratrem interrogatus à Deo: *Ubi est Abel frater tuus?* peccatum suum non fuit humiliter confessus, sed impœnitens audacter ac irreverenter respondit: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Propter hoc & ipse maledictionem portavit, quoniam à se peccatum tulit, non reveritus Deum, neque confusus in fratricidio. At non sic Adam: auditâ Dei voce, statim timore correptus se abscondit, non quasi Deum fugiens, sed trangressione præcepti confusus: foliis ficulneis contegens nuditatem suam, facto suam pœnitentiam ostendit; acsi diceret: quoniam per inobedientiam stolam sanctitatis amisi, dignus sum tali tegumento, quod mordeat & pungat corpus. Et hoc *semper* (ait Irenæus) *habuisset indumentum humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos*. Sic ergo in Adamo peccatum fuit, sed fuit etiam confusio ac pœnitentia, quâ pœnas sibi inflictas patienter ferens, Dei misericordiam expertus fuisse usque ad finem creditur.

V. Tertiam rationem ex eo deducit Irenæus, quòd Christi victoria de Morte & Diabolo plena non esset, si homo, cui primùm dominata est per Diabolum mors, ab ea liber non evasisset: *Victus autem*, inquit, *erat Adam, ablatâ ab eo omni vitâ; propter hoc victo rursùs inimico, recepit vitam Adam*, novissima *autem* inimica evacuatur mors, *quæ primum possederat hominem. Quapropter liberato homine*, fiet, quòd scriptum est „Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus„? *Quod non poterit justè dici, si non ille liberatus fuerit, cui primùm dominata est mors. Illius enim salus evacuatio est mortis*.

VI. Quartâ ratione concludit, optimo Pastori Christo incubuisse quærere & ad ovile reducere primam ovem, quæ erraverat, sic: *Mentiuntur ergo omnes, qui contradicunt ejus saluti, semper se ipsos excludentes à vita, in eo quòd non credant inventam ovem quæ pe-*

perierat. Si autem illa non est inventa, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio. Mendax ergo is, qui prior hanc sententiam, imò hanc ignorantiam & cæcitatem induxit, Tatianus, connexio quidèm factus omnium Hæreticorum, quemadmodùm ostendimus, hoc autem à semetipso adinvenit, uti novum aliquid præter reliquos inferens, vacuum loquens, vacuos à Fide auditores sibi prepararet, affectans magister haberi, tentans & subinde uti hujusmodi à Paulo assiduè dictis: Quoniam in Adam omnes morimur, *ignorans autem, quoniam* ubi abundavit peccatum superabundavit gratia. *Ostenso ergo hoc manifestè, erubescant omnes qui ab eo sunt, & concertant de Adam, quasi magnum aliquid lucrentur, si ille non salvatur* &c.. Hucusque Irenæus, qui demum ut Hæreticos & Apostatas veritatis pronuntiat eos, qui saluti Adæ contradicunt.

VII. Idem sentit Tertullianus Lib. 2. adver. Marcionem c.25. ubi ostendens facto Adæ delictum suum confitentis, & Cain negantis, nobis proponi *exempla confitendorum potiùs delictorum quàm negandorum, ut jam tunc initiaretur Evangelica doctrina* Matth. 12. ex ore tuo justificaberis, & ex ore tuo damnaberis: subjungit: *Nam etsi Adam propter statum Legis deditus morti est, sed spes ei salva est, dicente Domino:* Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis, *de futura scilicet adlectione hominis in Divinitatem. Denique quid sequitur?* Et nunc ne quando extendat manum & sumat de ligno vitæ & vivat in ævum. *Interponens enim,* & nunc *præsentis temporis verbum temporalem, & ad præsens dilationem vitæ fecisse se ostendit. Ideòque nec maledixit ipsum Adam nec Evam, ut restitutionis candidatos, ut confessione relevatos. Cain verò & maledixit, & cupidum morte luere delictum, mori interim vetuit, ut præter admissum etiam negationis exemplo oneratum.*

VIII. De Adæ salute benè sensit etiam Cyrillus Jerosolym. Hom. in Occursum Domini num.8., ubi ait: *Exultet Adam per Simeonem Christum alloquens in hæc verba*: „ Nunc dimittis Servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace „: *nunc absolvis me æternis vinculis, nunc à corruptione me absolvis, nunc à morte expedis, nunc à tristitia liberas* &c.. Qui certè Adam sic loquentem non induceret, si putaret eum esse in æternum damnatum. Pro hac veritate afferuntur etiam Veteres, qui dixerunt Christum passum in Calvariæ loco, in quo Adam sepultus fuerat, ut eum redemtionis participem specialiter faceret. Ita Origenes Tract. 35. in Matt.h: *Venit*, inquit, *ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus: ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur, ut in loco illo qui dicitur Calvariæ locus, idest locus Capitis, Caput humani*

mani generis resurrectionem inveniat cum Populo universo per resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est & resurrexit. Inconveniens enim erat, ut cùm multi ex eo nati remissionem acciperent peccatorum, ut beneficium resurrectionis consequerentur, non magis ipse Pater omnium hominum hujusmodi gratiam consequeretur.

Ex eadem Traditione inferunt Adami salutem Athanasius (seu quisquis sit Auctor) Serm. de Passione & Cruce Domini. S. Ambrosius Lib. 5. Epist. 19. dicens, quòd Passionem *suscepit* in Golgotha *Christus, ubi Adæ sepulcrum, ut illum mortuum in sua Cruce resuscitaret*. Et Lib. 10. in Lucam cap. 23. S. Hieronymus, licèt de hac Traditione olim dubius, tandem consentit Epist. 17. modò 44. ad Eustochium. Et S. Augustinus, seu Auctor Sermonis 71. de Tempore modò 6. in Appendice. Quamvis ergo Tr aditio de Crucifixione Christi in loco, ubi sepultus fuerat Adam, non habeatur tanquam certa apud omnes, ut judicavi Tom. 4. par. 2. hujus Operis cap. 26. §. 2. num. 6.; omnes tamen conveniunt, si hoc verum est, factum fuisse, ut & Adam Redemtionis Dominicæ particeps demonstraretur.

IX. Directè autem Epiphanius Hæresi 46. num. 2. contra Tatianum: *Stulta quippè*, inquit, *tota hæc est opinio. Nam si Adamus salutem minimè est adeptus, hoc est, ipsa quodammodò generis massa, nec ulla massæ hujus particula servari poterit. Si enim qui primus omnium conditus est, & ex integra adhuc terra formatus, salutis minimè est particeps, quæ ab eodem orta sunt, quo tandem facto salutem obtinebunt?* Et infra num. 3., inferens, quòd si ex nuptiis, quas Tatianus illicitas censebat, procreati multi salvantur, multò magis salvari decuit Adam, qui sinè nuptiis à Deo formatus est. *Quòd si vera sit eorumdem sententia, ut illicitæ sint nuptiæ, tantò magis Adamum ipsum par est salutis compotem fieri, qui nullis propagatus nuptiis, Patris & Filii & Spiritus Sancti manu est effictus*. Et post multa: *Jam verò*, inquit, *si Adamum Dominus ipse fabricavit, ac primum illud suum opus nihilominùs exterminat, dum reliquos interim servat, quanta hæc, Tatiane, stultitia est? Imbecillitatem enim Domino quantum in te est effingis; qui cum hominem, quem ante omnes effinxerat, ob unicum violati mandati crimen è Paradiso depulsum, nec mediocri animadversione castigatum, ut ætatem suam perpetuo sudore ac labore transigeret, atque è Paradisi Regione degeret, quo ex felicis domicilii recordatione vehementer eum pœniteret; hunc, inquam, servare minimè potuerit, aut, ut potuerit, misericordiam ei nullam adhibuerit*. Hactenùs Epiphanius.

X. E' præfatorum Patrum choro resilit unicus, quem viderim, Rupertus Abbas, qui sententiam de Adami damnatione proba-

babilem esse affirmat, & à multis suâ ætate propugnatam. Tum quia nullibi in Scriptura legitur, Adamum egisse pœnitentiam; quod enim in Libro Sapientiæ dicitur: *Hæc illum qui primus formatus est à Deo Pater Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, eduxit illum à delicto suo* &c., non est ex Canonica Scriptura desumtum. Tum etiam quia de illo vetere Adam nihil usquam boni operis invenitur, & novus Adam illi opponitur. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*. Unde concludit, Adami salutem nullo satis firmo fundamento defendi.

XI. Verùm in hoc reprehensibiliter fallitur Rupertus, qui auctoritate Veterum contemtâ & eorum quæ supra attuli fundamentis abjectis, patrocinari vult sententiæ, quam Tatianum & Encratitas Hæreticos invexisse ipsemet fatetur. Numquid ergo pluris facienda est auctoritas & sententia ab Hæreticis excogitata, quàm ea, cui Patres per varia secula subscripsere? De Adæ pœnitentia non constare dicit. At cùm Scriptura nos doceat, Adam labores & pœnalitates sibi à Deo inflictas patienter sustinuisse, nec quidquam in oppositum afferatur, cùm confessus fuerit delictum suum, nonne ista pœnitentiæ clara indicia sunt? Pejus quoque est, quòd Rupertus è Canone Sacrarum Scripturarum Librum Sapientiæ rejiciat, quem Canoni Ecclesia inseruit, & ex quo S. Augustinus Epist. 99. modò 164. cap. 3. etiam hanc veritatem confirmat, cujus hìc repetam verba: agens enim de Patribus per Christum ab Inferis liberatis ait: *Et de illo quidem primo homine Patre generis humani, quòd eum indè solverit, Ecclesia ferè tota consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressè non proferatur auctoritas. Quamquam illud quod in Libro Sapientiæ scriptum est* (cap. 10. v. 1.),, Hæc illum, qui primus factus est Patrem Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia, *magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videatur*. Hæc Augustinus qui Librum Sapientiæ Canonicis non accenset, quia suâ ætate nondum in Canone ab Ecclesia positus fuerat. Sed de hoc satis.

XII. Erravit quoque Tatianus de Immortalitate animæ humanæ, quam suaptè naturâ mortalem asserebat. In hoc errore eum fuisse etiam antequam hæreticum se publicè proderet, indicavit ipse in Oratione ad Græcos, quam adhuc exteriùs Catholicus scripsit, ut supra notavi §. 1. num.8. In hoc cum Heracleone convenit, qui eâdem hæresi infectus fuit, contra quem egi cap. 12. §. 2. à num.18. quò Lectorem mitto. Ibi enim animæ humanæ Immortalitatem nedum ex Sacris utriusque fœderis Libris, sed ex ethnica Phi-

Philosophia ostendi. In hoc tamen ab Heracleone differre visus est Tatianus, quòd ubi ille Animam nedum mortalem naturâ ponebat, sed etiam generaliter de facto cum corpore mori asserebat: Iste, omnes quidem naturâ mortales asserens, distinguebat inter Animas veritatis ignaras, & Animas veritatis luce perfusas: & illas quidem mori cum corpore, surrecturas tamen ad pœnas: istas verò licèt ad tempus solvantur, attamen non mori, sed à spiritu servari: hic enim ait in Orat. ad Græcos: *Quare cum sola (anima) degit, deorsùm ad materiam vergit carni commoriens. Spiritui autem Divino conjuncta, non caret auxilio; verùm ascendit illuc, quò deducitur à spiritu: hujus enim sedes est sublimis.*

XIII. Verùm quomodocumque se explicaverit Tatianus, dum ait, animam humanam suaptè naturâ esse mortalem, & solùm Spiritus Divini auxilio à morte præservari, hæresim protulit, quia contra Sacras Scripturas locutus, & præcipuè contra Ecclesiasten, ubi cap. 12. v. 7. de omnibus generaliter dicitur: *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat: & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Hinc Irenæus Lib. 5. adv. Hæref. c. 7. ad illa verba Rom. 8. *Qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra;* ait: *Quæ sunt ergo mortalia corpora? Numquiduam Animæ?* Et postquam ostendit, animam cum sit flatus vitæ & spiritus non posse dici mortale corpus: subdit: *Quid igitur superest dicere mortale corpus, nisi plasma, idest caro, de qua & sermo est, quoniam vivificabit eam Deus? Hæc enim est quæ moritur & solvitur, sed non anima, neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem, & sine spiramine in posterum, & inanimalem, & immemorabilem fieri, & deperire in illa, ex quibus & initium substantiæ habuit. Hoc autem neque animæ evenit; flatus est enim vitæ, neque spiritui; incompositus est enim & simplex spiritus, qui resolvi non potest, & ipse vita est eorum, qui percipiunt illum. Superest igitur, ut circa carnem mors ostendatur, quæ posteaquam exierit anima, sinè spiratione & inanimal efficitur, & paulatim resolvitur in terram ex qua sumta est.*

XIV. Hoc demonstat S. Athanasius in Orat. contra Gentes num. 33., ubi postquam dixit, necesse in Ecclesiastica schola non ignorari humanam Animam esse Immortalem, hoc discursu id probat: *Si anima corpus movet, ut ostensum est, nec ipsa ab aliis movetur, sequitur à se ipsa moveri animam, atque etiam post corporis interitum eam iterum à se ipsa moveri. Nec enim anima moritur, sed ejus discessu corpus moritur. Itaque si ipsa à corpore moveretur, recedente movente, necessariò moreretur; sed si anima movet corpus, ipsam à se ipsa moveri prorsùs necesse est. Quia ergo ipsa se ipsam movet, necessariò sequitur, eam etiam post corporis mortem vivere. Si-*

qui-

quidem animæ motus nihil aliud est, quàm ejusdem vita: quemadmodum quoquè corpus tunc vivere dicimus, cùm movetur, & mortuum esse cum moveri cessat. Id autem ex his, quæ in corpore ipsa agit clariùs perspicitur. Namque si in corpore inclusa, ac cum eo colligata, non pro corporis parvitate contrahitur & circumscribitur, sed sæpè in lecto jacente corpore sine motu ac veluti mortuo, ipsa propriâ sua facultate vigilat, naturamque corporis transcendit, & quasi ab eo digressa, quamquam in ipso manens, ea quæ supra terram existunt, cogitat, & contemplatur: quin etiam Sanctos à terreno corpore sejunctos, atque Angelos non rarò convenit, atque ad illos mentis munditiâ fidens advolat: an non quæso, multò magis soluta à corpore, cùm placuerit Deo, qui eam colligavit, evidentiorem immortalitatis cognitionem est habitura? Hæc & alia pro Animæ Immortalitate subtiliter & fortiter Athanasius.

XV. Hanc veritatem probat Cassiodorus L. de Anima cap. 2. Primò rationes Philosophorum inducendo sic: *Immortales esse animas, Auctores secularium litterarum multifariè probaverunt, dicentes; si omne quod vivificat aliud, in semetipso vivit, & utique immortale est: Anima autem, quoniam vivificat corpus, in semetipsa vivit; utique immortalis est. Dicunt etiam: Omnia immortalia simplicia sunt: anima autem non est harmonica, neque constat ex pluribus, sed simplex natura est: anima igitur immortalis est. Adjiciunt quoque: Omne rationale quod se ipsum movet, immortale est: anima autem rationalis se ipsam movet, igitur immortalis est.*

Secundò subjiciens rationes Christianorum: *Nos autem*, inquit, *Immortales esse Animas facilè veridicis lectionibus approbamus. Nam cùm eas ad imaginem & similitudinem Auctoris sui legamus effectas: quis audeat contra sanctam auctoritatem mortales dicere? ut impudenter potiùs asseratur, eas à Creatoris sui similitudine discrepare. Nam quemadmodum poterat esse imago aut similitudo Dei, si animæ hominum mortis termino clauderentur? Ille enim ineffabiliter semper vivens, perennitatem ipse custodiens, qui omnia continet, omnia disponit, potens est sinè dubitatione immortalis immortalia facere, & pro suo modulo vitæ competentia dare.*

XVI. *Dicet aliquis: Quomodo sum similis Deo, cùm immortalia minimè creare prævaleam? Cui sic per aliquam comparationem respondendum esse judicamus. Nunquid pictura, quæ nobis est similis, potest imitari quæ facimus? Imago enim potest aliquam habere similitudinem. Cæterùm hoc non potest implere quod veritas. Nam & hinc immortalem debemus agnoscere, quòd appetit de Immortalitate cogitare: desiderat enim post mortem corporis sui nominis famam relinquere, cupit sinè fine laudari: & bonâ conscientiâ plus est de futuris at-*

attonita, ne à posteris maculetur relata. Hinc est quòd inter sublimiores constat Auctores, quia quidquid dignitate rationis erigitur, mortis injuriâ non premitur. Adde quòd Veritas absolutè profitetur malis juge supplicium, bonis perpetua gaudia se daturam, ut non sit fas cum hæsitatione recipi, quod dignatur Omnipotens Divinitas polliceri.

Non tali tamen immortalitate Animam frui, quæ nullam recipiat passionem, vel nulli mutabilitati obnoxia sit (addit Cassiodorus) hoc enim modo solus Deus immortalis est, nec ad hanc altitudinem ulla creatura ascendere potest. Deinde explicans, quomodo anima vivat sejuncta à corpore: *Vivit*, inquit, *in se post hujus seculi amissionem non reflante spiritu, sicut corpus, sed æquali mobilitate, quæ illi attributa est: puta, subtilis, cita, æterna, videt, audit, tangit, ac reliquis sensibus efficaciùs valet, non jam ex partibus suis hæc intelligens, sed omnia spiritualiter ex toto cognoscens. Alioquin absurdum est putare, minùs posse liberam, quàm mole brutissimi corporis ingravatam.* His Cassiodorus Animam humanam suapte naturâ immortalem esse contra Tatianum, & alios similes ostendit. Alia contra Heracleonem dicta citato loco videri possunt. De quo agit etiam S.Augustinus integro de Immortalitate Animæ Libro,& alibi rationes pro hac veritate cumulans.

XVII. Tatianis & Encratitis tanquam trunco ramum adjungit Ittigius Sect. 2. cap. 12. num. 16. *Apotacticos* seu *Apotactitas*, sic dictos, quia possessioni ac proprietati rerum renuntiarent, nec ullum qui non idem faceret ad suam communionem admitterent. Quare se Apostolicos etiam dictitabant, quasi cum eis in hoc convenientes, etsi in aliis plurimis eis dissimiles essent. Tum quia cum Encratitis Nuptias damnabant, tum quia ab eis & aliis hæreticis multa adoptabant. Quia tamen de eis S. Augustinus Lib. de Hæres. cap. 40. & Epiphanius Hæres. 61. specialiter agunt: ideo in præsenti eos dimittam, postea advocaturus.

INDEX RERUM

Quæ in hujus ſeptimi Tomi Parte I. continentur.

A

D

E

unum

N

V

Z

FINIS.